


VITÆ
PONTIFICUM
ROMANORUM.

VITÆ PONTIFICUM ROMANORUM

EX ANTIQUIS MONUMENTIS

COLLECTÆ

Opera & Studio

ANTONII SANDINI

J. U. D. & in Seminario Patavino
Bibliothecæ Custodis.





PATAVII, Typis Seminarii. MDCCXXXIX.
Apud Joannem Manfrè.
SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIO.

ILLUSTRISS. ac REVERENDISS.


JOANNI ARCHIEPISCOPO

MINOTTO-OTTOBONO

EPISCOPO PATAVINO.

ANTONIUS SANDINI

F.



N Tutelam & Patrocinium Tuum, *Præsul Amplissime*, hic se libellus confert, quem ego alterum atque novum exstare cupio, observantiæ in Te meæ ad posteros monumentum. Qui enim octo

abhinc annis Hiſtoriam Apoſtolicam Tibi dicatam, Tuoque inſignitam nomine publici juris feci; idem nunc Vitas Pontificum Romanorum, quæ continuatam Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ ſeriem exhibent, ſub iiſdem Auſpiciis Tuis, unde auguror mihi fauſta omnia, ad juvenum aliquam utilitatem emitto. Ut illam, ita hanc ſimpliciter breviterque expono. *Expoſitio* autem *mea multorum eruditorum eſt Doctorum, quos antiquior tulit ætas, & firmavit auctoritas veritatis.* Hinc, quia apud antiquos Scriptores de veteribus & prioribus Pontificibus pauca admodum exſtant, pauca item de iis loquor, ne incerta loquar & vana. Compilator ego veterum, modo eorum verbis utor, modo meis, ut ſimul

Paſchaſius Radbertus Præfat. lib. 6. in Matth. tom. 14. Bibl. Patr. pag. 488.

mul vetuſtate, ſimul novitate aliqua faſtidioſos detineam, atque eorum ſaltem ope adjutus aliquid Amplitudine Tua dignum proferam. Qua in re quantum curæ diligentiæque poſuerim, incenſus ſtudio placendi Tibi, & aliorum commodis ſerviendi, mihi ipſe ſum teſtis; quantum autem profecerim, & Tu, & alii judicabunt. Tibi quidem, ut labor & induſtria mea probetur, & vehementer opto, & ſpero, Tua fretus ſumma, quam alias expertus ſum, humanitate. Spero autem? imo pro certo habeo, tum propter Hiſtoriam, quæ Eccleſiaſtica eſt, atque Epiſcopo digna, tum propter offerentis voluntatem, quæ in me eſt multo ardentiſſima, teſtandi omnibus eam obſer-


vantiam , quam Seminarii Alumnus Tibi maximam debeo Patrono Seminarii , & communicandi etiam cum posteris Tui nominis celebritatem .



AD

√

AD LECTOREM.



UM paucis abhinc annis ediderim Historiam Familiæ Sacræ & Apostolorum, constitui Vitas quoque Pontificum Romanorum exponere, ut seriem continuatam rerum Ecclesiasticarum studiosis adolescentibus exhiberem. Exhibeo autem quam brevissime, tum quia erit id tironibus magis commodum, tum quia commendationem ex ipsa mediocritate libri intelligo petendam mihi. Utor sæpe verbis alienis, quia verba ab gravissimis scriptoribus petita non solum magnam habent auctoritatem, sed etiam afferunt narrationi majestatem aliquam non sine delectatione. Itaque probatissimos auctores secutus potiora summorum Antistitum gesta delibo, & oblatas criminationes identidem ab iis depello. Quæstiones etiam attingo, quæ ad eos pertinent, Concilia item Oecumenica, & generalia; ritus Ecclesiasticos, Hæreses, Persecutiones, & jura Sedis Apostolicæ. Externa vero non ultra attingere consi-

lium fuit, nisi quæ Pontificalibus cohærent rebus. Pleraque narro subjectis annotationibus; ne orationis ordinem quædam non admodum inter se connexa perturbent. Si aliquid vel incautius vel indoctius a me positum est, id optat magis animus corrigere, quam ab rationis tramite deviare. Proinde quisquis hæc legit, ubi pariter certus est, pergat mecum, ubi pariter hæsitat, quærat mecum, ubi errorem suum agnoscit, redeat ad me, ubi meum, revocet me. *Non enim* pudebit, sicubi erro, discere. *Vale.*

S. August. ep. 143. alias 7. S. Gregor. VII. l. 9. ep. 31.

S. Aug. de Trinitate l. 1. c. 2. 3.



PRÆ-

PRÆCIPUI AUCTORES

Qui Symbolam contulerunt.

A

ÆMilius *Paulus*. De rebus gestis Francorum. *Parisiis* 1544. *in fol.*
Aguirre *Josephus* Cardinalis de. Defensio Cathedræ S. Petri contra declarationem Cleri Gallicani. *Salmanticæ* 1683. *in fol.*
Alemannus *Nicolaus*. De Lateranensibus Parietinis. *Ext.* in Thesauro Antiquitatum & Historiarum Italiæ *tom.* 8. *part.* 4.
Alexander *Natalis*. Historia Ecclesiastica. *Parisiis* 1714. *in fol.*
Alphordus *Michael*. Annales Ecclesiastici & Civiles Britannorum. *Leodii* 1663. *in fol.*
Amalarius. De Ecclesiasticis Officiis. *Ext.* tom. 14. Bibl. Patr. *pag.* 934.
Ambrosius S. Opera studio Monachorum S. Mauri. *Parisiis* 1686. *in fol.*
Anastasius Bibliothecarius. Vitæ Romanorum Pontificum cum notis variorum. *Romæ* 1718. 1728. *in fol.*
Antoninus S. Chronicon. *Norembergæ* 1484. *in fol.*
Aringhus *Paulus*. Roma subterranea. *Romæ* 1651. *in fol.*
Athanasius S. Opera studio Monachorum. *Parisiis* 1698. *in fol.*
Augustinus Aurelius S. Opera studio Monachorum S. Mauri. *Parisiis* 1679. *in fol.*

B

BAlozius *Stephanus*. Collectio nova Conciliorum *Parisiis* 1707. *in fol.*
Vitæ Paparum Avenionensium. *Parisiis* 1693. *in* 4.
Baronius *Cæsar*. Annales Ecclesiastici. *Coloniæ* 1609. *in fol.*
Basnagius *Samuel*. Annales Politico-Ecclesiastici. *Roterodami* 1706. *in fol.*
Battaglini *Marco*. Annali del Sacerdozio e dell' Impero. *Venezia* 1701. *in fogl.*
Bellarminus *Robertus*. Opera. *Venetiis* 1721. *in fol.*
Bembus *Petrus*. Rerum Venetarum Historia. *Ext.* tom. I. Operum edit. *Venet.* 1729. *in fol.*
Bernardus S. Opera *Parisiis* 1719. *in fol.*
Bernino *Domenico*. Istoria di tutte l'Eresie. *Roma* 1705. *in fogl.*
Bibliotheca Maxima veterum Patrum, & antiquorum Scriptorum Ecclesiasticorum. *Lugduni* 1677. *in fol.*
Blondus *Flavius*. Opera. *Basileæ* 1531. *in fol.*
Bollandus *Joannes*. Acta Sanctorum. *Antuerpiæ* 1643. *in fol.*
Bona *Joan. Cardinalis*. Rerum Liturgicarum libri duo, & de Divina Psalmodia. *Antuerpiæ* 1692. *in fol.*
Bullarium Magnum Romanum. *Lugduni* 1692. *in fol.*
Ejusdem Continuatio. *Luxemburgi* 1727. *in fol.*
Bzovius *Abrahamus*. Continuatio Annalium Baronii. *Coloniæ* 1616. *in fol.*

C

CAmpi Piermaria. Istoria Ecclesiastica di Piacenza. *Piacenza* 1659. *in fogl.*
Cedrenus *Georgius*. Compendium Historiarum. *Venetiis* 1729. *in fol.*
Ciaconius *Alphonsus*. Vitæ Pontificum Romanorum cum additionibus Victorelli & Oldoini. *Romæ* 1677. *in fol.*
Ciampinus *Joannes*. De perpetuo Azimorum usu in Ecclesia Latina. *Romæ* 1688. *in* 4.

Coin-

Cointe *Carolus le*. Annales Ecclesiastici Francorum. *Parisiis* 1666. *in fol.*
Cotelerius *Joan. Baptista*. SS. Patrum, qui temporibus Apostolicis floruerunt, opera illustrata. *Amstelodami* 1724. *in fol.*
Contractus *Hermannus*. Chronicon. *Ext.* in Thesauro monumentorum Ecclesiasticorum, seu Lectionibus antiquis Henrici Canisii auctis a Jacobo Basnage tom. 3. part. 1. *pag.* 191.
Coustant *Petrus*. Epistolæ Romanorum Pontificum tomus 1. *Parisiis* 1721. *in fol.*
Cromerus *Martinus*. De origine & rebus gestis Polonorum. *Basileæ* 1568. *in fol.*
Cyprianus Cæcilius S. Opera recognita & illustrata a Baluzio & Monacho S. Mauri. *Parisiis* 1726. *in fol.*

D

DAcherius *Lucas*. Spicilegium veterum Scriptorum. *Parisiis* 1665. *in* 4.
Damiani *Petrus* S. Opera. *Parisiis* 1642. *in fol.*
De vita & rebus gestis Clementis XI. Pont. Max. *Urbini* 1727. *in fol.*
Dodvvellus *Henricus*. Dissertationes Cyprianicæ præpositæ S. Cypriano Joannis Felli.
Dominio temporale della Sede Apostolica sopra la Città di Comacchio con la Difesa I. *Roma* 1709. *in fogl.*
Difesa II. *ivi* 1711. *in fogl.*
Ducangius *Carolus*. Glossarium ad Scriptores mediæ & infimæ Latinitatis. Editio nova studio Monachorum S. Mauri. *Parisiis* 1733. *in fol.*
Duchesnius *Andreas*. Historiæ Normannorum Scriptores antiqui. *Lutetiæ* 1619. *in fol.*
Historiæ Francorum Scriptores coætanei. *Ibid.* 1636. *in fol.*
Duglossus seu Longinus *Joannes*. Historia Polonica. *Francofurti* 1711. *in fol.*
Du Mesnil *Ludovicus*. Doctrina & disciplina Ecclesiæ ipsis verbis veterum monumentorum exposita. *Coloniæ* 1730. *in fol.*
Dupin *Ludovicus Elias*. Dissertationes Historicæ de antiqua Ecclesiæ disciplina. *Parisiis* 1691. *in* 4.
Nouvelle Bibliotheque des auteurs Ecclesiastiques. *A Paris* 1690. *in* 4.

E

EGinhardus. De vita & gestis Caroli Magni. *Trajecti ad Rhenum* 1711. *in* 4.
Epiphanius S. Opera illustrata a Petavio. *Parisiis* 1622. *in fol.*
Eusebius. Historia Ecclesiastica cum interpretatione ac notis Valesii. *Parisiis* 1678. *in fol.*
Eymericus *Nicolaus*. Directorium Inquisitorum. *Romæ* 1587. *in fol.*

F

FAbricius *Joannes Albertus*. Bibliotheca Ecclesiastica. *Hamburgi* 1718. *in fol.*
Fazellus *Thomas*. De rebus Siculis. *Panormi* 1558. *in fol.*
Fontaninus *Justus*. Vindiciæ antiquorum diplomatum. *Romæ* 1705. *in* 4.
Freberus *Marquardus*. Rerum Germanicarum Scriptores. *Argentorati* 1717. *in fol.*
Frisingensis *Otto*. Chronicon. *Basileæ* 1569. *in fol.*

G

GAbutius *Joan. Antonius*. De vita & rebus gestis Pii V. Pont. Max. *Romæ* 1605. *in fol.*

Gaguinus *Robertus*. De Regum Francorum gestis. *Parisiis* 1521. *in* 8.
Gallonius *Antonius*. De martyrum cruciatibus. *Antuerpiæ* 1668. *in* 12.
Garnerius *Joannes*. Liber diurnus Romanorum Pontificum notis & dissertationibus illustratus. *Parisiis* 1680. *in* 4.
Gianius *Archangelus*. Annales Ordinis Servorum B. M. V. *Lucæ* 1719. *in fol.*
Gobellinus *Joannes*. Pii II. Pont. Max. Commentarii. *Romæ* 1584. *in* 4.
Gotti *Lodovico* (ora Cardinale) La Vera Chiesa. *Bologna* 1719. *in* 4.
Gratius *Orthuinus*. Fasciculus rerum expetendarum & fugiendarum opera & studio Eduardi Brouun. *Londini* 1690. *in fol.*
Gregorius Magnus S. Opera studio Monachorum S. Mauri. *Parisiis* 1705. *in fol.*
Guntherus Poeta. Ligurinus, sive de gestis Friderici I. Imp. *Extst.* cum Ottone Frisingensi *part.* 2. *pag.* 1.

H

Harduinus *Joannes*. Conciliorum collectio regia maxima. *Parisiis* 1715. *in fol.*
De Baptismo quæstio triplex. De baptismo pro mortuis. De baptismo in vino. De baptismo in nomine Christi. *Parisiis* 1687. *in* 4.
Hieronymus S. Opera. *Parisiis* 1643. *in fol.*
Eadem studio Monachorum S. Mauri. *Veronæ* 1734. *in fol.*
Hilarius S. Opera studio Monachorum S. Mauri. *Veronæ* 1738. *in fol.*
Historiæ Augustæ Scriptores sex. *Lugduni Batavorum* 1671. *in* 8.
Huetius *Petrus Daniel*. Origeniana præposita Origenis commentariis in Sacras Scripturas editis *Rotomagi* 1668. *in fol.*

I

Joannes Diaconus. Vita S. Gregorii Magni. *Extst.* tom. 4. Operum S. Gregorii *pag.* 7.
Jovius *Paulus*. Illustrium virorum vitæ. *Florentiæ* 1549. *in fol.*
Historiæ sui temporis. *Venetiis* 1566. *in fol.*
Irenæus S. Opera studio Renati Massuet Monachi Benedictini. *Parisiis* 1720. *in fol.*
Justinianus *Petrus*. Rerum Venetarum Historia. *Venetiis* 1560. *in fol.*

K

Krantzius *Albertus*. Metropolis. *Francofurti* 1576. *in fol.*

L

Labbe *Philippus*. Sacrosancta Concilia ad regiam editionem exacta. *Parisiis* 1672. *in fol.*
Nova Bibliotheca Manuscriptorum Librorum continens historias, Chronica &c. *Parisiis* 1657. *in fol.*
Lactantius, seu L. Cæcilius De mortibus persecutorum cum notis Baluzii & variorum cura Pauli Bauldri. *Trajecti ad Rhenum* 1693. *in* 8.
Laderchio *Jacobus* de. Annales Ecclesiastici ab an. 1566. ubi Raynaldus desinit. *Romæ* 1728. *in fol.*
Lambertinis *Prosper Cardinalis* de. De Servorum Dei beatificatione, & Beatorum canonizatione. *Bononiæ* 1734. *in fol.*
Launojus *Joannes*. Opera. *Coloniæ* 1731. *in fol.*
Leibnitius *Godefr. Gulielmus*. Scriptores rerum Brunsvicensium. *Hanoveræ* 1707. *in fol.*
Leo Ostiensis. Chronica Monasterii Casinensis continuata a Petro Diacono. *Extst.* tom. 4. Scriptor. Rer. Italic. *pag.* 151.
Leo S. Magnus. Opera cum notis & dissertationibus Paschasii Quesnel. *Lugduni* 1700. *in fol.*

Li-

Liberatus Diaconus. Breviarium. *Exst.* in Conciliis Labbei *tom.* 5. *pag.* 740.
Lupus *Christianus*. Opera. *Venetiis* 1724. *in fol.*

M

MAbillonius *Joannes*. De re diplomatica. *Parisiis* 1681. *in fol.*
De Liturgia Gallicana. *Ibid.* 1685. *in* 4.
Museum Italicum. *Ibid.* 1687. *in* 4.
Commentarius prævius in Ordinem Romanum. *Exst. tom.* 2. Musei Italici.
Vetera Analecta. *Parisiis* 1675. *in* 8.
Acta Sanctorum Ordinis S. Benedicti in Sæculorum classes distributa. *Lutetiæ* 1668. *in fol.*
Marca *Petrus* de. De Concordia Sacerdotii & Imperii ex editione Stephani Baluzii. *Francofurti* 1708. *in fol.*
Marcellinus *Ammianus*. Rerum gestarum libri XVIII. *Lugduni Bat.* 1693. *in* 4.
Mariana *Joannes*. De rebus Hispaniæ. *Hagæ-Comitum* 1733. *in fol.*
Marie *Honore* de Sainte. Reflexions sur les Regles, & sur l'usage de la Critique. *A Paris* 1713. *in* 4.
Martene *Edmundus*. De antiquis Ecclesiæ ritibus. *Rotomagi* 1700. *in* 4.
Martinus Polonus. Chronicon. *Antuerpiæ* 1574. *in* 4.
Maurocenus *Andreas*. Historia Veneta. *Venetiis* 1623. *in fol.*
Morinus *Joannes*. De sacris Ecclesiæ Ordinationibus. *Antuerpiæ* 1695. *in fol.*
De Sacramento pœnitentiæ. *Ibid.* 1682. *in fol.*
Muratorius *Ludovicus Antonius*. Rerum Italicarum Scriptores. *Mediolani* 1733. *in fol.*
Antiquitates Italicæ medii Ævi. tom. 1. *Mediolani* 1738. *in fol.*
Anecdota notis & disquisitionibus aucta. *Mediolani* 1697. *tom.* 2. *in* 4.
Tom. III. & IV. *Patavii typis Seminarii* 1713. *in* 4.

N

NAuclerus *Joannes*. Chronica. *Coloniæ* 1579. *in fol.*
Noris *Henricus* Cardinalis de. Opera omnia. *Veronæ* 1729. *in fol.*

O

OPtatus S. Milevitanus. De Schismate Donatistarum, studio L. Ellies Dupin. *Lutetiæ* 1700. *in fol.*
Orosius *Paulus*. Historiæ adversus Paganos cum notis Fabricii, & Lausii ex recensione Andreæ Schotti. *Moguntiæ* 1615. *in* 8.
Otto Frisingensis. Chronicon. *Basileæ* 1569. *in fol.*

P

PAgi *Antonius*. Critica Historico-Chronologica in Annales Baronii. *Antuerpiæ* 1705. *in fol.*
Pagi *Franciscus*. Breviarium Historico-Chronologico-Criticum illustriora Pontificum Romanorum gesta complectens. *Antuerpiæ* 1717. *in* 4.
Pallavicino *Sforza*. Istoria del Concilio di Trento. *Roma* 1656. *in fogl.*
Panvinius *Onuphrius*. De præcipuis Urbis Romæ sanctioribusque Basilicis, quas septem Ecclesias vocant. *Romæ* 1570. *in* 8.
Chronicon Ecclesiasticum. *Lovanii* 1573. *in fol.*
Epitome Pontificum Romanorum usque ad Paulum IV. 1557. *in fol.*
Vitæ Pontificum Romanorum a Sixto IV. ad Pium V. *Exst.* cum Platina *pag.* 262.
De ritu sepeliendi mortuos apud veteres Christianos & eorumdem cœmeteriis. *Exst.* ad calcem Platinæ *pag.* 88.

Pa-

Papebrochius *Daniel*. Conatus Chronico-historicus ad Catalogum Romanorum Pontificum. *Ext.* apud Bollandum tom. 8. Maji.
Paulus Diaconus Aquilejensis. De gestis Langobardorum. *Ext.* tom. 1. Scriptor. Rer. Italic. *pag.* 395.
Pearson *Joannes*. Opera posthuma de serie & successione primorum Romæ Episcoporum. *Londini* 1688. *in* 4.
Annales Cyprianici. *Ext.* cum S. Cypriano Joannis Felli.
Vindiciæ Ignatianæ. *Ext.* cum Patribus Apostolicis Cotellerii tom. 2. *pag.* 251.
Petavius Dionysius Theologica dogmata. *Lutetiæ* 1644. *in fol.*
Piccolomineus *Jacobus*. Commentarii. *Mediolani* 1500. *in fol.*
Pistorius *Joannes*. Rerum Germanicarum Scriptores. *Ratisponæ* 1731. *in fol.*
Platina *Baptista*. Historia De vitis Pontificum Romanorum cum annotationibus & supplemento Panvinii. *Lovanii* 1572. *in fol.*
Prosper Aquitanicus S. Opera omnia. *Parisiis* 1711. *in fol.*

R

RAynaldus *Odoricus*. Annales Ecclesiastici. *Romæ* 1646. *in fol.*
Rocaberti *Joan. Thomas*. Bibliotheca Maxima Pontificia. *Romæ* 1695. *in fol.*
Rubeus *Hieronymus*. Historiæ Ravennates. *Venetiis* 1589. *in fol.*
Rufinus Aquilejensis Presbyter. Opuscula, in quibus Historia Ecclesiastica. *Parisiis* 1580. *in fol.*
Ruinart *Theodoricus*. Acta primorum Martyrum selecta cum notis & præfatione contra Dodwellum de paucitate Martyrum. *Parisiis* 1689. *in* 4.

S

SAbellicus *M. Antonius*. Historiæ Rer. Venetarum. *Basileæ* 1669. *in* 4.
Schelstrate *Emmanuel* a. Antiquitas Ecclesiæ illustrata. *Romæ* 1692. *in fol.*
De Disciplina Arcani. *Ibid.* 1685. *in* 4.
Sfondratus *Cælestinus*. Gallia vindicata. *Typis Monasterii S. Galli* 1702. *in* 4.
Sigonius *Carolus*. De Regno Italiæ. *Venetiis* 1581. *in fol.*
Sirmondus *Jacobus*. Opera varia. *Venetiis* 1728. *in fol.*
Socrates Scholasticus, & Hermias Sozomenus. Historia Ecclesiastica cum interpretatione ac notis Valesii. *Parisiis* 1686. *in fol.*
Spondanus *Henricus*. Annalium Ecclesiasticorum continuatio. *Lutetiæ* 1647. *in fol.*
Sulpitius Severus. Opera. *Lipsiæ* 1709. *in* 8.

T

THeodoretus Cyri Episcopus. Historia Ecclesiastica. *Ext.* tom. III. Operum ejus *pag.* 521. edit. *Lutetiæ* 1642. *in fol.*
Theodorus Lector. Excerpta Historiæ Ecclesiasticæ, auctore Nicephoro Callisto. *Ext.* cum Historia Ecclesiastica Theodoreti edita a Valesio *pag.* 549.
Et tom. 26. Bibl. Patrum *pag.* 83.
Theophanes. Chronographia. *Venetiis* 1729. *in fol.*
Thomassinus *Ludovicus*. Vetus & nova Ecclesiæ disciplina circa Beneficia. *Lugduni* 1705. *in fol.*
Commentarius Historicus, & Dogmaticus de dierum Festorum celebratione. *Ext.* cum Guyeto de Festis edit. *Venetæ* 1729. *in fol.*
Thuanus *Jac. Augustus*. Historiæ sui temporis. *Londini* 1733. *in fol.*
Tillemont Le Nain *Sebastien* de. Memoires pour servir a l'Histoire Ecclesiastique des six premiers siecles. *Paris* 1701. *in* 4.
Histoire des Empereurs. *Paris* 1720. *in* 4.

Van

V

VAn espen *Zegerus Bernardus*. Opera Canonica. *Lovanii* 1732. *in fol.*

Vergilius *Polydorus*. De rerum inventoribus. *Argentorati* 1606. *in* 8.
Anglica Historia. *Lugduni Bat.* 1649. *in* 8.

Volaterranus *Raphael*. Commentarii Urbani. *Basileæ* 1544. *in fol.*

Usserius *Jacobus*. Antiquitates Ecclesiarum Britannicarum. *Londini* 1687. *in fol.*

VVaddingus *Lucas*. Annales Minorum. *Romæ* 1733. *in fol.*

VValafridus *Strabo*. De rebus Ecclesiasticis. *Exst. tom.* 15. Bibl. Patrum *pag.* 181.

VVion *Arnoldus*. Lignum Vitæ. *Venetiis* 1595. *in* 4.

Z

ZOnaras *Joannes*. Annales. *Venetiis* 1729. *in fol.*





ESVS Pontifex factus in æternum, (1) Dei filius, die XXV. Martii pro nobis humanam carnem virtute Spiritus Sancti ſuſcepit in utero Mariæ Virginis, & die XXV. Decembris natus eſt, anno ab Orbe condito 4000. ante Æram Vulgarem ſexto, a Kal. Januarii inchoando. Cum annos vitæ tres ſupra triginta, ac menſes tres expleſſet, cruci affixus mortem voluntariam obiit die XXV. Martii anno 29. Æræ Vulgaris, 4034. Orbis Conditi, Pontio Pilato Tiberii juſſu Judæam provinciam admini-

(1) S. Paulus in Epiſt. ad Hebræos cap. VI. 20. Vide Hiſtoriam noſtram Familiæ Sacræ.

ſtrante, duobus Geminis Conſulibus. Tertio a morte die ſua vi ac virtute reſurrexit, & quadrageſimo poſt in Cælum corpore & anima aſcendit, die V. Maji, relicto in terris Vicario Apoſtolo Petro, ejuſque ſucceſſoribus.

I.

S. PETRUS.

ANNO CHRISTI 45.

CLAUDII IMPERATORIS 3.

PETRUS *Apoftolus natione Galilæus Chriftianorum Pontifex primus*, Simon antea dictus, Jonæ feu Joannis filius. (1) Datam fibi a Chrifto Domino provinciam adminiftrare aggreffus vi tanta de eo Hierofolymis differuit, ut una atque altera concione octonis hominum millibus Chriftianam religionem probaret. (Act. II. 14. IV. 8.) Ex Palæftina profectus in Syriam, Antiochiæ anno Æræ Vulgaris octavo fupra trigefimum *firmavit Sedem, in qua feptem annis, quamvis difceffurus fedit.* (Bar. an. 39. §. 89.) (2) Eodem tempore curam habuit etiam aliarum Ecclefiarum. Afflictam Hierofolymorum Ecclefiam dum inviferet, Herodis Agrippæ juffu conjectus eft in carcerem. (3) (Act. XII. 4. 7.) Inde ab Angelo eductus anno Epifcopatus Antiocheni feptimo, Chrifti quarto & quadragefimo Romam venit, & Romanis *primus doctrinam Euangelicam præbuit.* (Bar. an. 44. §. 15.) (4) Anno infequente Euodio Antiochenæ Ecclefiæ præfecto, & omni translato fecum jure Pontificatus, Cathedram fixit Romæ manfuram in futurum tempus omne: (An. 45. §. 14.) (5) *ubi Euange-*

(1) Eufebius in Chronico ad an. Chrifti 44.

(2) S. Gregorius Magnus lib. 7. epift. 40.

(3) Herodum hiftoriam brevem admodum reperies in noftra Hiftoria Familiæ Sacræ extremo cap. 4. De vita Chrifti.

(4) Theodoretus in Epift. ad Rom. cap. 1.

(5) S. Innocentius I. epift. 18. §. 1. apud Lab. tom. 2. Conc. pag. 1269. Antiochia *prima primi Apoftoli fedes effe monftratur, quæ Urbis Romæ Sedi non cederet, nifi quod illa*

lium prædicans viginti quinque annis ejusdem Urbis E-
An.51. S.3. *piscopus perseveravit*. (6) Anno post suum Romam adventum septimo, Christi primo & quinquagesimo, Claudii Cæsaris edicto expulsus est cum o-
Act. XV.20. XVIII.2. mnibus Judæis. Reversus Hierosolymam Concilium ibidem cum ceteris Apostolis celebravit, ad dirimendam controversiam Antiochiæ exortam, essetne Circumcisio necessaria ad æternam beatitatem

in transitu meruit, ista susceptum apud se consummatumque gauderet. Eadem habet S. Nicolaus I. epist. 8. tom. 8. Conc. pag. 315.

(6 Eusebius in Chronico ad an. Ch. 44.

S Hieronymus De Script. Eccl. cap 1. Petrus *ad expugnandum Simonem Magum Romam pergit, ibique viginti quinque annis Cathedram Sacerdotalem tenuit*.

Papebrochius in Conatu Chronico Historico apud Bollandum tom 8 Maji pag 14. *Quod ad confirmationem vulgaris opinionis de annis* XXV. *dicitur, Romano Pontifici accini in die Coronationis suæ*, Non visurum annos Petri, *non docet quidem Ordo Romanus in ritibus ea occasione servari solitis, qualem habemus impressum Venetiis anno* 1561; *sed neque hodierna praxis, aut aliquis, quem legerim, auctor: verum tamen esse, hactenus probavit experientia. Siquidem de supremo Ecclesiæ universalis Pontificatu est quæstio. Tantum enim abest, ut annos* XXXII *vel* XXXVI *in eo excesserit aliquis, ut in toto numero, quem hactenus numeramus ducentorum quadraginta quatuor Romanorum Antistitum, non nisi septemdecim inveniantur excessisse annos* XV. Romanæ Petri Cathedræ *assignatos a nobis, ex iisque soli quatuor annum* XX. *superarunt, scilicet Silvester & Hadrianus sui nominis primi, Alexander* III. *&* Urbanus VIII. *Qui autem* XXV. *superaverit, unicus hactenus repertus est Benedictus* XIII. *a verorum Pontificum Catalogo expunctus a plerisque: contra quem hoc etiam nonnulli observant, quod ab assumto Papali titulo vixerit ultra annos* XXVIII. *præter eorum consuetudinem, in quibus ea dignitas citra controversiam fuit*

Quot annis regnaverint Pontifices priorum sæculorum quis audeat pro certo affirmare in tanta vetustate, tantaque auctorum discrepantia? Chronologiæ capita hæc pertractarunt Pearsonius, Dodwellus Papebrochius, Pagius uterque, Tillemontius, Coustant, & alii diffidentes inter se, prorsus ut mirari magis adeo discrepare inter auctores, quam quid veri sit, discernere queas.

tem consequendam. Post quinquennium, Claudio mortuo, rediit Romam, *cum Nero jam imperaret, & editis quibusdam miraculis, quæ virtute ipsius Dei data sibi ab eo potestate faciebat, convertit multos ad justitiam, Deoque templum fidele* (7) *ac stabile collocavit. Qua re ad Neronem delata*, (8) *cum animadverteret, non modo Romæ, sed ubique* (9) *quotidie magnam* Bar. an. 57. S. 1.

A 3

(7) *Ecclesiam nimirum*, inquit Baluzius in hunc locum, quæ est verum templum Dei, quod non in parietibus est, sed in corde ac fide hominum, qui credunt in eum, ac vocantur Fideles, *ut ait Lactantius in libro quarto institutionum cap.* 14.

(8) Alii aliter narrant, ideo videlicet ab Nerone sævitum in Christianos, ut incensæ Urbis invidia derivaretur in eos. Tacitus lib. 15. Annal. cap. 40. *Videbatur Nero condendæ Urbis novæ & cognomento suo appellandæ gloriam quærere*, ideoque incendium jussisse. Et cap. 44. *Ergo abolendo rumori Nero subdidit reos & quæsitissimis pœnis affecit, quos per flagitia invisos, vulgus* Christianos *appellabat .... Primo correpti, qui fatebantur, donec indicio eorum multitudo ingens, haud perinde in crimine incendii, quam odio humani generis convicti sunt. Et pereuntibus addita ludibria, ut ferarum tergis contecti, laniatu canum interirent, aut crucibus affixi, aut flammandi: atque ubi defecisset dies, in usum nocturni luminis urerentur .... Unde quamquam adversus sontes & novissima exempla meritos, miseratio oriebatur, tamquam non utilitate publica, sed in sævitiam unius absumerentur.*

Sulpicius Severus lib. 2. Hist. Sacræ cap. 29. *Abundante jam Christianorum multitudine, accidit, ut Roma incendio conflagraret, Nerone apud Antium constituto. Sed opinio omnium invidiam incendii in Principem retorquebat, credebaturque Imperator gloriam innovandæ Urbis quæsisse. Neque ulla re Nero efficiebat quin ab eo jussum incendium putaretur. Igitur vertit invidiam in Christianos, actæque in innoxios crudelissimæ quæstiones: quin & novæ mortes excogitatæ, ut ferarum tergis contecti, laniatu canum interirent. Multi crucibus affixi, aut flamma usti. Plerique in id reservati, ut cum defecisset dies, in usum nocturni luminis urerentur. Hoc initio in Christianos sæviri cœptum.*

Suetonius in Nerone cap. 16. nullam Romani incendii mentionem facit: *Afflicti suppliciis Christiani.*

(9) *Hæc itaque persecutio non localis, sed universalis fuit*, ut

gnam multitudinem deficere a cultu Idolorum, & ad religionem novam damnata vetustate transire, ut erat exsecrabilis ac nocens tyrannus, prosilivit ad excidendum caeleste templum, delendamque justitiam, & primus omnium persecutus est Dei servos, (10) Petrum cruci affixit, & Paulum interfecit. (11)

II.

ut recte concludit Pagius ad an. 64. §. 4. adversus Henricum Dodwellum, qui dissertatione undecima Cyprianica, *agnoscit quidem ingentem multitudinem in persecutione Neroniana passam, sed eorum tantum Christianorum, qui Romae versabantur.*

Orosius lib. 7. cap. 5. Nero *Romae Christianos suppliciis ac mortibus affecit, ac per omnes provincias pari persecutione excruciari imperavit.*

Persecutio Ecclesiae I. (10) Tertullianus Apologet. cap. 5. *Consulite commentarios vestros, illic reperietis primum Neronem in hanc sectam, cum maxime Romae oriretur, Caesariano gladio ferocisse.* Et Scorp. cap. 15. *Orientem fidem Romae primus Nero cruentavit.*

Sulpicius Severus lib. 2. Hist. sacrae cap. 28. ita loquitur de Nerone: *Qui non dicam regum, sed omnium hominum, & vel immanium bestiarum sordidissimus, dignus exstitit, qui persecutionem in Christianos primus inciperet.*

S. Leo serm 80. cap. 6. *Neronis furor per omnium vitiorum inflammatus excessum, in hunc eum usque torrentem suae praecipitavit insaniae, ut primus nomini Christiano atrocitatem generalis persecutionis inferret, quasi per Sanctorum neces gratia Dei posses extingui.... Non minuitur persecutionibus Ecclesia, sed augetur, & semper Dominicus ager segete ditiori vestitur, dum grana, quae singula cadunt, multiplicata nascuntur.*

S. Augustinus lib. 18. De Civit. Dei cap. 52. *Ecclesia persecutiones passa est decem. Primam computant a Nerone, secundam a Domitiano, a Trajano tertiam, quartam ab Antonino, a Severo quintam, sextam a Maximino, a Decio septimam octavam a Valeriano, ab Aureliano nonam, decimam a Diocletiano & Maximiano.* Ita, qui insigniores persecutiones numerant factas ab Ethnicis Imperatoribus adversus Christianos. Sed Augustinus horum sententiam non probat.

(11) Haec Lactantius, seu Lucius Caecilius de mortibus Persecutorum cap. 2. De Petro, ceterisque Apostolis plura in nostra Historia Apostolica.

II.

S. LINUS.

ANNO CHRISTI 69.

NERONIS IMPERATORIS 13.

LINUS natione Hetruscus, patria Volaterranus fertur. *Post Petri martyrium primus Ecclesiæ Romanæ Episcopatum suscepit. Hujus mentionem facit Paulus in epistola, quam ab Urbe Roma ad Timotheum scripsit, inter salutationes, quæ ad calcem epistolæ leguntur:* Salutat te, *inquit*, Eubulus, Pudens, Linus, & Claudia. (1) Hujus Claudiæ filium fuisse Bar. an. 69. §. 35. Pagius an. 67. §. 28. Epist. II. Cap. IV. 21.

 Li-

(1) Eusebius Hist. Eccl. lib. 3 cap. 2. Linus ne, an Clemens proximus post Petrum Pontifex fuerit, discrepat inter veteres scriptores. Tertullianus de Præscript. cap. 32. *Clementem a Petro ordinatum* edit. Consentit Hieronymus tum lib. 1. adver. Jovin. cap. 7 tum comment. in Esaiam cap. 52. quæ fuit sententia Patrum Latinorum usque ad exitum sæculi IV. Quamquam Hieronymus De Script Eccl. cap. 15. ubi de Clemente narrat ex professo, eum affirmat, *quartum post Petrum Romanum Episcopum fuisse, secundum Linum, & tertium Cletum*. Proximus igitur Petri successor est Linus ex D. Hieronymo, cujus opinio testimoniis confirmatur Irenæi lib. 3. adver. hær cap 3. Eusebii lib. 3. Hist. Eccl. cap. 2. 13. & lib. 5. cap. 6. Epiphanii hær. 27. §. 6. Optati lib. 2. §. 3. Augustini epist. 53. & Theodoreti in Epist. 2. ad Timoth. cap 4.

Lino ex eorumdem scriptorum anctoritate subjiciendus Cletus, quem omnes, si Epiphanium & Hieronymum excipias, Anacletum vocant: Optatus vero, & Augustinus non Lino, sed Clementi sufficiunt.

Baronius, cujus sententiam præ ceteris probat Natalis Alexander, Bollandus, Cotelerius, Tillemontius, ad an. 69. §. 43. secutus Epiphanium hær. 27. § 6. scribit, S. Clementem accepisse quidem ab D. Petro Episcopatum, sed decedentem jure suo collatam sibi dignitatem recusasse, ut

Linum, rentur aliqui secuti Constitutiones Apostolicas lib. 7. cap. 46. Incertus auctor Carminum adversus Marcionem extremo libro 3. Linum dicit virum *magnum plebique probatum*. In Libro Pontificali (2) dicitur ex præcepto D. Petri cavisse, ut mulier Ecclesiam ingrederetur capite velato. (3) Menandrianos, *qui mundum non a Deo, sed ab Ange-*

Apud Tertul.

ut Linus & Cletus Petri ipsius in Episcopali munere adjutores alius post alium electus per suffragia Cleri Romanam Ecclesiam gubernaret. Qua ex re componitur controversia, quæ intercedit inter scriptores memoratos, quorum alii Linum, alii Clementem proximum post Petrum Pontificem fuisse contendunt. Quemadmodum enim, qui Linum Petro suggerunt, ii Clementem a S. Petro Romanæ Ecclesiæ Episcopum constitutum non negant; ita qui dicunt, Clementem Petri adhuc superstitis successorem designatum, non inficiantur, illum vivo Lino & Cleto constanter recusasse delatum sibi a D. Petro honorem Pontificatus. Vide Cotelerium in Constitut. Apost. lib. 7. cap. 46. & Petrum Coustant differtat. de proximis B. Petri successoribus tom. 1. Epist. Rom. Pont. pag. 1.

(2) Joan. Ciampinus in Examine Libri Pontificalis tom. 3. Scriptor. Rer. Italic. pag. 34. & 53. *Historiam Roman. Pontif. quæ sub titulo* Libri Pontificalis, *sive Damasi, aut Anastasii Bibliothecarii circumfertur, a pluribus exaratam existimamus: nihilominus ut autographæ genuinisque e scripturis excerpta maximam ac summam fidem habendam esse censemus; præcipue cum propter antiquitatem eximiæ venerationis sit, ac tot sæculorum consensu ab Ecclesia recepta, utpote quæ litteris consignata fuerit a Scriptoribus, qui vel Pontificibus, quorum gesta scripsere, coævi, vel paulo juniores fuerunt.*

Muratorius Prolegom. in Vitas Rom. Pont. Anastasio Bibliothecario additas ibid. pag. 274. *Veterum Romanorum Pontificum Vitæ a variis Scriptoribus litteris consignatæ, quæ sub Anastasii Bibliothecarii nomine circumferuntur, in Hadrianum* II. *&* *Stephanum* VI. *seu ut rectius dicendum est*, V. *desinunt, quarum postremæ Gulielmo Bibliothecario tribuuntur. Subsequentium Pontificum Vitas par est credere olim, suisque temporibus per Bibliothecarios* S. R. E. *aliosve Historicos fuisse conscriptas*. Vide Schelstratum tom 1. Antiquitatis Illustratæ differtat. 3. cap. 7 8. & 9.

(3) Sanctionem hanc, ut *Episcopali cura* minus dignam, irri-

gelis factum esse testantur, a consortio conversationis nostra ejectos æterna damnatione multavit; docens rationabiliter secundum sanctas Scripturas veteris Testamenti, Deum, qui cum Moyse locutus est, hunc esse omnium creatorem, & nihil in creaturis omnibus esse, quod possit pro sui natura esse vituperabile. (4) Idem *Martyrium Petri & Pauli uno die passorum Græco sermone scripsisse* legitur apud Sigebertum *de Script. Eccl.* cap. 5. (5) Anno Christi 80. IX. Kal. Octobris, quo die ab Ecclesia colitur, jussu Saturnini, cujus filiam a Dæmonum vexatione liberaverat, morti datus, ex his tenebris in sempiternam lucem excessit, post *annos undecim, menses duos, dies tres & viginti*, quam Pontificatum occeperat. (6)

Bar. an. 80. §. 1. Pag. an. 78. §. 3.

III.

irrident Magdeburgenses Cent. 1. lib. 2. cap. 10. Quos satis superque refellam, si dixero, id antea præceptum etiam a D. Paulo I. ad Cor. cap. XI. 5.

(4) Prædestinatus §. 2. tom. 1. Operum Jacobi Sirmondi pag. 270. edit. Venetæ.

(5) In Maxima Bibliotheca veterum Patrum tom. 1. pag. 67. duo sunt sub nomine Lini Papæ libelli *De passione Petri & Pauli*. Sed Bellarminus de Script Eccl. & lib. 2. de Rom. Pontifice cap. 9. illos rejicit tamquam supposititios: Baronius ad an. 69. §. 6. tradit, Manichæorum erroris fuligine deformatos: prisci alicujus Monachi opus existimat Vossius lib. 2. De historicis Græcis cap. 9.

(6) Pagius ad an. 78 §. 3. *Non existimandum*, Linum *eo die* (IX. Kal. Octobr.) *ad superos transiisse; cum dies, quibus in Martyrologiis veteres Pontifices coluntur, & in auctiori Chronico veterum Pontificum dicuntur sepulti, ad aliquam eorum translationem ut plurimum pertineant.* At Muratorius tom. 1. Anecdot. dissertat. 19. pronunciat, *expresso lubentius Ecclesiæ Romanæ, aliorumque scriptorum testimonio, quam nudæ illius opinioni fidem habendam esse, probatque per tria Epochæ nostræ priora secula quam plurimos SS. Pontifices ex Pagii consensu ipsis diebus, queis coluntur, Martyrii corona donatos, ac propterea omnem Romano potius Martyrologio, quam levissimis aliorum rationibus fidem* adjungendam esse.

III.

S. CLETUS.

ANNO CHRISTI 80.

VESPASIANI IMPERATORIS 10.

Bar. an. 80. §. 4. An. 93 §. 1. Pag. an. 91. §. 2. 3.

CLETUS Æmiliani filius, Romanus *annos duodecim, menses septem & dies duos* Pontificatum gessit. Cælo receptus est anno Christi 93. quo alteram persecutionem adversus Christianos excitavit Domitianus, *portio Neronis de crudelitate*. (1) Ex præcepto D. Petri quinque & viginti Presbyteros ordinasse in Urbe Roma legitur in libro Pontificali, *id est*, ut explicat Pagius in ejus vita, *Urbem in totidem Parochias distinxisse*. Martinus Polonus, qui in Chronico tradit, Cletum formulam hanc: *Salutem, & Apostolicam benedictionem*, litteris omnium primum inscripsisse, moveret me, nisi id traderet ex sensu suo, & sine auctore. Nulla enim exstat Cleti epistola, quæ faciat ejus rei fidem. (2)

Persecutio II.

(1) Tertullianus Apologet. cap. 5. Idem de Pallio cap. 4. Domitianum vocat *Subneronem*. De eo Lactantius de mortibus Persecutorum cap. 3. *Ad persequendum justum populum instinctu Dæmonum incitatus est* Eusebius lib. 3. Hist. Eccl. cap. 17. *Neronianæ impietatis, bellique & odii adversus Deum successorem se ipsum professus est. Quippe hic secundus persecutionem in nos concitavit*. Et cap. 18. *In hac persecutione Joannes Apostolus, idem & Evangelista, qui etiamtum in vivis supererat, ob testimonium, quod divino verbo perhibebat, in insulam Patmum traditur esse relegatus*. Et cap. 19. *Universos, qui a Davide generis sui originem ducerent, interfici jussit*. Et cap. 20. *Quippe Domitianus de adventu Christi, perinde ac Herodes, sibi metuebat*.

Orosius lib. 7. cap. 10. *Per omnes scelerum gradus crevit, ut confirmatissimam toto orbe Christi Ecclesiam, datis ubique crudelissimæ persecutionis edictis, convellere auderet*. Vide Pagium ad an. 89. §. 6. & 7.

(2) Nullum Pontificem verbis illis usum invenio ante Joannem V. & Sergium I. quorum diplomata verbis illis notata refert Mabillonius *De re diplomat.* lib. 5. pag. 436. & lib. 6. pag. 622. *Ante Leonem IX. vel saltem Gregorium VII. formulam istam non fuisse stabili usu receptam* censet Papebrochius in Conatu apud Bollandum tom. 8. Mensis Maji pag. 19.

(2) *Ludovicus Jacobus a S. Carolo Biblioth. Pontif. pag.* 58. ut est apud Petrum Coustant tom. 1. Epist. Rom. Pontificum pag. 5. ab omnibus auctoribus *affirmari memorat*, *Cletum* scripsisse epistolas, in quibus omnium primus usus est verbis illis; Salutem & Apostolicam benedictionem : *sed has a se frustra quæsitas, ibidem testatur*.

IV.

S. CLEMENS I.

ANNO CHRISTI 93.

DOMITIANI IMPERATORIS 10.

CLEMENS Faustini filius, Romanus, *de quo Apostolus Paulus ad Philippenses scribens ait*: Bar. an. 93. § 1. 2. Cap. IV. 3. Cum Clemente & ceteris cooperatoribus meis, quorum nomina scripta sunt in libro vitæ, *quartus post Petrum Romanus Episcopus, siquidem secundus Linus fuit, tertius Cletus, tametsi plerique Latinorum secundum post Petrum Apostolum putent fuisse Clementem*. (1) Hic, ut est in libro Pontificali, per septem Ur-

(1) S. Hieronymus de Scriptor. Eccl. cap. 15.

S. Clemens epist. 1. ad Cor. cap. 4. *Propter æmulationem Pater noster Jacob aufugit a facie Esau fratris sui. Hac loquendi ratione*, ut notat Petrus Coustant, *indicare videtur Clemens se ex Jacob stirpe potius oriundum, quam ex prosapia Cæsarum; adeoque Judæum, non Romanum esse. Secus tamen* En-

Urbis regiones constituit Notarios, qui gesta Martyrum scriptis mandarent, & in Acta Ecclesiæ referrent. (2) Excitata ab Trajano adversus Christianos persecutione, in Chersonesum Tauricam relegatus traditur. (3) Cum omnes fere illius regionis incolas Christianæ doctrinæ prædicatione & præclarissimi miraculi illustratos splendore, ad ve-
Bar. an. 102. §. 1. Pag. an. 100. §. 2. ri Dei cultum a vitæ pravitate convertisset, Trajani jussu in mare demersus *fidem, quam* (a S. Petro) *didicerat, & docuerat, martyrio consecravit* (4) anno

Eucherius in epistola ad Valerianum sentit. Forte etiam Clemens Jacob eo sensu patrem nostrum *vocat, quo Paulus Rom. 9. promissionis filios in semine Abrahæ & Israel computari docet, eosque ex ipso* Israel Dei, *Gal. 6. 16. nuncupat.*

S. Epiphanius hær. 27. §. 6. credit, S. Clementem Episcopatu initiatum a D. Petro, ut ejus vices obiret, eo Euangelii promulgandi caussa absente. Rufinus Præfat. in libros Recognitionum S Clementis id negotii Lino & Anacleto datum vult. Bollandus tom. 1. April. pag. XVII. simul omnes ponit.

(2) Urbis regiones erant quatuordecim, quas Clemens in septem contraxit, & in singulis notarios posuit, qui inde dicti sunt notarii *regionarii*. Anastasius in Hadriano I. *Domnus Paulus Papa eum clericari jussit, quem notarium regionarium in Ecclesia constituens, postmodum eum Subdiaconum fecit.*

Persecutio III. (3) Acta S. Ignatii martyris ex editione Usserii apud Ruinartum pag. 11. *Trajanus persecutionem comminans, omnes ipsos Dei cultores existentes vel sacrificare, vel mori cogebat.*

Tertullianus Apologet. cap. 2. *Plinius secundus cum provinciam regeret, damnatis quibusdam Christianis, quibusdam gradu pulsis, ipsa tamen multitudine perturbatus, quid de cetero ageret, consuluit tunc Trajanum Imperatorem* per epistolam, quæ est 97. lib. 10. ubi Trajani quoque responsum habetur.

Eusebius lib. 3. cap. 32. scribit: *Sub Trajano particularem quamdam per singulas civitates populari motu adversus nostros excitatam esse persecutionem.* Et cap 33 ait, *plurimos ex fidelibus multiplicis martyrii certamen subiisse.*

(4) Zosimus Pontifex apud Baronium ad an. 417. §. 20. & apud Labbeum tom. 2. Conc. pag. 1558. Martyr dicitur etiam a Concilio Vasensi I. anno 442. celebrato can. 6.

anno Ch. 102. IX. Kal. Decembris, *anno nono, mense ac die sexto*, quam Cleto successerat. Quæ sub ejus nomine feruntur scripta, omnia supposititia sunt præter epistolas duas ad Corinthios.

V.

S. ANACLETUS.

ANNO CHRISTI 103.

TRAJANI IMPERATORIS 4.

ANACLETUS (1) Atheniensis *Memoriam B. Petri construxit & composuit*, teste auctore Libri Pontificalis, *id est*, ut explicat Altaserra, *Ædem sacram dicavit B. Petro*. (2) Quæ Ædes nullo umquam turbine persecutionis dejecta, sed majore in annos splendore aucta in eam tandem crevit Templi amplitudinem, quæ omnium admirationem

Bar. an. 103. S. 2.
Bar. an. 106. S. 1.

(1) Unum esse *Cletum* & *Anacletum* contendunt Valesius, Bollandus, Natalis Alexander, Dupinus, Tillemontius, Pearsonius. Contrarium docent Baronius ad an. 69. §. 39. Pagius uterque, Schelstractus tom. 1. Antiquitatis illustratæ dissertat. 2. cap 2. & alii complures. His potius assentior: *cum*, ut verbis utar Panvinii annotat. ad Platinam pag. 12. *ex Ecclesiastica Traditione, quam omnibus scriptoribus hac in re præpono, manifeste liqueat, Cletum ab Anacleto nomine, Patre, patria, rebus gestis, mortis tempore & die diversum esse. Utriusque etiam tamquam diversi festum diem S. Mater Ecclesia adhuc diversum celebrat*, Cleti quidem VI. Kal. Maji, Anacleti autem III. Idus Julii. Vide annot. 1. ad S. Victorem I.

(2) S. Augustinus in Psal. 44. num. 23. *Ostendatur mihi Romæ in honore tanto templum Romuli, in quanto ibi ostendo Memoriam Petri*. Et lib 22. De Civit. Dei cap 10. *Nos autem martyribus nostris non templa sicut Diis, sed Memorias sicut hominibus mortuis, quorum apud Deum vivunt spiritus, fabricamus*.

nem in se convertit. (3) Non ore tantum, sed etiam sanguine veritatem cælestem testatam fecit.
Bar. an. 112. Martyr enim ad Deum abiit anno 112. III. Idus
§. 1. Julii, cum *annos novem, menses tres, ac dies decem*
Pag. an. 101. §. 4. Romanam Ecclesiam administrasset. (4)

(3) Vide Baronium ad an. 106. §. 2. & Vitam Julii II.
(4) Epistolæ tres Decretales, quæ Anacleti nomen præferunt, subdititiæ habentur: item aliæ, quæ Pontificibus ante Siricium adscribuntur, iis tantum exceptis, quæ memorantur a Sanctis Patribus, vel antiquis Historiæ Ecclesiasticæ Scriptoribus. Ita censent eruditissimi Cardinales Bona lib. 1. Rer. Liturgic. cap. 3. §. 1. Bellarminus lib. 2. De Rom. Pont. cap. 14. & Baronius ad an. 865. §. 8. qui affirmat, *illis non indigere sanctam Romanam Ecclesiam*. Petrus de Marca lib. 3. De Concordia Sacerdotii & Imperii cap. 5. §. 1. addit, injuria nihilominus a Blondello *atrocioribus verbis epistolas illas dilacerari, quas e sententiis & verbis legum, canonum antiquorum, & sanctorum Patrum, qui quarto & quinto sæculo floruerunt, si pauca demas, concinnatas esse constat*. Vide Observationem Phil. Labbei tom. 1. Conc. pag. 78.

VI.

S. EUARISTUS.

ANNO CHRISTI 112.

TRAJANI IMPERATORIS 13.

Bar. an. 112. §. 4. EUARISTUS Betlehemita, in locum Anacleti suffectus, *annos novem, & menses tres* Pontifex fuit. Hic Titulos, seu *domos divino cultui mancipatas*, ut explicat Baronius, (1) in Urbe Roma Pres-

(1) Idem Baronius annotat. in Martyrologium Rom. VII. Kal. Augusti: *Idem Titulus, quod Memoria, seu Ecclesia: sic dictus, quod in loco, ubi erat Ecclesia erigenda, Crux poneretur in titulum.... Romæ autem obtinuit vetus loquendi usus, ut*

Presbyteris divisisse, septemque Diaconos jussisse Episcopo ad populum concionanti præsto esse (2) legitur in Libro Pontificali. Eumdem fuisse primum, qui consecrationem Ecclesiarum in mores nostros induxerit, opinio est aliquorum. (3) De medio sublatus est anno 121. VII. Kal. Novembr. quo die ab Ecclesia colitur. An.121. S.1. Pag. an.119. S. 2.

VII.

ut non omnis Ecclesia, martyrumve Memoria Titulus diceretur, sed tantum insigniores, quibus præficerentur Presbyteri Cardinales.

Joan. Mabillonius Comment. in Ordinem Romanum cap. 3. pag 13 *Tituli nihil aliud sunt, quam Basilicæ, quibus certi Sacerdotes ac ministri adscripti & addicti habentur. Longe supra* XXVIII. *Tituli ante Innocentii I. tempora in Urbe erant.*

(2) *Quasi veræ doctrinæ testes*, inquit Ciaconius, *ne ab æmulis Episcopo prædicanti imponerentur errores, qui ei adscriberentur, quos tamen ipse non commisisset:* seu, ut interpretatur Blanchinus in Notis ad Anastasium tom. 2 part. 2. pag. 78 *propter stilum veritatis addiscendum in ministerio prædicationis.*

(3) Bona lib. 1. Rer. Liturgic. cap. 20. §. 3. *Sunt qui Evaristo Papæ ejus* (consecrationis Templorum) *originem adscribunt, sed multo certius est, Apostolicum institutum esse, nisi dicamus ab hoc Pontifice scripto promulgatum, quod sola traditione ab Antecessoribus acceperat. Aut forte addidit ad veteres ceremonias, ut sine Missæ sacrificio Basilicæ non consecrarentur, ut ex illo referunt canonum collectores. Alii ex adverso scribunt ante Imperium Constantini Magni nullas fuisse Ecclesiarum dedicationes propter metum persecutionis: in quorum sententiam facile ibo, si de publicis & solemnibus agant: si vero de privatis & clam peractis sermo sit, nullatenus illis consentire possum. Nam veterum Patrum testimonio jam supra evici, semper Christianos suas Ecclesias habuisse, quas ab Episcopis, Mosaicæ Legis exemplo & Apostolica institutione edoctis, divino cultui certis ceremoniis consecratas, nemo certe negabit, cui perspecta sit in rebus etiam minoris momenti illorum temporum disciplina.*

VII.

S. ALEXANDER I.

ANNO CHRISTI 121.

HADRIANI IMPERATORIS 2.

Bar. an. 121. §. 2. ALEXANDER Alexandri filius Romanus Idibus Novembr. anno 121. Pontifex constitu-
An. 132. §. 1. 3. tus, anno 132. V. Nonas Majas sacrum in marty-
Pag. an. 130. §. 2. 3. rio Sanguinem fudit, *cum decem annos administrationis explesset*. (1) De hoc auctor Libri Pontificalis narrat, *passionem Domini miscuisse in precatione Sacerdotum, quando Missa celebrantur*. Ex quo factum reor, ut nonnulli existimarent precationem illam: *Unde & memores Domine* post consecrationem ab Sacerdote recitari solitam Missæ canoni insertam ab eo. Sed ut ait Bona lib. 2. Rer. Liturgic. cap. 13. §. 3. *si precise de memoria passionis sermo sit, sive istis, sive aliis verbis fiat, ea certe non fuit ab hoc sancto Pontifice instituta, ut praclare observat Baronius an.* 132. *num.* 3. *Habemus enim hac de re expressum in Euangeliis praceptum Domini; & Paulus I. ad Cor. c.* 11. *luculentum ejusdem rei testimonium prabet dicens*: Quotiescumque manducabitis &c. In eodem libro Pontificali & apud Uvalafridum Strabonem de rebus Ecclesiasticis cap. 29. scriptum hoc etiam invenitur, Alexandrum auctorem fuisse ritus aquæ benedicendæ cum sale, & in Christianorum domibus aspergendæ.

(2)

(1) Eusebius lib. 4. Hist. Eccl. cap. 4.

S. Optatus l. 2. cont. Parmen. §. 3. Alexandrum prætermittit, & Euaristo Sixtum suggerit. Id quod vel Optati oblivione, vel amanuensium potius incuria factum puto. Nam apud Irenæum lib. 3. cap. 3. Eusebium lib. 4. cap. 4. Epiphanium hær. 27. §. 6. & apud Augustinum epist. 53. ubi sine controversia ex tabulis Ecclesiæ Africanæ Pontifices recenset, Alexander proximus post Euaristum ponitur.

(2) At morem illum ab Apoſtolica traditione ortum, & Alexandri decreto confirmatum docet Baronius ad an. 57. §. 109. & ad an. 132. §. 3. Parum aquæ eſſe vino in conſecratione Calicis admiſcendum ex Alexandri decreto, ſcribunt aliqui. At id fieri ex Chriſti inſtituto, quod a S. Cypriano lib. 2. epiſt. 3. *Dominica Traditio* appellatur, oſtendit Bona lib. 1. Rer. Liturgic. cap. 9. §. 3. Invenias apud alios, eumdem decreviſſe, ut Euchariſtia ex pane azymo conficeretur. Aſt alii animadvertunt, nihil hujuſmodi in antiquis ac legitimis Alexandri Actis reperiri, & nullum hujus decreti teſtem proferri præter Martinum Polonum, qui cum undecim poſt ſæculis floruerit, haud ita facile probandus eſt. Itaque iis ego magnopere aſſentior, qui, nulla facta de Alexandri decreto mentione, azymorum uſum ad Euchariſtiam conficiendam ex Apoſtolorum traditione in Eccleſia Latina ſemper viguiſſe confirmant, in quorum ſententiam undecima ex duodecim noſtris Diſſertationibus plura perſecuti ſumus.

VIII.

S. SIXTUS I.

ANNO CHRISTI 132.

HADRIANI IMPERATORIS 13.

SIXTUS Romanus. Si Libro Pontificali fides ſit, decrevit, ut vaſa ſacra ab ſacris tantum Bar. an. 132. §. 7. Pag. an. 130. §. 3.

(2) D. Thomas 3. Part. quæſt. 65. art. 1. ad 6. *Aqua benedicta ordinatur contra inſidias Dæmonum, & contra peccata venialia*. Baronius ad an. 132. §. 5. *Aqua ad domeſticum uſum ſanctificata, ipſo ingreſſu Eccleſiæ ad levium ſordium expiationem eſt expoſita*.

Bar. an. 142. §. 3. 6. 7. 12. Pag. an. 140. §. 3. ministris tangerentur, utque nullus Episcopus Romam evocatus, ad Episcopatum suum rediens susciperetur, nisi Apostolicæ Sedis litteras *Formatas* populo exhiberet. (1) Trisagion *Sanctus Sanctus Sanctus* Missæ sacrificio ab eo insertum, aliqui tradunt. Sed hoc solum est in Libro Pontificali, Sixtum *constituisse, ut Missarum actionem* (2) *Sacerdote incipiente populus hymnum*, (seu Trisagion) *decantaret, Sanctus Sanctus Sanctus*. Itaque Baronius ad an. 142. §. 12. existimat, eo duntaxat spectasse Sixti decretum, ut hujus hymni usus jam receptus *custodiretur sanctius*. (3) Decessit anno Ch. 142. *cum Epi-*

(1) Erant litteræ *Formatæ*, per quas unitas Fidei, ac mutuus inter caput & membra amor foveri & significari consueverat, ideoque etiam *Canonicæ*, *Communicatoriæ*, *Ecclesiasticæ*, *& Pacificæ* vocabantur. Harum scribendarum rationem, ne fraudi locus esset, præscripsit Nicæna I. Synodus can. 18. Vide Baronium ad an. 142. §. 6. 7. Sirmondum in Sidonium Apollinarem lib. 6. epist. 8. & Ducangium in Glossario verbo *Formatæ*.

(2) Walafridus Strabo De rebus Ecclesiasticis cap. 22. tom. 15. Bibl. Patr. pag. 193. *Actio dicitur ipse* Canon, *quia in eo Sacramenta conficiuntur Dominica*, Canon *vero eadem* Actio *nominatur, quia in ea est legitima & regularis Sacramentorum confectio*.

Honorius Augustodunensis lib. 1. De Antiquo ritu Missarum cap. 80. tom. 20. Bibl. Patr. pag. 1057. *Missa quoddam judicium imitatur, unde & Canon* Actio *vocatur*. Actio *autem est caussa, quæ in publico conventu coram judicibus agitur: quia in Missa caussa populi cum Deo judice agitur*. Et cap. 103 *Canon dicitur regula, quia per eum regulariter fit Sacramentorum confectio*.

(3) Concilium Vasense anno 529. celebratum can. 3. apud Labbeum tom. 4. Conc. pag. 1680. statuit, *ut in omnibus Missis, seu in matutinis, seu in Quadragesimalibus, seu in illis, quæ pro defunctorum commemoratione fiunt, semper* Sanctus Sanctus Sanctus, *eo ordine, quo modo ad Missas publicas dicitur, dici debeat; quia tam sancta, & tam dulcis, & desiderabilis vox etiamsi diu noctuque possit dici, fastidium non poterit generare*.

Bona lib. 2. Rer. Liturgic. cap. 10. §. 5. *Duplex est Trisagion*.

Episcopatum Urbis Romæ decem annis *obtinuisset*, ut lib. 4. Hist. Eccl. cap. 5. scribit Eusebius.

IX.

S. TELESPHORUS.

ANNO CHRISTI 142.

ANTONINI PII IMPERATORIS 3.

TELESPHORUS Græcus Quadragesimæ jejunium ex Apostolica traditione usu jam receptum decreto confirmasse dicitur: (1) cavisse et- Bar. an. 142. §. 12. An. 136. §. 1. An. 154. §. 1. 2. 3.

iam,

gion. Istud nimirum, de quo nunc agimus, omnibus Ecclesiis commune, & illud, quod Græci quotidie, Latini semel in anno Græce simul & Latine concinunt in magna Parasceve, nempe: Sanctus Deus, Sanctus fortis, Sanctus immortalis miserere nobis, *cujus originem Felix III. Pontifex narrat in epistola ad Petrum Cnaphaeum.* Vide annotat. 3. ad Felicem III.

(1) Eusebius in Chron. ad an. 136. *Quadragesimale jejunium a Telesphoro per hoc tempus institutum ac præceptum, quidam scribunt.* Arnaldus Pontacus in hunc locum pag. 612. *Non reperiuntur ista in MSS. & ipsa verba* quidam scribunt, *cum sint insolita nostro* Eusebio, *satis arguunt additionem: maxime cum nihil ejusmodi, nec quod accedat, reperiatur in historia* Eusebii, *nec apud Hieronymum, Orosium, aut alios illius temporis aut supparie. Quinimo constat Quadragesimale jejunium esse ex institutione Apostolorum, ut testantur Can. 69. Apost. Clem. l. 5. Const. Ignatius epist. 8. Hieronymus epist. 54. Leo serm. 46. & 9.* de Quadragesima, *Theophil. epist. Paschali 1. Socrates lib. 5. cap. 22. dum agit de ritibus Ecclesiasticis*, Romani, *inquit*, & Occidentales suarum Ecclesiarum consuetudinem ab Apostolis Petro & Paulo datam asserunt. *Et paucis interjectis, ubi ad particularia descendit:* Romani tres ante Pascha septimanas præter Sabbatum & Dominicam continuas jejunant, *& ubi recensuit varios jejunii ritus variarum gentium*, omnes tamen, *ait*, jejunium illud ante Pascha vocare Τεσσαρακοστὴν, *id est* Quadragesimam.

Haud

Pag. an. 152. § 2. iam, ut nocte sancta, quæ proxime præcedit natalem diem Christi Domini, Missæ sacrum celebraretur, atque adeo ut semel iterum ac tertio eodem die rem divinam facere Sacerdotibus liceret. (2) Eundem *constituisse, ut ante Sacrificium hymnus diceretur Angelicus, hoc est Gloria in excelsis Deo*, prodit auctor Libri Pontificalis, sed non dicit, quod pro certo affirmarunt aliqui, ea verba adjecisse, quæ verbis Angelorum subjiciuntur. Itaque *cautius locuti sunt Patres Concilii IV. Toletani, qui can.* 13. *ajunt*: Reliqua, quæ sequuntur *post verba Angelorum* Ecclesiasticos Doctores composuisse, *quicumque illi fuerint*. (3) Cum *annos undecim, menses octo, & dies duodeviginti* sedisset in Petri cathedra,

Haud integris tamen quadraginta diebus semper jejunatum. Nam etiam Magni Gregorii ætate, ut est in ejus homilia 16. in Euangelia, sex duntaxat & triginta diebus jejunium Quadragesimæ finiebatur.

Nec una servata semper jejunii ratio. Ad sæculum XII. usque Quadragesimæ jejunium vespere solutum est, extra Quadragesimam hora ut plurimum nona. Sæculo XIII. ineunte hora nona solvi cœptum etiam in Quadragesima: quam consuetudinem D Thomæ ætate viguisse, apparet 22. quæst. 147. art. 7. Exeunte demum sæculo XIV. cœnis in prandia mutatis, satis ad jejunium esse visum est, si Officio vespertino sub meridiem persoluto Christiani pranderent. Qui mos adhuc retinetur.

(2) Walafridus Strabo De rebus Ecclesiast. cap. 21. *Telesphorus nonus in ordine Romanæ Sedis Episcopus in Natali Domini noctu tres Missas celebrari constituit*. Ita Strabo, crediderim, ex epistola ejusdem Pontificis subdititia: ex qua tamen vix aliud statuas, quam licere nocte natali Christi Domini Missas celebrare.

S. Gregorius in Euangel. hom. 8. in die Natali Domini: *Missarum solemnia ter hodie celebraturi sumus*. Ex quo intelligitur, morem hunc esse oppido antiquum.

(3) Bona lib. 2. Rer. Liturgic. cap 4. § 4. ubi etiam monet, hymnum totum antiquissimum esse, & S. Athanasii ætate usu jam receptum. Nam in libro De Virginitate num. 20. pag. 122. recitationem ejus imperat Virgini, quam instituit: *Matutina hora hunc dicito psalmum*: Deus Deus meus

dra, martyrio decessit. Primus inter successores D. Petri martyr traditur a quibusdam. Nituntur auctoritate S. Irenæi, qui lib. 3. cap. 3. Romanos Pontifices a D. Petro usque ad Telesphorum numerat sine ulla mentione martyrii, & de hoc tantum dicit: ὃς καὶ ἐνδόξως ἐμαρτύρησεν: *qui etiam gloriose martyrium fecit*. At dum martyrem vocat Telesphorum Irenæus, non negat, ejus decessores fuisse martyres, quos Ecclesia ut martyrii gloria nobiles colit.

X.

S. HYGINUS.

ANNO CHRISTI 154.

ANTONINI PII IMPERATORIS 15.

HYGINUS Atheniensis *post quartum Pontificatus annum moritur*. (1) Ejus *temporibus Valentinum propriæ sectæ conditorem, & Cerdonem erroris Marcionitarum auctorem, Romæ ambos floruisse*, ex Irenæo narrat Eusebius lib. 4. cap. 10. (2) Ex Libro Bar. an. 154. §. 2.

B 3

meus ad te de luce vigilo: Sitivit in te anima mea. *Sub diluculum vero*: Benedicite omnia opera Domini Domino. Gloria in excelsis Deo, & in terra pax.

Walafridus Strabo cap. 22. *Illum hymnum ante Sacrificium dici* Telesphorus IX. *Romanorum Præsul constituit, ut ad tantæ sanctitatis celebrationem congregatorum animi Angelicæ modulationis dulcedine mulcerentur*.

S. Gregorius initio libri Sacramentorum: *Item dicitur* Gloria in excelsis Deo. *Si Episcopus fuerit tantummodo die Dominico, sive diebus festis. A presbyteris autem minime dicitur nisi solo in Pascha*. Vide annotat. 6. ad Symmachum, & 4. ad Stephanum III.

(1) Eusebius lib. 4. Hist. Eccl. cap. 11.

(2) Valentini error præcipuus, *Christum in substantia cor-*

An. 158. S. 1. 2. Pag. an. 156 S. 3. bro Pontificali, *Clerum composuit, & distribuit gradus*, hoc est certa Clericis distribuit officia, ut explicat Franciscus Blanchinus in Notis ad Anastasium Bibliothecarium tom. 2. pag. 107. Idem traditur ab Ecclesia expulisse Cerdonem hæreticum, itemque jussisse, virum saltem unum, & mulierem unam tamquam Patrinos & susceptores ad baptismum præter Sacramenti ministrum adjungi. (3)

XI.

S. PIUS I.

ANNO CHRISTI 158.

ANTONINI PII IMPERATORIS 19.

Pag. an. 158 S. 3. PIUS Aquilejensis, Rufini filius dicitur a quibusdam. Hygino subrogatus est; idque pluribus scriptoribus tum coævis, tum recentioribus credo. (1) S. Optatus, & S. Augustinus post aliquan-

corporis nostri non fuisse, sed spirituale nescio quod corpus de Cælo deferentem, quasi aquam per fistulam, sic per Mariam Virginem transmeasse, nihil inde vel accipientem, vel mutuantem. Cerdon introducit initia duo, id est duos Deos, unum bonum, & alterum sævum. Christum in substantia carnis negat, in phantasmate solo fuisse pronunciat: Tertullianus de Præscript. Hæretic. cap. 49. & 51.

(3) Decretum hoc apud antiquissimos scriptores non reperitur. Consuetudo tamen adhibendi susceptores in Baptismo pervetusta est, & ab ipsis fere Catholicæ Ecclesiæ incunabulis usurpata.

(1) Irenæo lib. 3. cap. 3. & Hegesippo apud Eusebium lib. 4. Hist. Eccl. cap 21. ubi dicit, Aniceto, sub cujus Pontificatu Romæ degebat, Soterem successisse. Horum astipulatores sunt Eusebius ipse in Chronico, Epiphanius hær. 27. §. 6. & Nicephorus Callistus lib 3. cap. 25. Vide Schelstra-

quanto nati Hygino non Pium, sed Anicetum suggerunt. (2) Pio decretum de Pascha celebrando die Dominico perperam adjudicatur. Epistolam enim, ex qua illud sumitur, suppositiriam esse non ambigitur. Nam quod habetur in Eusebii Chronico, *sancitum a Pio, ut Resurrectio Dominica die Dominica celebretur, quod a pluribus postea Pontificibus confirmatum est*; id procul dubio deleri oportet. Præterquamquod enim verba illa in MSS. Codicibus non reperiuntur, *constat tale decretum de celebrando Paschate die Dominica ab Apostolis sancitum fuisse, ut docent Socrates lib. 5. cap. 21. Eusebius lib. 5. Hist. cap. 23. & apud Bedam lib. de ratione temporum seu de natura rerum, Adonem, & Marianum, licet totum fere Chronicon Eusebii transcripserint, nihil tale reperitur*. (3) Alterius decreti de pœnitentia ab eo subeunda, cujus negligentia aliquid sanguinis Christi Domini effunderetur, auctorem Pium facit Gratianus cap. *si per negligentiam* 27. dist. 2. *de Consecrat.* Id ego certum affirmare non ausim, quia nullam apud vetustiores scriptores ejus rei mentionem invenio. Pontifex fuit *annos novem & menses sex, tribus minus diebus*: ejusque Pontificatus anno septimo, Christi 164. quartam in Ecclesiam persecutionem Marcus Aurelius Antoninus, & Lucius Aurelius Verus Imperatores excitarunt. (4)

An. 159 §. 1.2.

An. 167. §. 1. Pag. an. 165. §. 3.

stratum in Antiquitate Ecclesiæ illustrata tom. 1. differtat. 2. cap. 4.

(2) Ille lib. 2. contra Parmenianum §. 3. hic epist. 53. alias 165.

(3) Arnaldus Pontacus in Chronicon Eusebii pag. 615.

(4) Sulpicius Severus lib. 2. Hist. Sacræ cap. 31. *Quarta sub Hadriano persecutio numeratur*, quam Hieronymus epist. 84. vocat *persecutionem gravissimam*. Plerique tamen scriptores eam prætermittunt; puto, quod nullum in Christianos edictum Hadrianus promulgaverit, ut ex Tertulliano in Apolog. cap. 5. docet Baronius ad an. 120. §. 3. Orosius lib 7. cap. 27. quartam facit, quæ sub Aurelio & Lucio Vero

Persecutio IV.

XII.

S. ANICETUS.

ANNO CHRISTI 167.

M. AURELII ET L. VERI IMPERATOR. 5.

Bar. an. 167. §. 6. 9. An. 175. §. 2. 3. Pag. an. 173. §. 3.

ANICETUS Syrus. Hic, teste auctore Libri Pontificalis, *constituit ut Clericus comam non nutriret secundum praeceptum Apostoli*, (1) & referente Eusebio lib. 5. Hist. Eccl. cap. 24. contentionem de celebratione Paschæ habuit cum Polycarpo S. Joannis discipulo, Episcopo Smyrnæorum. Hic enim Romam cum venisset, ut cum Aniceto ageret de die legitimo Paschæ celebrandi, contendebat juxta morem receptum ab Asianis, Pascha celebrandum esse Luna quartadecima Martii in quemcumque hebdomadæ diem incideret: Pontifex vero agendum esse die Dominico, qui proxime sequitur Lunam quartamdecimam post vernum Æquinoctium illucescentem. Suam uterque sententiam tuebatur Traditione Apostolica, alter quidem ab D. Petro accepta, alter vero ab Euangelista Joanne, ut ajebat, derivata. (2) Quamobrem

cum

ro agitata est. Eusebius in proœmio lib. 5. Hist. Eccl. scribit, ea sæviente *ex incursione popularium, innumerabiles prope martyres per universum orbem enituisse*.

(1) Gregorius Turonensis lib. 1. De gloria Martyrum cap. 28. tom. 11. Bibl. Patr. pag. 838. *Petrus Apostolus ad humilitatem docendam caput desuper tonderi instituit*. Vide Baronium ad an. 58 § 122. & seqq.

(2) Eusebius lib. 5. Hist. Eccl. cap. 23. Asianorum morem appellat nomine *παραδόσεως ἀρχαιοτέρας*: *Traditionis antiquioris*, quo designari potest vetus quælibet Ecclesiæ consuetudo, quamvis non accepta ab Apostolis: Romanæ vero aliarumque *totius Orbis* Ecclesiarum disciplinam nominat.

vo-

cum inter se convenire non potuissent, re nondum satis discussa, ab suscepto certamine, diffidentibus quidem sententiis, amicis tamen animis, discessere. *Et Anicetus*, quemadmodum subdit Eusebius, *in Ecclesia consecrandi munus Polycarpo honoris caussa concessit*. Utrumque sustulit mors præclara, Polycarpum VIII. Kal. April. anno 169. Anicetum XV. Kal. Majas anno 175. Pontificatus desinente *octavo*. Ceterum, ut est apud eumdem Eusebium, neque Anicetus, neque ejus decessores Pius, Hyginus, Telesphorus, Sixtus, Asianorum morem *umquam observarunt, aut iis, qui cum ipsis erant, ut observarent, permiserunt*.

XIII.

S. SOTER.

ANNO CHRISTI 175.

M. AURELII IMPERATORIS 13.

SOTER, cujus memoriam X. Kal. Majas Ecclesia celebrat, Fundis in Campania ortus est. In Aniceti locum sublectus *annos quatuor minus diebus duodecim* Pontifex fuit. *Constituit*, ait auctor Libri Pontificalis, *ut nulla Monacha palam sacratam contingeret, nec incensum poneret in Sancta Ecclesia*. (1)

Bar. an. 175. §. 3. 4.

Ad An. 179. §. 50. 51.

Pag. an. 177. §. 11.

vocabulo Ἀποστολικῆς παραδόσεως, *Apostolicæ Traditionis*. Hinc apparet, non illam, qua Polycarpus, sed illam, qua nitebatur Anicetus, veram fuisse Traditionem. Qua de re nullus jam reliquus est ambigendi locus, cum Nicæna I. Synodus, utraque consuetudine diligenter examinata, decreverit, Pascha celebrandum esse die Dominico proxime sequente Lunam quartamdecimam in ipso, vel post ipsum Æquinoctium Vernum affulgentem. Vide annotat. 2. ad Victorem I.

(1) De Sotere illud relatu dignum prodidit Dionysius Corinthiorum Episcopus apud Eusebium lib. 4. Hist. Eccl. cap. 23. quod, cum Romani *jam inde ab ipso religionis exordio* beneficia in fratres omnes conferre, & Christianis tum ad metalla damnatis, tum in exilium ejectis necessaria usibus submittere consuevissent, *hunc morem beatus Episcopus Soter non servavit solum, verum etiam adauxit, tum munera sanctis destinata copiose subministrans, tum fratres peregre advenientes tamquam liberos suos pater amantissimus beatis sermonibus consolando*. Adeo, etsi persecutio in cervicibus esset, nullius Christianæ rei cura Romanos Pontifices ne longinqua quidem effugiebat. (2)

XIV.

S. ELEUTHERUS.

ANNO CHRISTI 179.

M. AURELII IMPERATORIS 17.

Bar. an. 179. §. 50. 52. ELEUTHERUS Abundii filius, Græcus, Nicopolitanus, & *Aniceti quondam Diaconus*.
An. 194. §. 1. (1) Præfuit Romanæ Ecclesiæ *annos quindecim*, *dies*
Pag. an. 192. §. 3. *tres supra viginti*. In Martyrologio Romano VII. Kal. Junii, in Hieronymiano postridie Nonas Septembr. memoratur. (2) Misere ad hunc Lugdu-

(1) In hanc rem antiquissimus est Concilii Laodiceni canon 44. *Quod non oportet mulierem ad altare ingredi*: apud Lab. tom. 1. Conc. pag. 1503.

(2) Ob id Collectæ fieri solitæ, de quibus S. Leo Serm. 5. & seqq. & Baronius ad an. 44. §. 68.

(1) S. Hieronymus De Scriptor. Eccles. cap. 22.

(2) Num Eleutherus decesserit occisus *gladio*, *nobis incom-*

dunenses martyres S. Irenæum ejusdem Ecclesiæ tunc Presbyterum, *ob quasdam Ecclesiæ quæstiones*. (3) Cujusmodi illæ fuerint, non reperio. Lucius quoque Rex Britannorum (cis ne murum in Romanorum ditione, an trans intra barbarorum fines, haud satis constat) per legatos ab eo petiit ut viros mitteret, qui Britannos Christi præceptis erudirent. (4) Missi Fugatius & Damianus, *qui omnem insulam Christianæ Religionis institutis primum imbutam, amotis idolorum sordibus, expiatisque falsorum numinum Templis, Christo, Fideique conciliarunt*. (5)

Beda Hist. Angl. l. 1. c. 4. Bar. an. 181. §. 3.

XV.

compertum est: nisi quod in antiquis omnibus Martyrologiis martyr reperitur adscriptus: cum tamen certum sit (ut in nostris Notationibus pluribus demonstravimus) Martyris nomen tribui consuevisse non iis tantum, qui violenta morte Christi caussa mori quoquo modo coacti essent; sed & commune fuisse illis etiam, qui fidei confessionis caussa cruciamentum aliquod subiissent, licet martyrium minime consummassent: Baronius ad an. 194 §. 1.

(3) Hieronymus de Scriptor. Eccl. cap. 35.

(4) Spartianus in Hadriano: *Conversis regio more militibus Britanniam petiit, in qua multa correxit, murumque per octoginta millia passuum primus duxit, qui barbaros Romanosque divideret*.

Usserius in Britan Eccles. Antiquitatibus cap. 3. hanc esse scribit communem sententiam, Lucium fuisse Regem partis Britanniæ subjectæ Romanis. Hi siquidem consueverunt etiam Reges Imperio suo obsequentes inter instrumenta servitutis habere. Quod de Britannia testatur Tacitus in Agricola cap. 14 Atque id quidem consentit Bedæ narranti lib. 1. Hist. Angl. cap. 4. Britannos susceptam per Lucium Catholicam fidem *usque in tempora Diocletiani inviolatam integramque quieta pace servasse*. Quomodo enim in eos sævitum, nisi Romanorum paruissent Imperio?

(5) Alfordus in Annalibus Eccl. & Civil. Britannorum ad an. 183. §. 4.

Bona lib. 1. Rer. Liturgic. cap. 7. §. 3. *Postea jussu Agathonis missi sunt ex Urbe Cantores, qui populum illum cantum Romanum docerent, de qua missione prolixam historiam refert Beda* lib. 4 cap. 18.

XV.

S. VICTOR I.

ANNO CHRISTI 194.

COMMODI IMPERATORIS 13.

Bar. an. 194. S. 2. Euseb. l. 5. c. 23. 24.

VICTORE Afro, Felicis filio, Pontifice (1) controversia de legitimo celebrandi Paschæ die, quæ amice inter Anicetum & Polycarpum disceptata fuerat, animis haud ita pacatis agitata est. Victor enim Concilio Romæ habito anno circiter 198. cavit, *ne ullo alio, quam Dominico die mysterium resurrectionis Domini celebraretur*. (2) Quod de-

(1) Auctor Anonymus apud Eusebium lib. 5. cap. 28. Victorem dicit *tertium decimum a Petro Romanæ Urbis Episcopum fuisse*. Tali modo neque S. Petrum numerat, neque Cletum distinguit ab Anacleto.

(2) Apud Lab. tom. 1. Conc. pag. 600.

Victoris sententiam ratam esse jussit Concilium Nicænum Oecumenicum I. anno 325. & controversiam de die legitimo celebrandi Paschæ sustulit, damnatis Quartadecimanis Pascha celebrantibus more Judæorum. Id patet ex epistola Magni Constantini ad Episcopos absentes de decretis in Concilio, apud Theodoretum lib. 1. Hist. Eccl. cap. 10. & apud Eusebium de vita Constantini cap. 16. 17. 18. In ea Imperator æquitatem decreti a Nicænis Patribus sanciti confirmat tribus rationibus. Primum quia dedecet, Christianos communicare cum Judæis Christi interfectoribus: deinde quia decet, solemne Paschæ festum uno eodemque die ubique coli: postremo quia fieri posset, ut Judæorum more Pascha celebrantes altero anno duplex, altero nullum peragerent. *Nam illi*, ut ait Bellarminus lib. 3. de cultu Sanctorum cap. 12. *non observabant æquinoctium, sed solum menses XII. Lunares, & celebrabant Pascha XIV. Luna mensis primi, non curantes, si illa decima quarta esset ante Æquinoctium, vel post. Itaque interdum accidebat, ut uno an-*

no

decretum cum alia Concilia Palæstinum, Ponticum, Gallicum, Osroenum recepissent, Polycrates Ephesiorum Episcopus, celebrato ex Præsulibus Asiæ Minoris conventu, rejectum ab Ecclesia Romana, aliisque Judaicum morem celebrandi Pascha Luna XIV. Martii, in quemcumque hebdomadæ diem incideret, mordicus tenere perseveravit. Tum Victor Asianos decreto ab se promulgato obtemperare detrectantes, acceptamque ab Joanne Euangelista traditionem pertinaciæ suæ obtendentes, tantum non ab Ecclesiæ communione submovit. Initum enim de illis anathematizandis consilium hortatu & suasione Irenæi Lugdunensis abjecit, nec processit ultra minas. (3) Idem habito Ro-

no celebrarent Pascha post Æquinoctium, & anno sequenti ante Æquinoctium, & proinde bis in uno anno.

Leo vero Magnus in Epistola 94. alias 64. ad Marcianum Imperatorem dicit, eam curam Patriarchæ Alexandrino, tamquam Primati Ægypriorum Astronomiæ peritorum, fuisse a Synodo Nicæna demandatam, ut quotannis Plenilunium Martii inquireret, & Dominicum diem agendo Paschæ festo præstitueret, eaque de re summum Pontificem faceret certiorem. Pontifex acceptis litteris Episcopi Alexandrini, Paschales epistolas mitteret ad Catholicos totius Orbis Antistites, ut sacro Epiphaniæ aut Natali Christi Domini die Diaconi constitutum Paschæ celebrando Dominicum diem inter Missarum solemnia indicerent populo.

Patriarchæ Alexandrini tamdiu hoc munere functi sunt, quamdiu stetit in Ægypto Christi Fides. Ut autem illi memoratam computationem inire facilius possent, magna diligentia & studio constitutus est a Patribus Nicænis ille undeviginti annorum numerus, qui *Aureus* dicitur, ut ab eo normam aliquam & mensuram acciperet Calculus Paschalis. Et quidem *Aureo* numero usa est Ecclesia usque ad annum 1582. quo in locum ejus *Epactam* subrogavit Gregorius XIII. qui Kalendarium emendandum curavit. Vide Baronium ad an. 325. §. 110. item ad an. 453. §. 35. & Schelstratum in Antiquitate illustrata circa Concilia dissertat. 1. cap. 3. tom. XI. Bibl. Pont. Rocaberti pag. 42.

(3) Id plenius explicavi quinta ex duodecim Dissertationibus meis, secutus Henricum Valesium in annotat. ad Eu-

Romæ Concilio *Sabellium & Noetum abdicavit, qui de divinitate in tribus personis subsistente contractionem & commixtionem personarum divulgabant; Valentinum item, qui præter ceteras ineptias corpus etiam Christi cæleste asserebat.* (4) Obiit VIII. Kal. Augusti anno Ch. 203. Pontificatus *decimo per mensem unum & dies duodeviginti* inchoato, *ideo vere victor, quia martyr pro Ecclesiastica traditione.* (5)

Bar. an. 196. §. 4. 8. An. 203. §. 1. Pag. an. 201. §. 5.

XVI.

Eusebium l. 5. Hist. Eccl. c. 24. Ludovicum Thomassinum de Festis l. 2. cap. 15. Natalem Alexandrum sæc. II. dissertat. 5. art. 5. & Vincentium Ludovicum Gotti, nunc S. R. E. Cardinalem tom. 1. Veræ Ecclesiæ cap. 17. § 1. & tom. 2. part. 1. art. 2. §. 4 Quod si quis Asiaticos Episcopos diris a Victore devotos sentire velit cum Baronio ad an. 198. §. 10. ad an. 201. §. 6. Basnagio ad an. 190. §. 10 Petro Coustant tom. 1. Epist. Rom. Pontif. pag. 99. aliisque, non repugno, dummodo cum Petro de Marca lib. 3 de Concordia cap. 9. §. 4. concedat, Victorem ab Irenæo exoratum pacem illis statim restituisse. Eusebius enim lib. 5. cap. 24. quamvis haud ita aperte, ut verba ejus non possint aliter exponi, Socrates lib. 5. cap. 21. Epiphanius hær. 70. §. 9. & Libellus Synodicus apud Labbeum tom. 1. Conc. pag. 599. de anathemate inflicto, de Irenæi epistola, & *Pacificatum* intermissione testantur. Firmilianus vero epist. 75. inter Cyprianicas, Sozomenus lib. 7. cap. 19. S. Anatolius Alexandrinus in Canone Paschali apud Bucherium De doctrina Temporum pag. 445. & S. Hieronymus de Script. Eccl. cap. 35. pacem inter utramque Ecclesiam semper servatam, susceptumque duntaxat, non perfectum de Asianis anathematizandis consilium tradunt. *Quod aliter contingere non potuit, nisi suspenso a Victore excommunicationis effectu post monita Irenæi*, ut concludit Petrus de Marca.

(4) Labbeus ex Libello Synodico, tom. 1. Conc. pag. 602. Vide annotat. 2. ad S. Hyginum.

(5) Nicolaus I. epist. 9. apud Lab. tom. 8. Conc. pag. 341.

Victori hæreseos nota inusta olim est, quasi docuisset Christum esse purum hominem, referente Eusebio lib. 5. Hist. Eccl. cap. 28. At quam id temere factum sit, ostendit Eusebius ipse eodem capite subjiciens, *Theodotum Coriarium* erroris illius architectum *per Victorem a communione Ecclesiæ ejectum fuisse*.

XVI.

S. ZEPHYRINUS.

ANNO CHRISTI 203.

SEVERI IMPERATORIS 9.

ZEPHYRINUS Abundii filius Romanus anno 203. VI. Idus Augusti electus *Victori successit*, (1) & anno 221. VII. Kal. Septembris vita defunctus *annos & dies duodevicenos* Pontifex fuit. Pontificatus ejus anno altero quintam persecutionem Severus Imperator excitavit, tam fœda Christianorum strage, ut creditum fuerit, Antichristi tempora advenisse, & Orbis occasum appropinquare. (2) Ea sedata, egressus e latebris, in quibus

Bar. an. 203. § 1. An. 221. § 1. Pag. an. 219. §. 2.

(1) Eusebius lib. 5. Hist. Eccl. cap. 28. Vide annotat. 1. ad S. Fabianum.

(2) Eusebius lib. 6. cap. 1. *Cum Severus persecutionem adversus Ecclesias excitasset, per omnes ubique locorum Ecclesias ab Athletis pro pietate certantibus illustria sunt confecta martyria*. Et cap. 7. *Eodem tempore alius scriptor Judas decantatum illum Antichristi adventum jam tum imminere existimabat. Adeo commota tunc adversus nostros persecutio multorum animos vehementer conturbaverat.*

Perfecutio V.

Ruinartus Præfat. in Acta Martyrum §. 3. num. 44. *Sed Tertullianus in exponenda hujus persecutionis acerbitate præ ceteris excelluit, cujus occasione plura conscripsit opuscula, ex quibus loca aliquot in specimen proferimus, cum alias libri ejus integri exhibendi forent. Sic eam repræsentat in Apologetico cap.* 12. Crucibus & stipitibus imponitis Christianos .... ungulis deraditis latera Christianorum.... Cervices ponimus.... ad bestias impellimur.... ignibus urimur.... in insulas relegamur &c. *Quod ipsa etiam Christianorum sepulcra violata fuerint, conqueritur cap.* 30. *Christianos vero appellatos fuisse sarmentitios, & semaxios dicit cap.* 50. *quod* ad stipitem dimidii axis revincti sarmentorum ambitu exurerentur. *Hinc*

paul-

bus se abdiderat, constituit ut Ordinis Sacramentum publice in Ecclesia administraretur, utque Sacrificium facienti Episcopo *Sacerdotes omnes astarent*. (3) Origenem, qui Romam venerat, ut *Romanam Ecclesiam omnium antiquissimam coram videret*, comiter excepit. Non minore humanitate in Ecclesiæ communionem admisit Natalium Confessorem, Theo-

paullo post librum sic concludit : Sed hoc agite, boni præsides, meliores multo ad populum, si illis Christianos immolaveritis: cruciate, torquete, damnate, atterite nos &c. *Christianos quippe pari animo & præsides & populi insectabantur. Unde cap. 37. dixerat :* Quoties enim in Christianos desævitis, partim animis propriis, partim legibus obsequentes, partim etiam, præteritis vobis, suo jure nos inimicum vulgus invadit lapidibus & incendiis. *Ex quibus verbis observari velim, vulgi persecutiones ad cædes usque sæpius processisse, quod toties in sua dissertatione inficiatur Dodvvellus.*

Persecutio hæc Orosio lib. 7. cap. 17. est *Quinta :* Sulpicio Severo lib. 2. Hist. sacræ cap. 32. *Sexta*.

(3) Liber Pontificalis in vita hujus Pontificis.

Bona lib. 1. Rer. Liturgic. cap. 25. §. 1. *Putant nonnulli e Zephyrino Papa statutum fuisse, ut calices vitrei essent. In libro enim Pontificali sic de eo scriptum est.* Hic fecit constitutum de Ecclesia, ut patenas vitreas ministri ante Sacerdotes portarent, dum Episcopus Missam celebraret. *At hic de calicibus ne verbum quidem : extendere autem ad calices statutum de patenis, ut plerique faciunt, ego non audeo, Pontifice nihil de illis decernente : cum præsertim nos lateat, ad quem usum portarentur illæ patenæ a ministris, quas probabiliter crediderim distribuendæ potius populo communioni, quam sacrificio deservisse.*

Tertullianus De Pudicitia cap. 1. *Audio edictum esse propositum, & quidem peremtorium ; Pontifex scilicet Maximus, Episcopus Episcoporum dicit : Ego & mœchiæ & fornicationis delicta pœnitentia functis dimitto*. Edictum hoc Baronius ad an. 216. §. 4. tribuit Zephyrino. Pamelius in hunc locum Tertulliani; *Bene habet, & adnotatu dignum, ait, quod etiam jam in hæresi constitutus, & adversus Ecclesiam scribens*, Pontificem Romanum Episcopum Episcoporum *nuncupet, & infra cap.* 13. bonum pastorem & benedictum Papam, *& cap.* 21. Apostolicum. Idem de Præscriptionibus cap. 30. *Sub Episcopatu Eleutheri benedicti*.

(4)

Theodoti Coriarii hæresim, in quam lapsus fuerat, abdicantem. Proclum vero pertinacissimum illum inter Cataphrygas Montani sectatorem, a Cajo viro in primis diserto ac pio disceptando convictum damnavit, (4) anathemati simul cum eo addictis ceteris omnibus ejusdem erroris propugnatoribus, inter quos fuisse Tertullianum minime dubito. (5) Itaque manifestum est, perperam omnino recentiores Heterodoxos Montanismi ignominiam Zephyrino inurere. Secutus enim errores Montanistarum, qui teste D. Hieronymo epist. 54. *ad omne pæne delictum Ecclesiæ obserant fores*, (6) neque Natalium in hæresim lapsum acta pœnitentia in Ecclesiam recepisset; neque Montanistas ipsos anathematizasset. Nam quod ajunt, Tertullianum contra Praxeam cap. 1. scribere, Romanum Episcopum (alii Zephyrinum, alii Victorem, alii Eleutherum ab Tertulliano notari putant) approbasse falsas Montani, Priscæ, & Maximillæ Prophetias, atque Ecclesiæ pacem restituisse Montanistis, id magis ac magis ipsos premit & in angustum redigit. Non enim potuit aliter loqui hæreticus Montanista; & mos est hæreticorum errores suos Pontificibus affingere, ut in eorum auctoritate delitescentes fucum Catholicis faciant. Sic Artemonis sectatores,

Bar. an. 215. § 4.

Bar. an. 216. § 4.

C ne

(4) Eusebius lib. 5. cap. 28. & lib. 6. cap. 14. & 20.

(5) Tertullianus ipse scriptis suis Montanistam se prodit, præsertim cap. 1. De pudicitia: & gravissimi Ecclesiæ Patres testantur eum secutum esse errores Montani. Unus instar omnium S. Hieronymus De Script. Eccles. cap. 53. Tertullianus *cum usque ad mediam ætatem Presbyter Ecclesiæ mansisset, invidia postea & contumeliis Clericorum Romanæ Ecclesiæ ad Montani dogma delapsus*. Et in Apolog. adversus Ruf. lib. 3. extremo cap. 7. *In Tertulliano laudamus ingenium, sed damnamus hæresim*. Vide Baronium ad an. 201. §. 10.

(6) Idem Hieronymus eodem loco: Montanistæ *Sabellii dogma sectantes Trinitatem in unius personæ angustias cogunt. Putant scelerata, conjugia iterata. Tres in anno faciunt Quadragesimas, quasi tres passi sint Salvatores.*

ne longius abeam, Victorem, qui proximus ante Zephyrinum Pontifex fuit, secum sentire falso gloriabantur, referente Eusebio lib. 5. cap. 28. Ad extremum, si pacificas litteras, ut scribit Tertullianus, Montanistis Pontifex concessit, deceptus sanctioris vitæ specie, quam illi præ se ferebant, concessit, ac proinde non *circa fidem*, sed *circa personam* erravit, ut docet Bellarminus lib. 4. De Rom. Pont. cap. 8.

XVII.

S. CALLISTUS I.

ANNO CHRISTI 221.

ELAGABALI IMPERATORIS 2.

Bar. an. 221. §. 2. CALLISTUS Domitii filius Romanus, anno 221. postridie Kal. Septembr. Pontifex dictus
An. 226. §. 5. 6. est. Anno 226. postridie Idus Octobr. fame crucia-
Pag. an. 224. §. 2. tus, verberibus cæsus, tandem e fenestra domus, in qua custodiebatur, præceps ad terram datus, atque in puteum immersus, martyr obiit, cum *annos quinque, mensem, & dies duodecim* Romanæ Ecclesiæ præfuisset. *Hic*, ut habet Liber Pontificalis, *constituit jejunium ter in anno fieri*. (1) Ecclesiam in
Bar. ad an. 224. §. 4. & 5. honorem partus Deiparæ Virginis ædificandam curavit, quæ Ecclesia S. Mariæ trans Tiberim esse legi-

(1) Baronius ad an. 226. §. 6. mallet *quater in anno*. Nam Prophetia, quam Liber Pontificalis designat, est Zachariæ cap. 8. monentis jejunium quater in anno celebrandum esse. Ad annum vero 57. §. 6. & 7. probat, jejunium *Quatuor temporum* ex Apostolica traditione manasse, prorsus ut Callistus non auctor istius jejunii habendus sit, sed tantum moris ab Apostolis traditi confirmator. In quam sententiam plura disputat Bellarminus lib. 2. De bon. Oper. cap. 19 & Nat. Alexander dissertat. 4. Sæc. II. art. 4.

gitur in eodem libro Pontificali: in quo illud etiam de Callisto positum est, eum fecisse *Cœmeterium via Appia, ubi multi Sacerdotes & martyres requiescunt, quod appellatur usque in hodiernum diem Cœmeterium Callisti*: cujus Cœmeterii mentio sæpe fit in Actis Sanctorum, qui in ipsum illati sunt. (2)

C 2 XVIII.

(2) Paulus Aringhus Romæ Subterraneæ lib. 3. cap. 11. §. 1. *Callistus Pontifex, non quidem, ut nonnulli perperam arbitrantur, Cœmeterium hoc extruxit, sed potius instauravit*. Et §. 20. addit, centum septuaginta quatuor millium Martyrum, & sex & quadraginta Pontificum *exuviis nobilitatum*.

Cœmeteria tria supra quadraginta recenset Baronius ad an. 226. §. 9. item Panvinius De ritu sepeliendi mortuos apud veteres Christianos, & eorumdem Cœmeteriis cap. 12. Modo *Areæ, interdum Tumbæ*, & *Catatumbæ*, seu *Catacumbæ*, referente Baronio in Martyrolog. Rom. ad XIII. Kal. Februarii, ac demum ex natura loci *Cryptæ Arenariæ* dici consueverunt, sed frequentius *Cœmeteria*, quod credimus, Christianos non mori, sed rursus excitandos interea in Domino obdormire. Nam κοιμητήριον Græce, Latine *Dormitorium* est. In subterraneis hisce locis non solum Christianorum Corpora unguentis delibuta & aromatibus condita sepeliebantur; sed etiam conventus & synaxes Dominicis diebus, præsertim sæviente persecutione, celebrabantur. S. Hieronymus in Ezechiel. cap. 40. *Dum essem Romæ puer, & liberalibus studiis erudirer, solebam cum ceteris ejusdem ætatis & propositi diebus Dominicis sepulcra Apostolorum & Martyrum circumire, Cryptas ingredi, quæ in terrarum profunda defossæ, ex utraque parte ingredientium per parietes habent corpora sepultorum, & ita obscura sunt omnia, ut propemodum illud Propheticum impleatur:* Descendant in infernum viventes *: & raro desuper lumen admissum horrorem temperet tenebrarum, ut non tam fenestram, quam foramen demissi luminis putes, rursumque pedetentim acceditur, & cæca nocte circumdatis illud Virgilianum proponitur:*

Horror ubique animos, simul ipsa silentia terrent. *Cessarunt autem Fidelium studia in Cœmeteriis adeundis*, subjicit Baronius ad an. cit. §. 11. *postquam ea, quæ ibi sita erant, corpora Sanctorum martyrum intra Urbem sunt delata, & in diversis Ecclesiis honorificentius collocata*. Memoratus Panvinius cap. 11. *In Cœmeteriis Romæ existentibus Baptismum & Missas celebrare, vigilias decantare, ordinationes & stationes, id est omnes sacras ceremonias habere, veteres solitos fuisse, docent antiquissima Ecclesiastica monumenta*.

XVIII.

S. URBANUS I.

ANNO CHRISTI 226.

ALEXANDRI IMPERATORIS 3.

Bar. ad an. 226. §. 12. & 232. §. 11. & 233. § 1. 4. Pag. an. 231. §. 2.

URBANUS Pontiani filius Romanus XII. Kal. Novembris anno 226. cooptatus est. Is fecisse *ministeria omnia argentea* traditur in Libro Pontificali. (1) S. Cæciliam una cum sponso Valeriano, fratremque Valeriani Tiburtium, & Maximum cubiculo Imperatoris Præfectum, non modo ad religionem Christianam convertit, sed etiam ad Martyrium pro Christo subeundum suis hortationibus perduxit. Ipse quoque capite obtruncato ad Christi fidem testandam occubuit anno 233. VIII. Kal. Junias, cum *annos sex, menses septem, & dies quatuor* Romanam Ecclesiam gubernasset. Hunc instituisse Sacramentum Confirmationis dicunt Heterodoxi recentiores: qua in re mentiuntur impudentissime. Tanto enim antiquior Urbano est Confirmatio, quanto ante eum Christus Dominus & Apostoli vixerunt.

XIX.

(1) *Non tamen hinc inferendum, ut quidam perperam faciunt, tunc primum ex argento cusos calices fuisse. Nam liber Pontificalis refert, quid ille fecerit, quid vero ab aliis ante ipsum factum sit, & quibus vasis usi sint, non dicit*: Bona lib. 1 Rer. Liturgic. cap. 25. §. 2.

Mabillonius Comment. in Ord. Rom. cap. 6. pag. 46. tom. 2. Musei Italici: *Unum hic addere lubet de vasis sacris Basilicæ Vaticanæ, de quibus fit mentio apud Orosium, qui de Romanæ Urbis direptione per Alaricum facta agens* lib. 7. cap. 39. *ait, militem Arianum vasa sacra extorquere voluisse a virgine quadam, cui commissa erant.* Tum expositis opibus, attonitum fuisse barbarum magnitudine, pondere, pulcritudine, ignota etiam vasorum qualitate. *Cui virgo illa dixit:* Hæc Petri Apostoli ministeria sunt.

XIX.

S. PONTIANUS.

ANNO CHRISTI 233.

ALEXANDRI IMPERATORIS 10.

PONTIANUS Calpurnii filius Romanus anno 233. ante diem VIII. Kal. Julii Pontifex declaratus est. Hunc non tam Christianæ religionis, quam objecti falsi criminis caussa, una cum Hippolyto Presbytero in Buccinam insulam Alexander Imperator relegavit. (1) Id ut magis credam, facit ejusdem Principis animus a Christianis minime alienus, ejusque familia Christianis referta. Verum Alexandro e vivis sublato, Maximinus, qui post ipsum tenuit Imperium, *gravi odio succensus adversus familiam Alexandri, in qua plerique erant Christiani, persecutione excitata solos Ecclesiarum Antistites, utpote Euangelicæ prædicationis auctores, interfici jussit.* (2) Hæc sexta est, & ab summo totius Ec-

Bar. an. 233. §. 4.
Bar. ad an. 237. §. 1.10.
Pag. an. 235. §. 5.

C 3 cle-

(1) Buccina insula adjacet Sardiniæ ad oram Orientalem, & indigenis dicitur *Isola del Tavolato.*

(2) Eusebius lib. 6. Hist. Eccl. cap. 28.

Baronius ad an. 237. §. 5. *Sextam hanc Orosius, & Augustinus persecutionem appellant: at licet brevis, vehemens tamen fuit atque sæva: non modo enim Præsules, sed & clericos Ecclesiarum a Maximino vexatos Severus tradit* lib. 2. Hist. sacræ cap. 32. ubi tamen hanc inter Ecclesiæ persecutiones non recenset.

Ruinartus Præfat. in Acta Martyrum §. 3. num. 49. *Porro etsi, teste Eusebio,* solos Ecclesiarum Antistites *interfici Maximinus jusserit, ita tamen in aliquibus provinciis grassabatur ista persecutio, ut ceteri etiam Christiani ad necem raperentur. Id in Cappadocia sub Sereniano præside contigisse certo discimus ex S. Firmiliani epistola ad S. Cyprianum, quæ est inter Cy-*

Persecutio VI.

pria-

clesiæ Antistite initium sumsit. Eodem siquidem anno 237. XIII. Kal. Decembris Pontianus, Maximini jussu virgis usque ad necem cæsus, diem explevit supremum *anno quarto, mense quarto, die quinto & vicesimo*, quam Pontificatum susceperat. Ejus corpus Romam translatum in Cœmeterio Callisti sepultum est. (3)

XX.

S. ANTERUS.

ANNO CHRISTI 237.

MAXIMINI IMPERATORIS 1.

ANTERUS Græcus Romuli filius, *mortuo Pontiano, Ecclesiæ Romanæ administrationem suscepit.*
Bar. ad an. 237. § 11. (1) Neque enim credendum iis, qui ex subditiis Actis Divæ Ursulæ *Cyriacum* quemdam Pontiano surrogant, & per annum Ecclesiam administrasse

priankas 75.....Hanc persecutionem triennio integro, quo Maximinus imperavit, perdurasse innuit Eusebius lib. 6 cap. 28. diserteque affirmat Rufinus lib. 6. Historiæ cap. 19. Tribus annis a Maximino persecutione commota, in quibus finem & persecutionis fecit, & vitæ. *Hanc tamen vix unico anno sævisse contendit Dodwellus, sed perperam, ut egregie probat doctissimus Antonius Pagius ad an. 235. & 238* Tam *vero* crudelis fuit *Maximinus*, ut, *Julio Capitolino teste*, illum alii Cyclopem, alii Busiridem, alii Scironem, nonnulli Phalarim, multi Typhonem vel Gygem vocarent.

(3) Bona lib. 2. Rer. Liturgic. cap. 2. §. 5. *Confessionem, qua nunc utitur Romana Ecclesia, Pontianum Papam sive Damasum instituisse ajunt plerique recentiores, quorum assertio sine legitimo teste nullius apud me ponderis est. Non dubito quin aliqua formula generalis Confessionis antiquissima sit & Apostolicæ Traditionis, sed hanc specialem, quæ hodie in usu est, Pontiano vel Damaso assignare, tacentibus hac de re priscis scriptoribus, non audeo.*

(1) Eusebius lib. 6. Hist. Eccl. cap. 29.

se existimant. De eo siquidem neque Græci, neque Latini scriptores, summorum Pontificum seriem contexentes, meminerunt. (2) Anterus itaque in Pontiani locum anno 237. III. Nonas Decembris sublectus est. Is Acta martyrum, quæ a notariis excipi & scriptis fideliter mandari Clemens jusserat, ab iisdem diligenter exquisivit, ac ne interirent, neve ab Ethnicis corrumperentur, in Ecclesiæ tabulario voluit reponi. Quamobrem a quodam Maximo Præfecto ad mortem datus est III. Nonas Januarii anni insequentis, cum vix *mensem* Pontificatus explesset. Ad an. 238. §. 1. 2. Pag. 236. §. 2.

XXI.

S. FABIANUS.

ANNO CHRISTI 238.

MAXIMINI IMPERATORIS 2.

FABIANO Fabii filio Romano XVII. Kal. Februarii anno 238. Pontificatus honos mandatus est, quod columba, symbolum videlicet Spiritus Sancti, suspensis demissa leniter alis capiti ejus insedisset. (1) Hic septem Notariis, quibus ab S. Clemente fuerat imperatum, ut acta martyrum conficerent, totidem Subdiaconos præfecit, ut quæ illi per notas excepissent, clare distincteque describenda curarent. Urbis regiones distribuit septem Diaconis, qui gererent curam pauperum, singulis singulas binasve assignans. (2) Septem Bar. ad an. 238. §. 6. Pag. an. 236. §. 4. Bar. ad an. 112. § 9.

C 4

(2) Vide Launojum lib. 4. epist. 8. num. 16. & seqq.

(1) Eusebius lib. 6. Hist. Eccl. cap. 29.

Rufinus lib. 6. Hist. cap. 21. *Quod alii super hujus, alii super Zephyrini nomine gestum tradunt.*

(2) Primus Ordo Romanus apud Mabillonium tom. 2.

Mu-

ptem enim sunt secundum Ecclesiasticam divisionem, quatuordecim secundum divisionem civilem Augusti. Varia etiam ædificia in Cœmeteriis extruxit, & latam in Africano Concilio sententiam adversus *Privatum veterem hæreticum in Lambesitana colonia* confirmavit. (3) Persecutione septima adversus Christianos indicta a Decio, (4) qui Impe-

Musei Italici pag. 3. *Primo omnium observandum est, septem esse regiones Ecclesiastici Ordinis Urbis Romæ; & unaquæque regio singulos habet Diaconos regionarios*. Hi principio septem tantummodo erant pro numero septem regionum Ecclesiasticarum. Postea a tempore Honorii II. fuerunt duodeviginti, tandem viginti. Ex his alii *Regionarii* dicebantur numero duodecim, alii *Palatini* numero sex, præfecti *Regionariis*. Hinc Cencius in Ordine Romano apud eumdem Mabillonium pag. 137. decem & octo esse in Urbe Diaconatus seu Diaconias scribit. In Diaconiis erant nosocomia, & pauperum diversoria, ubi viduæ aliique egentes alebantur Ecclesiastica stipe. Cuilibet diversorio adjuncta erat Ecclesia. Temporum progressu in collegia Clericorum mutatæ sunt hujusmodi Diaconiæ, & reditus adeo diminuti, ut nihil opis ferant pauperibus, in quorum gratiam fuerunt primitus institutæ. Nunc appellantur Tituli Diaconorum Cardinalium. Hæc ex Mabillonio cap. 3. Comment. in Ordinem Romanum pag. 17.

(3) S. Cyprianus epist. 55.

(4) Orosius lib. 7. cap. 21. *Idem* (Decius) *continuo* (*in* Persecutio VII. *quo se etiam ob hoc Philippos interfecisse docuit*) *ad persequendos interficiendosque Christianos septimus post Neronem feralia dispersit edicta, plurimosque Sanctorum ad coronas de suis crucibus misit*. Sulpicius Severus l. 2. Hist. Sacræ cap. 32. *Decio imperante, jam tum septima persecutione sævitum in Christianos*: quam fuisse atrocissimam, omnes consentiunt. Lactantius de mortibus persecutorum cap. 4. *Exstitit post annos plurimos execrabile animal* Decius, *qui vexaret Ecclesiam. Et quasi hujus rei gratia provectus esset ad illud principale fastigium, furere protinus contra Deum cœpit, ut protinus caderet*. S. Optatus lib 3. §. 8. *Quod bellum persecutio dicitur; quæ operata est sub duabus bestiis ex illis quatuor, quas Daniel de mari ascendentes aspexit. Prima fuit ut Leo: hæc erat persecutio sub Decio & Valeriano. Secunda ut Ursus; alia persecutio, quæ fuit sub Diocletiano, & Maximiano: quo tempore fuerunt &* im-

perium occupavit post interemtum Philippum, una cum filio *primum de Regibus Romanis Christianum*, (5) *Fabianus Romæ martyrium pertulit* (6) anno 253. XIII. Kal. Februarii, eoque *pro integritate administrationis ejus consummatio quoque honesta processit*. (7) Pontifex fuit *annos quindecim & dies quatuor*. Bar. an. 253. §. 5. Pag. an. 251. §. 3.

XXII.

impii judices bellum Christiano nomini inferentes. Certe tanta fuit, Decio sæviente in Christianos, perturbatio, ut putarent, referente Dionysio Alexandrino apud Eusebium l. 6. c. 41. tempus advenisse a Christo Domino prænunciatum, *quo ipsi etiam electi, si fieri posset, scandalum paterentur*. Verum, ut ait S. Cyprianus epist. 8. *inexpugnabilem fidem superare non potuit sæviens diu plaga repetita, quamvis rupta compage viscerum, torquerentur in servis Dei jam non membra, sed vulnera*.

(5) Hieronymus De Script. Eccl. cap. 54.

Philippus Imperator a Fabiano baptizatus est, si qua fides habenda vetustissimis S. Pontii actis apud Bollandum ad diem XIV. Maji, & Eusebio, qui lib. 6. Hist. Eccl. cap. 34. scriptum reliquit, Philippum Imperatorem *Christianum* fuisse. His certe fidem adjunxit suam Baronius ad an. 246. §. 5. Huetius lib. 1. Origenianorum cap. 3. §. 12. Bona lib. 1. Rer. Liturg. cap. 19. Bollandus 20. Jan. §. 12. 19. pag. 253. Tillemontius annotat. 1. in Philippum Imperatorem tom. 3. pag. 494. qui Eusebio, & Actis S. Pontii addunt Vincentium Lirinensem cap. 17. Commonitorii, Chrysostomum in Orat. de S. Babyla, JornandemDe rebus Geticis cap. 16. Orosium lib. 7. cap. 13. & 18. Martyrologia Romanum, Usuardi, & Adonis, quæ pridie Idus Majas S. Pontii Martyris prædicatione & industria duos Philippos Cæsares Patrem & filium ad Christi fidem conversos memorant.

Pagius uterque, alter ad an. 244. §. 4. alter in vita Fabiani, & alii contendunt, primum ex Romanis Imperatoribus nomen Christo dedisse Constantinum Magnum. At Huetius respondet, hunc fuisse primum, qui Christi fidem palam profiteretur, Philippum vero seu a Fabiano, seu a Babyla Episcopo Antiocheno occulte imbutum præceptis Christianæ Fidei clam Ethnicos veri Dei cultorem fuisse.

(6) Eusebius lib. 6. Hist. Eccl. cap. 39.

(7) S. Cyprianus epist. 3.

XXII.

S. CORNELIUS.

ANNO CHRISTI 254.

DECII IMPERATORIS 2.

POST *excessum nobilissimæ memoriæ viri Fabiani* non statim *est Episcopus propter rerum & temporum difficultates constitutus*. (1) Sexdecim amplius menses interregnum fuit, initum ab Romano Clero, qui, Decio sæviente in Christianos, Pontifici creando convenire non poterat. Difficillimo hoc tempore cum multi in Idololatriam laberentur, ea inter Lapsos, & Clerum Romanum consentientem Cypriano, & sociis ejus orta controversia est: *An cum Lapsis in Deciana persecutione, nulla pœnitentia expiatis esset communicandum*. (2) Id Lapsi com-plu-

Bar. ad an. 251. §. 20. 33. 34. 37.

(1) Clerus Romanus epist. 31. inter Epistolas S. Cypriani.

(2) Lapsi appellabantur, qui tempore persecutionis defecerant ab Catholica Fide. Horum genera varia. Alii dicebantur *Sacrificati*, qui Idolis sacrificassent, aut gustassent Idolothyta: alii *Turificati*, qui adolevissent Diis tura: alii *Idololatræ*, qui cultum aliquem iis exhibuissent: alii *Libellatici*, de quibus variant auctores. *Opinati sunt Rigaltius in notis ad epist. XIV. & XXXI. Cypriani, & Natalis Alexander tom. 2. pag. 635. Libellaticos dici eos, qui, numerata judici pecunia, libellum securitatis accipiebant, sicque a se & impositam sacrificandi legem, & intentatas reluctantibus pœnas redimebant. Existimat auctor Annalium Cyprianicorum pag. 17. Libellaticos* actis publice habitis coram magistratibus Christum negasse. *S. Augustinus Libellaticos interpretatur eos*, qui tempore persecutionis per libellos, se turificatos, professi erant, *lib. 4. de Bapt. num. 6. Negat Baronius ad an. 253. Libellaticos inde dictos, quod libellos dedissent, sed quod accepissent, at Christum ab illis negatum fuisse contendis. Dubitas*

plures pertinaciter contendebant, & multitudine sua freti impetrare annitebantur. Non omnes tamen eo impudentiæ devenerant, ut reconciliationem flagitarent sine prætextu. Martyrum libellis muniti illam veluti sibi debitam ab Episcopis postulabant: ni obtinerent, Martyres contemtos conquerebantur. (3) At S. Cyprianus & Clerus Romanus prisci juris retinentes, legitimam & consue-

bitat Tillemontius tom. 3. not. 3. In persecutionem Decii, utrum libellos dederint, an acceperint: dedisse & accepisse suspicatur, idemque sensisse probat eruditum auctorem libri de frequenti Communione. Multi alii Libellaticos ex datis libellis dictos existimant, velut Bosquetus lib. 3. Eccles. Gallic. pag. 132. nonnulli etiam in actis publicis scripsisse volunt. Cum hæc sententiarum varietas conjiciendi & investigandi libertatem relinquat; quid mihi videatur, exponere non verebor. Existimo itaque Libellaticos nec voce nec scripto impie quidquam aut facturos promisisse, aut a se factum declarasse; sed idcirco vituperatos & justæ pœnitentiæ addictos fuisse, quod securitatis libellos a magistratibus impetrassent ea lege & conditione, ut in actis publicis scriberetur, eos sacrificasse, & Christum negasse, quamvis neutrum commisissent. Hæc Monachus S. Mauri in vita S. Cypriani præposita operibus ejusdem S. Cypriani §. 6. Tandem alii post impia Diocletiani edicta vocati sunt *Traditores*, ii nimirum, qui suppliciorum metu vasa sacra, libros sacros, sacramque Ecclesiæ supellectilem Ethnicis magistratibus tradidissent. S. Augustinus lib. 7. De Baptismo cap. 2. Baronius ad an. 302. §. 22. Prosper Cardinalis de Lambertinis lib. 1. De Servorum Dei beatificatione, & Beatorum Canonizatione cap. 2.

(3) Quemadmodum qui persecutione sæviente Catholicam fidem deseruissent, ita qui forti animo essent professi, variis nominibus appellati sunt. *Martyres*, qui constanter tulissent supplicia, quamvis vitam non amisissent, cum tormentis lacerarentur. *Confessores*, qui detenti in carcere nondum fuissent suppliciis affecti. In quorum numero erant etiam *Extorres*, qui ne Christum negarent, neve per ipsos Catholica religio jacturam aliquam pateretur, dimissis bonis omnibus solum mutassent; quæ facti potius, quam verborum confessio videbatur. *Professores* demum, qui sua sponte sævis insectatoribus obtulissent se se. Baronius ad an. 253. §. 54. & 67. item ad an. 286. §. 6. Lambertinus loco citato.

suetam pœnitentiam, antequam reconciliarentur, Lapsos subire jusserunt, donec sedata persecutione Concilium celebraretur rei maturius discutiendæ. Lapsis conditionem recusantibus, ad Schisma averruncandum ita provisum est; ut illis, qui haberent libellos Martyrum, constitutis in periculo mortis absolutio concederetur. (4) Nondum plane tranquillatis Romæ rebus, anno 254. Cornelius Castini filius Romanus *vim passus est, ut Episcopatum coactus exciperet. Et factus est Episcopus a plurimis collegis nostris, qui tunc in Urbe Roma aderant. Factus est autem Cornelius Episcopus de Dei, & Christi ejus judicio, de Clericorum pœne omnium testimonio, de plebis, quæ tunc affuit, suffragio; & de Sacerdotum antiquorum & bonorum virorum collegio, cum nemo ante se factus esset, cum Fabiani locus, id est cum locus Petri & gradus cathedræ Sacerdotalis vacaret.* (5) Nihilominus Cornelium, tamquam vitio creatum,

Par. an. 254. §. 41. 42. 61. 67. 90. Pag. an. 251. §. 19.

(4) De hac controversia est Natalis Alexandri dissertatio secunda in Hist. Eccl. sæc. III.

(5) Sunt verba S. Cypriani epist. 52. *Ex quibus sane*, quemadmodum Baronius dicit ad an. 254. § 44. *qualiter fieri soleret olim Romani Pontificis electio (cujus ritus, obortis sæpe schismatibus, sæpius mutari contigit, ut omnis temeritati aditus præclusus undique foret) expressum satis habetur: nimirum quod præcedere soleret judicium atque suffragium, Deo, quem vellet eligi, signo aliquo admonente, Apostolico more. Qui igitur videretur Dei judicio prælectus, coacto Presbyterio (hoc enim nomine tunc sacra illa comitia dicebantur) rogabantur singulorum sententiæ: eorum itidem vota & testimonium explorabatur, qui plebis totius vicem repræsentarent. Admittebantur æque ad eadem comitia, si qui aderant in Urbe Episcopi cum prærogativa suffragii. Quæ omnia acta esse in electione Cornelii, quæ ex Cypriano recitatæ sunt, aperte declarant.*

Aderant tunc in Urbe Episcopi sexdecim, ut ipse scribit ad Antonianum epist. 52. Id quod tradit etiam S. Pacianus epist. 3. contra tractatus Novatianorum tom. 4 Bibl. Patr. pag. 310. *Cornelius jam Romæ Episcopus a sexdecim Episcopis factus, locum cathedræ vacantis acceperat.*

Hæc

tum, calumniatus est Novatianus Romanus Presbyter, instigante Novato Presbytero Carthaginiensi, idque tam vafre ac malitiose, ut nonnullos ex Confessoribus traheret in partes suas, ac per tres Episcopos qua fraude, qua vi compulsos Episcopus Romanus clam ordinatus primum in Ecclesia Romana schisma excitaret. (6) Eam ob rem Cor- Euseb. l. 6. c. 43.
ne-

Hæc Romani Pontificis creandi ratio tenuit usque ad sæculum XI. Cum enim Clerus numero crevisset, ad tollendas turbas, quæ solent existere ex multitudine, jus suffragii datum est solis primariis Presbyteris, & solis Episcopis Urbi proximis, qui Cardinales vocabantur. Itaque hodierna eligendi Pontificis ratio non discrepat ab antiqua. Siquidem Cardinales Cleri nobilissimi vicem sustinent, & inter ipsos semper numerantur Episcopi, qui ab Urbe propius absunt. Vide Bellarminum lib. 1. de Clericis cap. 10. & 16. Mabillonium comment. in Ordinem Romanum cap. 17. tom 2. Musei Italici pag. 110 & annotat. 5. ad Nicolaum II. & annotat. 6. ad Alexandrum III.

(6) Novatianus schismati adjunxit hæresim, Ecclesiam non habere potestatem dandi veniam Lapsis in persecutione, neque iis, qui post baptismum admisissent peccatum grave. Est hic præcipuus error Novatianorum, qui ab Novatiano, non ab Novato ita denominati sunt. Quod cum Græcis scriptoribus haud satis compertum esset, Novatianum posuerunt pro Novato, & vice versa, ut nominibus, ita erroribus confusis. Novatianus Sixto II. Pontifice Romæ interfectus, per annos ferme ducentos in Episcopatu successores habuit usque ad Cælestinum I. qui *Rusticulam Novatianorum Episcopum clam in privatis ædibus plebem colligere compulit*, ut ait Socrates lib. 7. cap. 11. Vide Baronium ad an. 254. §. 62. & 104.

S. Isidorus Hispalensis lib. 8. Originum cap. 3. *Schisma a scissura animorum nomen accepit. Eodem enim cultu, eodemque ritu credit ut ceteri, solo congregationis delectatur dissidio.* S. Augustinus contra Gaudentium lib. 2. cap. 9 *Cum Schismaticus sit sacrilega discessione, & hæreticus sacrilego dogmate.* Idem De Fide & Symbolo cap. 10 *Hæretici de Deo falsa sentiendo ipsam fidem violant, Schismatici autem dissensionibus iniquis a fraterna caritate dissiliunt, quamvis ea credant, quæ credimus. Quapropter nec Hæretici pertinent ad Ecclesiam Catholicam, quæ diligit Deum, nec Schismatici, quoniam diligit proximum.* Vide D. Thomam 2. 2. quæst. 39. art. 1.

nelius, sexaginta Episcoporum Concilio Romam convocato, Novatianum ejusque sectatores anathemate damnavit, & Confessores, qui lapsi fuerant, ad reconciliationem & pœnitentiam admittendos esse decrevit. Aliam præterea habuit Romæ Synodum, in qua Lapsorum caussa finita est, ac statutum, ut ii extra mortis periculum, nonnisi peracta diuturna pœnitentia, reciperentur in communionem. Eumdem Pontificem e catacumbis transtulisse corpora Sanctorum Petri & Pauli narrat auctor Libri Pontificalis: (7) subditque ad extremum exulasse Centumcellis, & plumbatis os ejus contusum Decii jussu. (8) Sed illud præcipue dignum admiratione, quod vere prædicat S. Cyprianus, eum *sedisse intrepidum Romæ in Sacerdotali cathedra, eo tempore, cum tyrannus infestus* Decius *Sacerdotibus Dei fanda atque infanda comminaretur, cum multo patientius & tolerabilius audiret levari adversus se æmulum Principem, quam constitui Romæ Dei Sacerdotem*. Itaque constantia, sanctitate, & martyrii gloria clarus occubuit XVIII. Kal. Octobris anno Christi 255. *biennio* Pontificatus nondum expleto.

Bar. an. 255. §. 2. 3. 49. 58. Pag. an. 252. §. 13.

Epist. 52.

XXIII.

(7) Hæc translatio incerta est Baronio ad an. 221. §. 3. Pagio ad eumd. an. §. 3. & Blanchino in notis ad Anastasium Bibliothecarium tom. 2. pag 205.

(8) *Erat id genus tormentorum quasi flagellum ex funiculis, in quarum summitatibus glandes plumbeæ erant impactæ*. Baronius ad Martyrolog. Rom. die 6. Junii, & Gallonius de martyrum cruciatibus pag. 204.

XXIII.

S. LUCIUS I.

ANNO CHRISTI 255.

GALLI ET VOLUSIANI IMPERATOR. 2.

CORNELIO *ob Christum martyrio coronato successit Lucius* (1) Porphyrii filius Romanus anno 255. XIII. Kal. Novembr. Ei & Pontificiam dignitatem, & reversionem ab exilio, quo affectus est Pontificatu vix inito, gratulatur D. Cyprianus epist. 58. Idemque epist. 67. scribit, ejus perinde, ac decessoris Cornelii, studium enituisse adversus Hæreticos Novatianos. Ita enim loquitur de utroque: *Illi pleni spiritu Dei, & in gloriosa martyrio constituti, dandam esse Lapsis pacem censuerunt, & pœnitentia acta, fructum communicationis & pacis negandum non esse, litteris suis signaverunt.* In Libro Pontificali legitur statutum ab Lucio, ut duo Presbyteri & Diaconi tres Episcopum usque comitarentur, testes vitæ ejus & actionum. (2) Cujus decreti sanciendi caussam dedisse putantur calumniæ in Cornelium confictæ a Novatiano. *Cum annum unum, menses quatuor & dies duodecim* in Pontificatu vixisset,

Bar. ad an. 255. §. 64. Pag. an. 252. §. 14.

Bar. an. 257. §. 4. 5. Pag. an. 253. §. 3.

(1) S. Hieronymus De Script. Eccl. extremo cap. 66.

(2) Quemadmodum Euaristus cavit, ut septem Diaconi *custodirent Episcopum prædicantem, propter stylum veritatis*, testimonium scilicet veræ ac sanæ prædicatæ ab eo doctrinæ; ita Lucius duos Presbyteros, & Diaconos tres Episcopo comites adjunxit *propter testimonium Ecclesiasticum*, ut nimirum de vita ejus ac moribus respondere malevolis ac testari possent. Nam *propter malevolos, juxta Apostolum, oportet Episcopum & testimonium habere bonum ab iis, qui foris sunt*, ut est in capite *Jubemus* 60. de consecrat. dist. 1. ubi hoc Lucii decretum recitatur & exponitur.

set, anno 257. IV. Nonas Martii confectus cruciatibus vitam posuit.

XXIV.

S. STEPHANUS I.

ANNO CHRISTI 257.

GALLI ET VOLUSIANI IMPERATOR. 4.

Bar. an. 257. §. 6. STEPHANUS Julii seu Jobii filius, Romanus, qui Pontificibus Cornelio & Lucio Romanæ Ecclesiæ Archidiaconus fuerat, *vicarius & successor eorum factus est* (1) anno 257. V. Idus Martii. Est in Libro Pontificali, eum decrevisse, ut Sacerdotes & Levitæ vestibus sacris uterentur in Ecclesia tantum. Eumdem *Syriarum provinciis & Arabiæ identidem necessaria suppeditasse*, testatur Dionysius Alexandrinus apud Eusebium lib. 7. cap. 5.
Bar. an. 258. §. 11. 38 52. (2) Eodem gerente Pontificatum, agitata est controversia: *Num qui ab Hereticis baptizati erant, cum ad*

(1) Cyprianus epist. 67.
Bellarminus De Rom. Pont. lib. 2. cap. 17. *Vicarius Petri dicitur summus Pontifex, quoniam S. Petrus adhuc vivit, & gubernacula Ecclesiæ non reliquit, ut ait S. Leo serm. 2.* de anniversario assumtionis suæ. Baronius ad an. 740. §. 4. in margine *Sic usurpatur improprie vox ista* Vicarius, *usu loquendi illius temporis, quod loco Petri Christi vicem Papa gerat in terris*. Et ad an. 880. §. 16. recitat epistolam Joannis VIII. qui vocat se *Vicarium B. Petri*. Vide Petri Coustant Præfationem tom. 1. Epist. Rom. Pont. part. 1. §. 12. 13. 14. & Indicem rerum memorabilium, quæ in tomis Conciliorum Harduini continentur, tom. XI. pag. 1392.

(2) Servato scilicet more instituroque Romanorum, quem idem Eusebius l. 4. cap. 23. ab ipso Christianæ religionis exordio ad suam usque ætatem *perpetuo custoditum* scribit, ut *Ecclesiis plurimis* etiam remotis *necessaria vitæ subsidia transmitterentur*. Eamdem ob caussam S. Soter commendatur ab Dionysio Episcopo Corinthiorum.

ad Catholicam Ecclesiam se conferrent, essent denuo baptizandi. S. Cyprianus Carthaginiensium Episcopus cum Africanis, & Firmilianus Cæsareæ in Cappadocia Antistes cum plurimis Episcopis Orientalibus, collatum ab hæreticis baptisma iterandum esse, non modo affirmarunt, sed etiam habitis in Africa, & Asia Conciliis confirmarunt. (3) *Stephanus nihil adversus traditionem, quæ jam inde ab ultimis temporibus obtinuerat, innovandum ratus, gravissime id tulit*. Ea sola traditione fretus illis obstitit fortiter, nulloque inflicto anathemate omnes eorum conatus elusit, constanter professus, baptisma etiam ab hæreticis rite

Euseb. l. 7. c. 3. Bar. an. 259. §. 1. Pag. an. 256. §. 4. 6. 9. 12.

D

(3) Primus hujus sententiæ auctor non est Cyprianus, ut scribit Eusebius lib. 7. Hist. Eccl. cap. 3. sed decessor ejus Agrippinus, ut docet S. Cyprianus Epist. 71. & 73. S. Augustinus lib. 3. de bapt. contra Donat. cap. 2. & 12. S. Vincentius Lirinensis in Commonitorio cap. 6.

Facundus lib. contra Mocianum pag. 596. apud Sirmondum tom. 2. edit. Venetæ: *Stephani potius, quam Cypriani sententiam tenet Ecclesia, non solum de non rebaptizandis hæreticis, verum etiam de rebaptizantibus non ferendis*.

S. Augustinus epist. 93. alias 48. cap. 10. *Cyprianus sensisse aliter de baptismo, quam forma & consuetudo habebat Ecclesiæ, non in canonicis, sed in suis & concilii litteris invenitur: correxisse autem istam sententiam non invenitur; non incongruenter tamen de tali viro existimandum est, quod correxerit, & fortasse suppressum sit ab eis, qui hoc errore nimium delectati sunt, & tanto velut patrocinio carere noluerunt. Quamquam non desunt, qui hoc Cyprianum prorsus non sensisse contendant, sed sub ejus nomine a præsumtoribus atque mendacibus fuisse confictum*. Vide disputationes criticas in duas celeberrimas epistolas Firmiliani & Cypriani adversus decretum S. Stephani Papæ I. De non iterando hæreticorum baptismo; quibus unam & alteram a Donatistis fuisse confictam demonstrat Raymundus Missorius.

Nat. Alexander in Hist. Eccl. sæc. III. dissertat. 12. art. 4. concludit, minime excusari S. Cyprianum aliosque Episcopos, si quæstio erat de Fide: *Denique si res fidei visa esset, non fuisset necessarium universæ Ecclesiæ Concilium, ut inexcusabiles essent Africani & Orientales, qui hæreticos rebaptizabant. Siquidem non excusantur, qui errorem contra Fidem a Se-*

rite administratum ratum esse debere. (4) *Si quis ergo*, inquit apud Cyprianum epist. 74. *a quacumque haresi venerit ad nos, nihil innovetur, nisi quod traditum est, ut manus illi imponatur in pœnitentiam*. Tradi-

Sede Apostolica damnatum pertinaciter propugnant, etiam ante Concilii Oecumenici celebrationem, ut in caussa Pelagianorum videre est, quibus spem Concilii generalis adimit S. Augustinus.

(4) S. Augustinus lib. 5. de bapt. cont. Donat. cap. 25. *Stephanus abstinendos putaverat, qui de suscipiendis hæreticis priscam consuetudinem convellere conarentur..... Ita quamvis commotius, sed tamen fraterne indignarentur, vicit tamen pax Christi in cordibus eorum, ut nullum inter eos schismatis malum oriretur*. Et lib. 6. cap. 1. *Ista quæstio contra veterem consuetudinem disputationibus salva caritate altercantibus discutiebatur*. Et lib. de unico baptismo contra Petilianum cap. 14. *Cum ergo Stephanus non solum non rebaptizaret hæreticos, verum etiam hoc facientes, vel ut fieret, decernentes excommunicandos esse censeret, sicut aliorum Episcoporum, & ipsius Cypriani litteræ ostendunt; tamen cum eo Cyprianus in unitatis pace permansit.... Nec ulla facta est a Cypriano, & eis, qui pariter de baptismo sentiebant, ab illorum communione divisio*.

Firmilianus e contrario in epist. ad Cyprianum, quæ est 75. inter Cyprianicas, ait, Stephanum *cum tot Episcopis per totum mundum dissensisse, pacem cum singulis vario discordiæ genere rumpentem, modo cum Orientalibus, modo vobiscum, qui in meridie estis*. At verbis Firmiliani detrahunt fidem ea, quæ ibidem falsa & injuriosa loquitur in Stephanum, ut propterea dici possit, eum severitate Stephani anathema minitantis commotum vehementius, quam par erat, minas ipsas tamquam anathema expostulare. Itaque Augustino rem sine ulla animi perturbatione narranti magis credunt Petrus Coustant in Dissertat. *qua vera Stephani circa receptionem hæreticorum sententia explicatur*, tom. 1. Epist. Rom. Pontif. pag. 227. Natalis Alexander dissertat. 12. in Hist. Eccl. sæc. III. Schelstratus part. 2. Antiquitatis illustratæ dissertat. 1. cap. 5. art. 2. & Bellarminus lib. 1. de Conciliis cap. 10.

Baronius ad an. 258. §. 15. 16. 44. 46. vult, ab Stephano anathematizatos esse omnes præter Cyprianum, quod hic *sæpius fuerat contestatus, se in omnibus, ac cum omnibus pacem servaturum, quantumlibet essent suæ ipsius sententiæ adversantes*. Et ad an. 258. §. 47. & 51. item ad an. 259. §. 1. & 2. videtur affirmare, Cyprianum, & Firmilianum errorem ante mortem deposuisse.

ditum autem erat, ac *talis per omnia consuetudo tenebatur, ut baptismus Christi*, hoc est forma a Christo instituta collatus, *non nisi Christi baptismus haberetur, etiamsi apud hæreticos vel schismaticos datus fuisse probaretur*. (5) Stephanus igitur, qui *baptismum Christi in nullo iterandum esse censebat*, (6) recte censebat, & secundum traditionem Apostolorum: quandoquidem *consuetudo illa, quæ opponebatur Cypriano, ab eorum traditione exordium sumsisse credenda est, sicut sunt multa, quæ universa tenet Ecclesia, & ob hoc ab Apostolis præcepta bene creduntur, quamquam scripta non reperiantur*. (7) Itaque Concilium, quod Augustinus *Plenarium* sæpius appellat, sive illud sit Arelatense I. celebratum anno 314. sive Nicænum I. Oecumenicum, habitum anno 325. utrumque ante natum Augustinum; controversiam omnem secundum Stephani sententiam diremit. (8) Audet tamen Joannes Launojus lib. 8. epist. 15. §. 4. Stephanum criminari ea voce: *Stephanus hæreticorum baptismum admittebat quemcumque*. Falsum. Ipsi enim Stephani adversarii Cyprianus & Firmilianus, præterquam-

(5) S. Augustinus lib. 3. De baptismo cap. 2. num. 3.
(6) Idem De unico baptismo cap. 14. num 23.
(7) Idem lib. 5. de baptismo cap. 23. num. 31.
(8) S. Augustinus non modo dicit *Plenarium*, sed etiam *Plenarium totius Orbis Concilium* lib 1. de bapt. cont. Donat. cap. 7; *Universæ Ecclesiæ Concilium* l. 2. cap 9; *Concilium catholicum Orbis terrarum* lib. 6. cap. 13; quo modo vocari non posse Arelatense I. sine ulla hæsitatione affirmaverim, nisi id ambigeretur inter peritissimos. Neque injuria id ambigitur. Nam Concilium Arelatense I. can. 8. controversiam omnem tollit quidem apertissime: at non videtur esse *Concilium totius Orbis, universæ Ecclesiæ, & catholicum Orbis terrarum*: e diverso tale revera est Concilium Nicænum I, sed in hoc non dirimitur controversia ita clare: colligitur solummodo ex can. 8. & 19 eamdem fuisse Nicæni atque Arelatensis Concilii sententiam, omnes scilicet hæreticos suscipiendos esse sine baptismo, iis tantum exceptis, qui non baptizarent forma a Christo Domino præscripta. Vide annotat. 5. ad S. Silvestrum.

quod nihil tale ei umquam objiciunt, eumdem etiam fatentur ad veram baptiſmi rationem exquiri voluiſſe, non quis baptiſmum adminiſtraſſet, ſed cujus nomine, auctoritate, & quibus verbis adminiſtraſſet. Cyprianus epiſt. 74. ait, Stephanum *tribuere effectum baptiſmi majeſtati nominis, ut qui in nomine Jeſu Chriſti ubicumque & quomodocumque baptizantur, innovati & ſanctificati judicentur*. Firmilianus

Inter Cyprianicas 75.

vero in epiſtola ad Cyprianum: *Illud quoque abſurdum*, inquit, *quod non putat, quærendum eſſe, quis ſit ille, qui baptizaverit, eo quod qui baptizatus ſit, gratiam conſequi potuerit invocata Trinitate nominum Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*. Ita falſum erit illud etiam, quod dicunt aliqui, Stephanum decreviſſe, baptiſmi Sacramentum ſolius Chriſti nomine recte adminiſtrari. Apparet ex his Launojus audacior Petiliano hæretico Donatiſta, qui, *cum Romana Eccleſia per ordinem commemoraret Epiſcopos, inter eos commemoravit & Stephanum, quos Epiſcopatum illibatum geſſiſſe confeſſus eſt*. (9) Geſſit autem *annos*

Bar. an. 260. §. 2. 5. Pag. an. 257. §. 2.

tres, menſes totidem, dies duos & viginti. Namque interfectus dicitur anno 260. IV. Nonas Auguſti, ſæviente octava adverſus Chriſtianos perſecutione. (10)

XXV.

(9) S. Auguſtinus De unico Baptiſmo cap. 14. num. 23.

(10) Excitata a Valeriano & Gallieno. Octava eſt Hieronymo de Script. Eccl. cap. 67. Sulpicio Severo lib. 2.

Perſecutio VIII.

Hiſt. ſacræ cap. 32. & Oroſio lib. 7 cap. 22. Baronius ad an. 259. §. 6. & 7. *Duraſſe hanc annos tres & menſes ſex, auctor eſt Dionyſius Alexandrinus, qui* (apud Euſebium lib. 7. cap. 10.) *eam tradit quieviſſe, cum Valerianus a Perſis captus eſt. Hæc autem perſecutio uſque adeo ſæviit, ut Dionyſius Alexandrinus, quem diximus, qui tunc multa perpeſſus eſt, tempora illa omnium infeliciſſima de Antichriſto prædicta, in Valeriano eſſe putaret expleta.*

XXV.

S. SIXTUS II.

ANNO CHRISTI *260.*

VALERIANI ET GALLIENI IMPP. *6.*

SIXTUS II. Atheniensis anno 260. VIII. Kal. Septembr. *in Stephani locum successit.* (1) Anno insequente VIII. Idus Augusti, vel crucis supplicio, vel capitis abscissione decessit. (2) Quare *menses undecim & dies duodecim* sedit in Petri solio. *Bonus & pacificus Sacerdos, ac propterea beatissimus martyr* appellatur a S. Pontio in vita S. Cypriani cap. 17. Quid memorabile egerit, non reperio. Illud ex Indiculo depositionis Martyrum tradit Pearsonius in Annalibus Cyprianicis ad an. 258. §. 2. eum Petri & Pauli Apostolorum corpora *ad Catacumbas transtulisse, magis in dies saeviente persecutionis ardore, ut ibi stationes tutius haberi possent.* (3) Durasse autem Sixto Pontifice controversiam de baptismo, sub decessore ejus disceptari cœptam, colligo ex tribus epistolis ab S. Dionysio Alexan-

Bar. an. 260. §. 5. An. 261. §. 1. 5. Pag. an. 258. §. 2. 3.

 dri-

(1) Eusebius lib. 7. Hist. Eccl. cap. 5.

(2) Baronius ad an. 261. §. 5. *Unus Prudentius hym. 2. eum cruci affixum tradit; sed id ab aliis minime confirmatur.* S. Cyprianus epist. 82. ait, *Sixtum in cœmeterio animadversum:* quæ vox sæpe significat decollatum: siquidem abscissionem capitis vocat *solitam animadversionem* Pontius S. Cypriani Diaconus, in ejus vita cap. 15. apud Surium die 14. Septembris.

(3) Petavius in Animadversionibus ad S. Epiphanium pag. 356. *Ego Stationem religiosum illud esse fidelium officium arbitror, quo certis diebus ad Synaxim adeuntes, ibidem ad nonam usque perseverabant, ad quam insuper jejunia producebant. Unde & pro multitudine ipsa conventuque nonnumquam solet accipi.*

drino ad eum datis, quarum fragmenta recitat Eusebius lib. 7. Hist. Eccl. cap. 5. & 9.

XXVI.

S. DIONYSIUS.

ANNO CHRISTI 261.

VALERIANI ET GALLIENI IMPERATOR. 7.

Euseb. l. 7. c. 7.

DIONYSIUS, qui sub Stephano *Romanæ Urbis Presbyter* fuerat, quique a D. Basilio epist. 220. vocatur *celeberrimus cum ob fidem, tum ob virtutes reliquas egregias*, Pontifex factus est anno 261.

Bar. ad an. 261. §. 11.

pridie Idus Septembr. (1) *Consecratum fuisse a Maximo Episcopo Ostiensi, habent Acta S. Laurentii prope finem*, apud Surium die 10. Augusti. *Sane quidem antiqui moris fuisse, ut Romanus Episcopus consecraretur ab Episcopo Ostiensi, auctor est S. Augustinus in Breviculo collationum cum Donatistis*. (2) *Hic Presbyteris Ecclesias divisit, & cœmeteria & parochias Diœceses constituit*. (3) Apud hunc Antistites Pentapolitani ac-

Bar. an. 263. §. 31. 33. 34. 51.

(1) Eusebius lib 7. cap. 17. *Hunc ipsum Romanum Dionysium eruditissimum planeque admirandum virum fuisse, testimonio Dionysii Alexandrini licet cognoscere.*

(2) Sunt hæc verba Augustini in memorato Breviculo Collat diei 3 cap. 16. *Nec Romanæ Ecclesiæ* (Episcopum) *ordinat aliquis Episcopus Metropolitanus, sed de proximo Ostiensis Episcopus*. Quod, ut docet Mabillonius cap 18. Comment. in Ordinem Romanum pag 119 *non ita accipiendum, quasi hic solus fuerit, sed præcipuus Romani Pontificis vice Metropolitani consecrator.*

(3) Liber Pontificalis: cujus verba Baronius ad an. 270. § 17. explanat in hunc modum: *Dionysii opus fuit, Parochias* ab Decessoribus suis *distinctas limitibus* certis, *Presbyterisque divisas*, quas persecutio Valeriani turbaverat, *iterum dividere. ac pro ratione distribuere, cœmeteriaque singulis consignare* Vide Blanchinum in notis ad Anastasium Bibliothecarium tom. 2. pag. 230. & 231.

accusarunt Dionysium Alexandrinum, *perinde atque id de Filio Dei sentiret, quod postea Arius sensit. Quibus ille auditis una scripsit & contra Sabellii sectatores, & contra eos, qui ejus essent sententiæ, quam cum post Arius protulisset, ab Ecclesia est ejectus.* (4) *Misit quoque ad Dionysium* (Alexandrinum) *litteras, ut indicaret qua de re accusatus ab illis fuisset.* (5) Concilium inde Romæ celebravit, in quo idem Dionysius Episcopus Alexandrinus, cum per epistolam aperuisset sententiam suam, ac purgasset objectum crimen, omnis exsors culpæ magno consensu declaratus est. Idem Pontifex creditur in eadem Urbe habuisse Synodum contra Paulum Samosatenum Episcopum Antiochenum abrogantem Christo divinitatem. Sed qui ita credunt, eos decipi loco S. Athanasii non recte intellecto, docet Pagius ad an. 264. §. 4. Sub eodem Pontifice anno circiter 262. vult Harduinus, celebratum in Africa Concilium, in quo sancitum est, hæreticos non esse rebaptizandos, quemadmodum testatur Hieronymus in Dialogo adversus Luciferianos cap. 8. his verbis: *Denique illi ipsi Episcopi, qui rebaptizandos hæreticos cum eo* (Cypriano) *statuerant, ad antiquam consuetudinem revoluti novum emisere decretum.* Exiit e vita anno 272. VII. Kal. Januar. cum *annos undecim, menses tres & dies quatuordecim* Petri sedem tenuisset.

Ad an. 265. § 4. 10.

Bar. an. 272. §. 21. Pag. an. 271. §. 9.

D 4 XXVII.

(4) S. Hilarius lib 4. De Trinitate §. 12. *Sabellius ipsum dicit Filium, quem & Patrem.* Lege vitam S. Silvestri I.

(5) S. Athanasius in Epist. de sententia Dionysii §. 13. pag. 252. Editionis Monachorum.

XXVII.

S. FELIX I.

ANNO CHRISTI 272.

AURELIANI IMPERATORIS 2.

Euſeb. l. 7. c. 30. Bar. an. 272. §. 21. An. 273. §. 11. FELIX Conſtantii filius die poſtremo anni 272. *in* Dionyſii *locum ſubſtitutus eſt*. Hic *inſiſtens prædeceſſoris veſtigiis nihil antiquius habuit, quam hæreſes inſurgentes in Eccleſiam profligare. Quamobrem cum recens eſſet vulnus a Paulo Samoſateno inflictum Catholicæ veritati, necdum obducta cicatrix de errore Sabellii, ipſe de Filii Dei divinitate, ac pariter humanitate, naturiſque duabus in una perſona diſtinctis ad Maximum Epiſcopum Alexandrinum, Dionyſii ſucceſſorem ſcripſit epiſtolam, qua veluti ancipiti gladio utramque hæreſim uno ictu confoderet; ut dum in Chriſto naturam monſtraret divinam indiviſe humanitati conjunctam, Pauli hæreſim condemnaret: dum vero humanam in eodem prædicaret a divina eſſe natura proprietate diſtinctam, & divinæ ſubſtantiæ in tribus perſonis ſubſiſtentiam demonſtraret, Sabellium confutaret.*

An. 275. §. 1. 2. Pag. an. 274. §. 2. (1) Eidem ritum faciendi ſacrificia *ſupra ſepulcra aut memorias martyrum* acceptum refert Liber Pontificalis. (2) Cum *menſes quinque ſupra biennium* Ca-

(1) Exſtat hujus epiſtolæ fragmentum in Concilio Epheſino, & S. Cyrilli Apologetico pro duodecim Capitibus apud Labbeum tom. 3. Conc. pag. 511. & 851.

(2) Bona lib. 1. Rer. Liturg. cap. 19. § 5. *De Felice primo ſummo Pontifice ſic ſcribit Anaſtaſius*: hic conſtituit ſupra ſepulcra aut memorias martyrum Miſſas celebrari, *quia fortaſſis de hoc legem edidit, ne aliter fieri poſſet*. Hinc exiſtimaverim ortum morem conſecrandi Altaria cum reliquiis Martyrum.

Ba-

Catholicæ Ecclesiæ præfuisset, anno 275. III. Kal. Jun. Martyr decessit, sæviente nona adversus Christianos persecutione, quam Aurelianus anno 272. exorsus fuerat. (3)

XXVIII.

Baronius ad an. 275. §. 2. *Ejusmodi institutionem longe ante Felicis Papæ tempora Ecclesia sibi vindicat.... Felicis ergo decretum stabilivisse videtur, quod absque scripto canone, traditione tantum simpliciter servaretur.* In hac sententia est etiam Tillemontius.

Schelstratus tom. 1. Antiquitatis illustratæ pag. 435. *Sepulcra vel ob inscriptiones & signa martyrii, vel ob ossa martyrum ibidem posita vocantur* Memoriæ Martyrum.

(3) Nonam dicunt Eusebius & Hieronymus in Chronico, item Orosius lib. 7. cap. 23. Quidam, ut est apud Baronium ad an. 273. §. 4. eam esse credunt, quam S. Leo serm. 74. cap. 6. facit octavam, & celebrem propter *innumera martyrum millia*. Persecutio IX.

Lactantius de mortibus persecutorum cap. 6. *Aurelianus, qui esset natura vesanus & præceps, quamvis captivitatem Valeriani meminisset, tamen oblitus sceleris ejus & pœnæ, iram Dei crudelibus factis lacessivit.* Non *intentata* igitur duntaxat persecutio ab Aureliano, ut visum Dodwello, sed *executioni mandata*, ut loquitur & probat Pagius ad an. 272. §. 9. Ideo autem Eusebius l. 8. Hist. c. 4. scribit, Diabolum veluti somno sopitum Ecclesiæ pacem non perturbasse ab Decii & Valeriani temporibus usque ad Diocletianum, *quia*, ut ait idem Pagius §. 11. *persecutio ab Aureliano excitata brevissima fuit, cum e contra tam Decii, quam Valeriani persecutiones diuturnæ fuerint: ob quam etiam rationem Numeriani & Maximiani Herculii mentionem non facit, qui tamen ante persecutionem Diocletianeam, Ecclesiam vexarunt, ut ex Annalibus liquet.*

XXVIII.

S. EUTYCHIANUS.

ANNO CHRISTI 275.

AURELIANI IMPERATORIS 5.

Bar. ad an. 275. §. 1. Pag. an. 274. §. 5. Bar. an. 283. §. 14. 15. 16. Pag. §. 9.

EUTYCHIANUS, Marini ſeu Martini filius, Hetruſcus, patria Lunenſis, anno 275. pridie Nonas Junii Pontifex dictus eſt. *Hic conſtituit, fruges fabas & uvas ſuper Altario benedici*, teſte auctore Libri Pontificalis, non quod id ante non fieret, ſed quod nondum id eſſet ſanctione decretum. In eodem Libro Pontificali, & Martyrologio Romano VI. Idus Decembris legitur tumulaſſe manibus ſuis martyres duos & quadraginta ſupra trecentos; ac præterea caviſſe, ne quis martyrem ſepeliret ſine Dalmatica, aut Colobio purpureo. (1) Obiit VI. Idus Decembris anno Chriſti 283. Pontificatus *octavo*, *menſe quinto*, ac *die tertio*. Ejus *corpus olim in patriam* Lunam *relatum*, *nunc*

(1) Blanchinus in notis ad Anaſtaſium Bibliothecarium tom. 2. part. 2. pag. 244. *Vindicandorum Martyrum curam promovens cautus Pontifex, providenter præcepit, ut adderentur indicia certa martyrii in eorum depoſitione. Adhibere mandavit Colobium aut Dalmaticam non qualemcumque, ſed purpuratam ad involvendos Martyres, quos etiam* purpuratos *vocare conſuevit Eccleſia in Hymno omnium Sanctorum*

Vos purpurati Martyres.

Ante hoc decretum Eutychiani conſueverunt Chriſtiani ſacra Martyrum corpora ſepelire cum linteis ipſorum ſanguine reſperſis.

Colobia, & Dalmaticæ erant tunicæ talares. Hoc diſtabant dalmaticæ a tunicis & colobiis, quod Dalmaticis amplæ erant manicæ, tunicis ſtrictæ, colobiis vel nullæ, vel breviores.

nunc invenitur Sarzanæ *urbe vicina*, *qua* Lunæ *penitus desolata destructaque in honore Cathedrali successit*. (2)

XXIX.

S. CAJUS.

ANNO CHRISTI 283.

CARINI ET NUMERIANI IMPERATOR. 1.

CAJUS Dalmata Salonitanus, Caji filius, propinqua cognatione Diocletiano Imperatori junctus, anno 283. XVII. Kal. Januar. Pontifex renunciatur. *Erat vir magnæ prudentiæ magnæque virtutis*, ut est in Actis S. Sebastiani cap. 18. apud Bollandum die 20. Januarii. Ab eo confirmatum dicitur institutum Ecclesiæ vetus, ut Clerici per septem Ordinum gradus documentum sui dantes, tenderent ad Episcopatum. (1) Quæ præterea gessit Pontificem agens per *annos duodecim*, *menses quatuor*, *& dies quinque*, latent tenebris obruta vetustatis. Mortuus est anno 296. X. Kal. Majas.

Bar. an. 283. §. 17.

Pag. 278. Bar. an. 296. §. 1. 2. Pag. §. 3.

XXX.

(2) Bolland tom. 8. Maji pag 40.

(1) Septenarius Ordinum numerus est in Epistola Cornelii Pontificis apud Eusebium lib 6. Hist. Eccl. cap. 43. in qua dicit, fuisse in Romana Ecclesia Presbyteros 44. Diaconos 7. & Subdiaconos totidem, Acolythos 42. Exorcistas & Lectores cum Ostiariis 52. Vide Bonam l. 1. Rer. Liturgic. cap 25. §. 16. 17. & Mabillonium comment. in Ordinem Romanum cap. 3. pag. 12.

XXX.

S. MARCELLINUS.

ANNO CHRISTI 296.

DIOCLETIANI ET MAXIMIANI IMPP. 13.

Bar. an. 296. §. 4. Pag. §. 4. Eufeb. l. 7. c. 32.

MARCELLINUS Projecti filius Romanus V. Nonas Maji anno 296. Cajo Pontifici fubrogatur. Eo regnante anno 302. aut infequente Diocletianus homo omni diritate atque immanitate deterrimus perfecutionem omnium fævifsimam indixit adverfus Chriftianos. (1) Tum Marcel-

Bar. an. 302. § 88.

Perfecutio X.

(1) Decima eft Orofio lib. 7. cap. 25. & 27. nona Sulpicio Severo lib. 2. cap. 32. *Totius Romani Imperii Ecclefiæ omnes deftructæ ipfo falutaris paffionis die*, ut fcribit Theodoretus lib. 5. Hift. Eccl. extremo cap. 38. *diebus Pafchæ*, ut Eufebius in Chronico. *Edictum propofitum eft per colonias & civitates Principibus & Magiftratibus fuo cuique loco, ut libros Deificos extorquerent e manibus Epifcoporum & Presbyterorum*, ut eft in Actis Felicis Epifcopi Africani apud Surium die 24. Octobris. S. Optatus lib. 1. §. 3. Hujus *per totam Africam perfecutionis divagata tempeftas alios fecit Martyres, alios Confeffores*. Idem lib. 3. §. 8. *Omnibus notum eft, quid eorum* (Diocletiani & Maximiani) *operata fit artificiofa crudelitas: fæviebat bellum Chriftianis indictum .... Alii cogebantur Templa Dei vivi fubvertere, alii Chriftum negare, alii Leges Divinas incendere, alii tura ponere*. Lactantius de mortibus perfecutorum cap 15 *Omnis fexus & ætatis homines ad exuftionem rapti. Nec finguli, quoniam tanta erat multitudo, & gregatim circumdato igni ambiebantur domeftici, alligatis ad collum molaribus mari mergebantur. Nec minus in ceterum populum perfecutio violenter incubuit. Quippe certatim*, ut ait Sulpicius loc. cit. *gloriofa in certamina ruebatur, multoque avidius tum Martyria gloriofis mortibus quærebantur, quam nunc Epifcopatus pravis ambitionibus appetuntur Vexabatur univerfa terra*, fubjicit Lactantius cap 16. *& præter Gallias ab Oriente ufque ad Occafum tres acerbiffimæ beftiæ* (Diocletia-

cellinum metu mortis adactum tura incendisse I- Pag. S. 18;
dolis, & paucis post diebus acta pœnitentia vi- 21.
tam posuisse pro Christo, narrat Liber Pontificalis. Tum etiam habitum fertur Concilium Sinvessanum trecentorum Episcoporum in caussa ejusdem Marcellini pœnitentis. At simul lapsum ejus, simul concilium commentitium esse, docent auctores summi. (2) Nec tamen si evincatur contrarium, pro-

tianus, Maximianus Herculius, & Galerius Maximianus) *saeviebant*.

Non mihi si linguæ centum sint oraque centum,
Ferrea vox, omnes scelerum comprendere formas,
Omnia pœnarum percurrere nomina possem,

quæ judices per provincias justis atque innocentibus intulerunt. Eusebius vero lib. 8. cap. 4. *Dici non potest, quot & quantos Christi martyres in omnibus locis atque urbibus passim cernere licuerit*. Quantus sit numerus martyrum, quam ingens multitudo, si ex aliis persecutionibus existimari non possit, vel ex hac una colligi licet, ut appareat impudenter fecisse Dodwellum, qui dissertatione XI. Cyprianica ausus est scribere *De martyrum paucitate in primævis Christianorum persecutionibus*: præsertim cum D. Cyprianus extremo libro De *mortalitate*, scripto ante persecutionem hanc omnium fœdissimam, affirmarit, in Cælis esse *martyrum innumerabilem populum ob certaminis & passionis victoriam coronatum*.

Tantum vero abest, ut persecutiones exitium dederint Ecclesiæ, ut etiam splendorem attulerint atque incrementum. Tertullianus in Apologetico adversus Gentes extremo cap. 48. *Plures efficimur, quoties metimur a vobis. Semen est sanguis Christianorum*. Vide Theodoricum Ruinart. Præfat. in Acta Martyrum §. 3.

(2) Eminentissimus auctor Prosper Cardinalis de Lambertinis lib. 4. De Serv. Dei Beatificatione, & Beatorum canonizatione part. 2. c. 13. n. 5. in quo agit de Breviario Romano, & ejus auctoritate: *Addi posset lapsus S. Marcellini Papæ & Martyris a Fide, qui commemoratur* in quinta Lectione Officii de eodem ad diem 26. Aprilis *in Breviario Romano: hunc etenim plerique commentitium probant primo ex silentio veterum omnium Scriptorum, qui Romanorum Pontificum Gesta descripserunt; secundo ex inani Donatistarum labore, qui factum illud Catholicis objecerunt, nec umquam probare potuerunt, qua ratione S. Augustinus* lib. de unico Baptis-

propterea detrahitur aliquid de *infallibilitate*, uti vocant, Pontificum Romanorum. Non enim Marcellinus, si adolevit tura Idolis, *docuit aliquid con-*

ptismo cap. 16 *loquens de Petiliano ejus fabulæ auctore ait:* Ipse sceleratum & sacrilegum fuisse dicit; ego innocentem fuisse respondeo. Quid laboro probare defensionem meam, cum ille nec tenuiter probare conatus sit accusationem suam? *Tertio ex fictitio Concilio Sinuessano, quod ea occasione dicitur celebratum: de quibus omnibus legi possunt* Continuatores *Bollandiani* tom. 8. Maji pag. 42. *Tillemontius* annotat. 31. in Persecutionem Diocletiani. *Natalis Alexander* dissertat. 20. in Hist. Eccl. Sæc. III. *& Pagius* ad an. 302. §. 18. item ad an. 304. § 12 *& inter Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, de Aguirre* in Defensione Cathedræ S. Petri tract. 2. disput. 28. sect. 1. a num. 1. ad 11. *& de Noris* in Historia Donatistarum part. 1. cap. 7. Operum recenter editorum tom. 4. *Quocirca Conradus Janningus egregius* Continuator *Bollandianus* in sua Apologia pro Actis Sanctorum, edita Antuerpiæ anno 1695 pag. 12. *sermonem habendo de factis historicis, quæ aliquando occurrunt in Lectionibus Officii, & quæ sunt approbatæ a Sacrorum Rituum Congregatione, subdit*: Fateor ex ejusmodi approbatione Historiis auctoritatem accedere; neque ullus id negaverit Catholicus: at vero accedere talem, ut falsum subesse non possit Historiis sub approbatione tali legi permissis, aut ut Viri eruditi prohibeantur circa illas disputare, ab iisque ratione bona nixi dissentire, ne ipsa quidem Sacra Congregatio prætendit. Patitur enim de facto, quæstionem agitari de S. Dionysio Parisiensium Patrono, an scilicet idem sit (quod Breviarium Romanum manifeste asserit ad diem 9 Octobris) cum Areopagita, an vero diversus; item, an a S. Clemente sæculo primo missus sit in Galliam, an tempore Decii sæculo tertio. Patitur similiter, de Historia S. Marthæ ad 29. Julii relata disputari. Patitur etiam, ut plura missa faciam, contra adventum S. Jacobi in Hispaniam ad 25. Julii a se assertum rationibus pugnari.

Baronius ad an. 302. § 104 ita respondet viris doctissimis, qui *de Martyrologio & Breviario Romano queruntur, quod ista in Ecclesia recitanda contineant.. Sciant velim, Romanam Ecclesiam antiquitatis tenacissimam, quæ ante octingentos annos ita publice lecta reperit, haud adeo facile convellenda, quamvis sibi valde molesta putavit. Ceterum eamdem ipsam Romanam Ecclesiam, non sicut Evangelium (quod Gelasius monuit) lege-*

contra fidem, ut ait Bellarminus lib. 4. de Rom. Pont. cap. 8. sed tantum lapsus est per errorem, qui Tertulliano de Præscriptionibus cap. 23. *Conversationis est vitium, non prædicationis*. Referente Theodoreto lib. 1. Hist. Eccl. cap. 2. Marcellini *seviente persecutione præclara laus fuit*. Exiit e vita anno 304. VI. Kal. Maji post *annum* Pontificatus *septimum, mensem undecimum, diem tertium & vicesimum*. Bar. an. 304. §. 23. Pag. §. 11. 12.

XXXI.

S. MARCELLUS I.

ANNO CHRISTI 304.

CONSTANTII ET GALERII IMPERATOR. 1.

MARCELLUS Benedicti filius Romanus anno 304. XI. Kal. Decembr. Pontifex declaratus est. (1) Hujus constantiam in servanda pœnitentiæ disciplina celebrat Damasus, ob eamque addit a Maxentio pulsum in exilium. (2) De eo- Bar. ad an. 304. §. 26. Pag. an. 308. §. 7.

legere consuevisse, vel legenda proponere quælibet Sanctorum Acta, sed potius ea cuncta Apostolica illa lance libranda relinquere: Omnia probate, quod bonum est tenete. Vide Schelstratum in Antiquitate illustrata circa Concilia dissertat. 1. cap. 6. tom. XI. Bibl. Pont. Rocaberti pag. 69.

(1) Eusebius in Chronico in Marcellini locum subdit Eusebium, prætermisso Marcello. Hieronymus, seu alius, in Martyrologio, quod ejus nomine inscribitur, Marcelli tantum meminit, omisso Marcellino. Itaque sunt qui putent, Marcellinum non esse a Marcello diversum. Præbet errorem nominis similitudo. Verum, ut observat Baronius ad an. 296. §. 4. non solum Tabulæ Ecclesiasticæ, sed etiam Optatus lib. 2. §. 3. & S. Augustinus epist. 53. alias 165. utrumque habent pro Pontifice, & alterum distinguunt ab altero.

(2) Carmine 26. editionis Martii Milesii Sarazanii pag. 173.

eodem legimus in Libro Pontificali: quinque & viginti titulos seu Parochias Romæ instituisse ad Baptismi & Pœnitentiæ administrationem, & ad sepulturas Martyrum, eorumque omnium, qui ex Ethnicis dedissent nomen Christo: (3) Jussu Maxentii in vincula conjectum, ut negaret se esse Episcopum, & sacrificaret Idolis: Imperata facere recusantem damnatum in Catabulum: (4) Inde post menses novem a Clericis ereptum silentio noctis, & a Lucina matrona acceptum hospitio, domum ejus convertisse in Ecclesiam titulo S. Marcelli, in eaque obiisse munia Ecclesiastica: re a Maxentio audita, Ecclesiam statim in catabulum redactam, & Marcellum mancipatum servitio ejus: ibi pædore ac situ loci confectum anno 309. XVII. Kal. Febr. edidisse extremum vitæ spiritum, cum *annos quatuor, mensem unum, dies quinque & viginti* Romanam Ecclesiam administrasset.

Bar. An. 308. §. 23: An. 309. §. 4. 5. Pag. §. 3.

XXXII.

(3) Mabillonius Comment. in Ordinem Romanum cap. 3. pag. 16. *Atque adeo non omnes forte tituli erant paræciales Ecclesiæ, sed quidam instituti fuerunt, ut sepulturis Martyrum honor haberetur. Unde in Concilio Chalcedonensi martyria, id est basilicæ Martyrum, inter titulos censentur.*

(4) Catabulum *erat stabulum animalium, non quidem silvestrium, sed jumentorum, quæ publicæ utilitati ad vehenda onera deservirent, unde & Catabulenses hi dicti esse reperiuntur, qui prædicta oneraria jumenta ductabant*: Baronius in Martyrolog. Rom. XVII. Kal. Februarii, & in Annalibus ad an. 308. § 23. *Idem est ergo, quod dicitur damnatum esse Marcellum in Catabulum, quod apud Eusebium de aliis quoque traditur, esse destinatos ad alendos equos Imperatorum.*

XXXII.

S. EUSEBIUS.

ANNO CHRISTI 309.

CONSTANTINI IMPERATORIS 4.

EUSEBIUS Græcus, Medicus, seu Medici filius. Is Eusebium clari nominis Episcopum Vercellensem Christianæ doctrinæ præceptis imbutum baptizavit, suumque illi nomen imposuit. (1) Narrat id Baronius ad an. 311. §. 42. ex Actis ejusdem Episcopi Vercellensis, quorum auctoritas parum valet apud Criticos severiores. Sub eodem Pontifice repertam Crucem Domini, tradit auctor Libri Pontificalis. Verum recepta persuasio est, inventam fuisse post Concilium Nicænum Oecumenicum I. ab Helena Constantini matre, per nocturnum visum divinitus admonita. Ex quo apparet, nec illud esse verum, quod legitur apud Gratianum *De Consecrat.* dist. 3. cap. 19. Festum Inventionis S. Crucis V. Nonas Maji ab Ecclesia celebrari ex decreto Eusebii, cum non sub Eusebio, sed sub Silvestro Crux reperta fuerit anno 326. proximo post memoratum Concilium Nicænum. (2) Eusebius diem supremum obiit anno 311. VI. Kal. Octobr. cum per *annos duos*, *menses septem*, *& dies sexdecim* Pontificatum obtinuisset. (3)

Bar. ad an. 309. § 7. Pag. § 8.

Bar. an. 311. §. 40. 41. Pag. § 22.

(1) Vide annotat. 5. ad Siricium.

(2) Id pluribus ostendit Baronius ad an. 311. §. 41. ad an. 326. §. 42. & Jacobus Gretserus lib. 1. de Cruce cap. 62. & 64. Vide etiam, si placet, nostram Historiam Familiæ sacræ, De Christo Domino cap. 15.

(3) Eusebium *Theodoretus non agnovit, sicut nec Marcellum: nam Melchiadem successisse Marcellino affirmat. Verum*

XXXIII.

S. MELCHIADES.

ANNO CHRISTI 311.

CONSTANTINI IMPERATORIS 6.

Bar. ad an. 311. §. 43. Pag. §. 23. Bar. an. 312. §. 82.

MELCHIADES, seu Miltiades Afer anno 311. V. Nonas Octobr. Pontificatum iniit. Hujus Pontificis annus alter insignis fuit tum pace Ecclesiæ reddita, opera Magni Constantini, tum Lateranis Ædibus ab eodem Imperatore concessis Melchiadi, tum initio Schismatis Donatistarum, qui Ecclesiam concludebant finibus sectæ suæ, blaterantes, eam in aliis Orbis regionibus defecisse *Traditorum* contagione, & communione improborum. (1) Hos anno Christi 313. habita Romæ Synodo Melchiades damnavit, & Cæcilianum Carthaginiensem Episcopum, ab ipsis falso insimulatum *Traditionis* Codicum sacrorum, absolvit. (2) Chri-

Bar. an. 313. §. 47. 48. 49. Pag. §. 6. 15. 16.

non nostrates modo, sed etiam transmarini utrumque noverunt; ut Optatus Mlevitanus lib. 2. §. 3. *& S. Augustinus*, epist. 53. *aliique recentiores omnes:* Baronius ad an. 311. §. 42.

(1) Vide annotat. 2. ad S. Cornelium.

(2) S. Augustinus epist. 105. alias 166. ad Donatistas cap. 2. *Scitote, quod primi majores vestri caussam Cæciliani ad Imperatorem Constantinum detulerunt.... Sed quia Constantinus non est ausus de caussa Episcopi judicare, eam discutiendam atque finiendam Episcopis delegavit. Quod & factum est in Urbe Roma præsidente Melchiade Episcopo illius Ecclesiæ cum multis collegis suis. Qui cum Cæcilianum innocentem pronuntiassent, & Donatum, qui schisma Carthagine fecerat, sententia percussissent, iterum vestri ad Imperatorem venerunt, de judicio Episcoporum, in quo victi fuerant, murmurarunt.* Et epist. 43. alias 162. cap. 5. *Qualis ipsius beati Melchiadis ultima est prolata sententia, quam innocens, quam integra, quam provida atque*

Christianis interdixit, ne die Dominico, aut feria quinta (3) jejunarent, referente auctore Libri Pontificalis: qui subjungit, illud etiam statutum a Melchiade, *ut oblationes consecratæ per Ecclesias ex consecratu Episcopi dirigerentur, quod declaratur fermentum*. (4) Eumdem decrevisse, ut duo saltem candela-
E 2 bra

atque pacifica! qua neque collegas, in quibus nihil constiterat, de collegio suo ausus est removere, & Donato solo, quem totius mali principem invenerat, maxime culpato, sanitatis recuperandæ optionem liberam ceteris fecit, paratus communicatorias litteras mittere etiam iis, quos a Majorino ordinatos esse constaret: ita ut quibuscumque locis duo essent Episcopi, quos dissensio geminasset, eum confirmari vellet, qui fuisset ordinatus prior, alteri autem eorum plebs alia regenda provideretur. O virum optimum, o filium Christianæ pacis, & patrem Christianæ plebis!

S Optatus lib. 1. §. 24. *Sufficit & Donatum tot sententiis esse percussum, & Cæcilianum tanto judicio esse purgatum. Et tamen Donatus appellandum esse ab Episcopis credidit. Ad quam appellationem Constantinus Imperator sic respondet: o rabida furoris audacia! sicut in caussis Gentilium fieri solet, appellationem interposuerunt.*

(3) S Augustinus, qui hoc sæculo vivebat, epist. 36. alias 86. cap. 4. & 5. contra scribit, Fideles, qui studebant pietati, quarta & sexta feria, ac Sabbato per totum annum in Ecclesia Romana jejunare solitos, feria vero quinta non jejunasse nisi paucissimos Clericos aut Monachos, qui quotidie, exceptis diebus Dominicis, jejunabant. Id autem non fecissent, si jejunium feria quinta Melchiadis præcepto vetitum fuisset. Ante Melchiadis ævum scripsit Tertullianus in lib. De Corona cap. 3. *Die Dominico jejunium nefas ducimus, vel de geniculis adorare.*

(4) Huic similia sunt decreta duo Siricii atque Innocentii I.

Siricius, ut est in Libro Pontificali apud Labbeum tom. 2. Conc. pag. 1016. *Constituit, ut nullus Presbyter missas celebraret per omnem hebdomadam, nisi consecratum Episcopi loci designati susciperet declaratum, quod nominatur fermentum.*

Innocentius in epist. ad Decentium cap. 5. apud eumdem Labbeum pag. 1247. *De fermento*, inquit, *quod die Dominica per titulos mittimus, superflue nos consulere voluisti, cum omnes Ecclesiæ nostræ intra Civitatem sint constitutæ. Quarum*
Pre-

bra essent in Altari, dum Missæ sacrificium celebratur, quidam auctores sunt: sed unde hoc hauserint, non reperio. Jam inde ab Apostolicis tempo-

Presbyteri, quia die ipsa propter plebem sibi creditam nobiscum convenire non possunt, idcirco fermentum a nobis confectum per Acolythos accipiunt, ut se a nostra communione, maxime illa die, non judicent separatos. Quod per parochias fieri debere non puto, quia nec longe portanda sunt Sacramenta: nec nos per cœmeteria diversa constitutis Presbyteris destinamus, & Presbyteri eorum conficiendorum jus habent atque licentiam. De sensu atque intelligentia horum trium decretorum Melchiadis, Siricii, atque Innocentii inter Scriptores summa dissensio est.

Sunt, quibus videatur *Fermenti* voce designari Eucharistiam, ut Claudio Espencæo De adoratione Eucharistiæ lib. 2. cap. 4. Sirmondo in Disquisitione De azymo cap 5. Joanni Card. Bonæ lib. 1. Rer. Liturgic. cap 23. §. 16. ubi tamen *Fermentum* sumit pro fermentato, dissentiens a Sirmondo, qui scribit, *Eucharistiam* Fermentum *ex eo dictam, non quod ex pane esset fermentato, sed quod ipsa quocumque ex pane fieret, Ecclesiis, ad quas mittebatur, Fermenti vicem præstaret, eisque unionis inter se vinculum esset, sicut Fermentum Massæ, cui commiscetur*. Sirmondo prorsus accedit Christianus Lupus in differtat. De S. Leonis IX. Actis cap. 9. accedit & Mabillonius in differtat. De Azymo cap. 10. sed vult alia de caussa Eucharistiam appellatam *Fermenti* vocabulo, nimirum *ut nomine obscuro profanis celaretur tantum mysterium:* cujus sententiæ est etiam Schelstratus De disciplina Arcani cap 7. art. 5. Vide laudatum Mabillonium Commentarii in Ordinem Romanum cap. 6. pag. 38.

Non pauci arbitrantur, *Fermentum* illud esse Eulogias, seu panem benedictum In his Anselmus Episcopus Havelbergensis, qui lib. 3. Dialog cap. 15 ait, *Constitutum hoc Romanorum Pontificum Melchiadis & Siricii non de Fermentata hostia, sed de Eulogiis potius intelligendum videri, quæ per singulos Dominicos dies per Ecclesias distribui jubentur*. Consentit Baronius ad an. 313. §. 49. Nicolaus Card Cusanus, Binius, Theophilus Raynaudus, Franciscus Macedo, Antonius Dadinus Altaserra, & Joannes Cabassutius.

Scriptorum, quos hactenus nominavi, electos locos & verba ipsa recitat Joannes Ciampinus, De perpetuo azymorum usu in Ecclesia Latina cap. 4. Et cap 5 affert novam expositionem Josephi Mariæ Thomasii existimantis, *Fermentum* nihil aliud fuisse, *quam Eucharisticum panem, seu* De-

poribus candelabra fuisse in Ecclesia, eo probat Baronius ad an. 58. §. 70. quia apud Hebræos lucernæ in Templo succensæ erant, & candelabrum pretiosissimum *Exodi cap.* 25. descriptum. Cum *annos ac menses duos diesque septem* Romanæ Ecclesiæ præfuisset, IV. Idus Decembr. anno 313. excessit.

XXXIV.

S. SILVESTER I.

ANNO CHRISTI 314.

CONSTANTINI IMPERATORIS *9.*

SILVESTER Rufini filius Romanus in locum Melchiadis inauguratus est anno 314. pridie Kal. Februar. die Dominico, qui mos post reddi- Bar. ad an. 314. §. 1. Pagius §. 2.

E 3 tam

Dominicum corpus, quod mittebatur in calicem, ubi Christi sanguis aderat, sicut etiam hodie in Calicem Sanctum particula seu fragmentum injicitur. Atque hunc opinandi modum collegisse se ait ex pervetusto Ordine Ecclesiastico Monasterii S. Galli.

Petrus Coustant tom. 1. Epist. Rom Pont. pag. 340. *Hinc Eucharistia sic missa cur* Fermenti *nomine donata sit, satis intelligitur. Fermenti quippe vicem gerebat, quatenus Ecclesias, ad quas mittebatur, sicut fermentum massam, cui commiscetur, cum Episcopo suo in uno Christi corpore copulabat atque uniebat. Porro istam oblationis ab Episcopis consecratæ particulam a Presbyteris in calicem tunc missam esse, cum in Missa dicebant:* Pax Domini sit semper vobiscum, *hoc est eo ipso tempore, quo etiam nunc hostiæ consecratæ minor particula in calicem a Presbyteris demittitur, ex antiquis Glossis in Decretales a Mabillonio nostro* Analect. to 4 pag 60 *citatis comperimus.*

Novam quoque interpretationem affert Honoratus a S. Maria tom. 2. Animadversionum in Regulas & usum Critices lib. 4. dissertat. 4. art. 3. Dicit enim, *Fermenti* nomine non Eucharistiam, sed potius Eucharistiæ materiam intelligendam esse, panem scilicet, vinum, & luminaria, quæ necessaria sunt ad Missam celebrandam. Ducit hanc conjecturam ex decreto Joannis III. & Gregorii III.

tam a Constantino Ecclesiæ pacem est servatus, ut Romani Pontifices vel die Dominico, vel festo die alio inaugurarentur. Acta inscripta nomine Silvestri a plerisque rejiciuntur tamquam subditiia. Baronius ipse tum ad an. 315. §. 14. tum ad an. 324. §. 31. fatetur, ea multis in locis depravata esse. In his & in Libro Pontificali legitur Constantinus ab Silvestro Romæ baptizatus, quem Eusebius lib. 4. De vita Constantini cap. 61. & 62. eumque secuti Socrates & Sozomenus, Gelasius Cyzicænus, Theodoretus, Ambrosius, Hieronymus & alii, in suburbio Nicomediensi sub vitæ finem anno 377. baptismum suscepisse prodiderunt. (1) Varia insuper

Pag. an. 315. §. 4. An. 324. §. 5.

(1) Apud Papebrochium in Commentario Historico de S. Constantino Magno ad diem 21. Maji cap. 2 & 4. Pagium ad an 324. §. 5. Norisium in Appendice ad Historiam Donatistarum lect. 8. pag. 656. Tillemontium annotat. 65. in Constantinum. Tota controversia in illo est, utrum magis credendum sit Eusebio, qui scribit Constantinum sub vitæ finem ac propediem moriturum baptizatum apud Nicomediam; an vero Actis S. Silvestri, quæ eum Romæ ab eodem S. Silvestro Pontifice sacro lavacro expiatum narrant. Utrinque sunt conjecturæ non leves, & ab utraque parte stant auctores summi. Qui Eusebium sequuntur, dicunt, Acta S. Silvestri multis scatere mendaciis, ac negant, Eusebium usque adeo fuisse vanum ac mendacem, ut rem omnibus notam (cujusmodi erat Baptismus Constantini) aliter exponeret, ac gesta esset, quarto præsertim, aut quinto ab ejus morte anno, cum superessent adhuc oculati testes, a quibus falsitatis convinci magno cum dedecore potuisset. Contra vero, qui Actis S. Silvestri fidem adjungunt asserentes, Constantinum Romæ anno 324. tredecim ante obitum annis baptismum ab S. Silvestro suscepisse, ii contendunt, Eusebium, qui a D. Hieronymo in Chronico & alibi *Signifer Arianorum* appellatur, in eorum gratiam esse mentitum, & sanctos Patres, qui Eusebio accedunt, falso ejus testimonio raptos in errorem. Itaque de Baptismo Constantini dici credibiliter potest in partem utramque. Nullus enim exstat scriptor S Silvestro aut Constantino æqualis, quo satis certo auctore stetur, nec facile est aut rem rei, aut auctorem auctori præferre.

Non-

per in Libro Pontificali memorantur Silvestri decreta: Chrisma ab solo Episcopo conficiendum: baptizati verticem summum chrismate ungendum a Presbytero: (2) Dalmaticas a Diaconis adhibendas in Ecclesia, lævamque eorum tegendam *palla linostima*: (3) & sacrificium *non in serico, neque in panno tincto, sed tantum in lineo* faciendum. (4) Anno Pontificatus primo per legatos suos præfuit Concilio ducentorum circiter Episcoporum, Arelate celebrato adversus Donatistas, accepitque Epistolam a Patribus rogantibus, ut decreta confir- Bar. ad an. 314. §. 51. 57. 61.

E 4 ma-

Nonnulli duce Anselmo Havelburgensi Episcopo, ut est apud Nat. Alexandrum extrema dissertatione 23. in Hist. Eccl. sæc. IV. controversiam dirimunt, affirmantes, Constantinum Romæ quidem a Silvestro Pontifice baptizatum fuisse, apud Nicomediam vero ab Eusebio Episcopo Nicomediensi rebaptizatum.

Berengosius, qui claruit sæculo XII. ineunte, lib. 3. De Invent. & Laude S. Crucis cap. 7. tom. 12. Bibl. Patr. pag. 363. quæstionem solvit alio modo, videlicet Silvestrum Pontificem fuisse duplici nomine, ac Eusebium quidem vocatum a Græcis, Silvestrum autem a Romanis: ita vera narrare, simul qui ab Eusebio, simul qui ab Silvestro Constantinum baptizatum edunt.

Franciscus Macedo in Medulla Hist. Eccl. Vindicia 6. cap. 6. de baptismo Constantini, existimat, illum Romæ sacro baptismate lustratum, non tamen a Silvestro Pontifice, *sed a Silvestro Melchiadis Vicario*.

Franciscus Blanchinus in notis ad Anastasium Bibliothecarium tom. 2. pag. 295. dicit, *Eusebium nobis exhibere* Confirmatum, *non* Baptizatum *Nicomediæ Constantinum, qui jam salutari lavacro Romæ tinctus fuerat a Silvestro*.

(2) Amalarius De Eccles. Officiis lib. 1. cap. 27. *Silvester Papa instituit, ut a Presbytero ungeretur neophytus in cerebro: ita enim scriptum est*: Hic constituit, ut baptizatum liniat Presbyter chrismate levatum de aqua, propter occasionem transitus mortis.

(3) Vide annotat. 5. ad Zosimum.

(4) Velum hoc lineum in Ordine Romano, & Magni Gregorii Sacramentario *Palla corporalis* appellatur, vulgo autem *Corporale*, sive quod repræsentat memoriam Sindonis, qua corpus Christi involutum est, sive quod ipsum Christi corpus ei superponitur in Missæ sacrificio.

maret, & toti Ecclesiæ servanda proponeret. (5) Anno insequente Christi 315. ab inferis erupit Arius negans, Dei Filium esse Patri ὁμοούσιον, *consubstantialem*, qui tot hæresis suæ patronos nactus est, ut ea Orientem universum brevi pervaderet. Fœdissimum monstrum opprimere per Osium Episcopum Cordubensem missum Alexandriam frustra conati
Bar. an. 325. §. 13. Pag. §. 8. Silvester & Constantinus, Concilium in id Nicæam indixerunt. (6) Silvester, Sabbati & diei Do-

(5) Sirmondus apud Labbeum tom. 1. Conc. pag. 1433. Synodo Arelatensi, *sive spectentur Episcopi, qui ad eam convenere, sive res in ea gestæ, nulla usquam post Oecumenicas habita est illustrior*. Canones edidit duos supra viginti. Canon octavus est *De baptismo eorum, qui ab hæreticis convertuntur*, ac statuit, eos non esse rebaptizandos, si forma a Christo Domino præscripta fuerint baptizati. Vide annotat. 4. ad Stephanum I.

Concilium Oecumenicum I. (6) Concilium Nicænum Oecumenicum I. a Constantino Magno Silvestri Pontificis consensu anno 325. Nicæam in Bithynia convocatum est. Convocationis caussa triplex: ut Ariana hæresis damnaretur: ut dissensiones Ecclesiarum de tempore celebrandi Paschæ tollerentur, explosis Quartadecimanis: ut extingueretur schisma a Meletio Lycopolis in Ægypto Episcopo conflatum adversus Patriarcham Alexandrinum. Concilio, cui etiam Constantinus præsens adfuit, interfuerunt trecenti & duodeviginti Episcopi, omnibusque præfuere legati Silvestri Pontificis, Osius Episcopus Cordubensis, & Vitus ac Vincentius Presbyteri. Quamquam Tillemontius annotat. 4. in Concilium Nicænum negat, Osium ut legatum Pontificis interfuisse. Arius anathemate confixus, & Dei filius Patri ὁμοούσιος, *consubstantialis*, edito Fidei symbolo, pronunciatus: Quartadecimani damnati: dies XXI. Martii Verno Æquinoctio præstitutus, decretumque, ut die Dominico proxime sequente Lunam XIV. in ipso, vel post ipsum vernum æquinoctium illucescentem, Pascha celebraretur. Meletius sine ulla Episcopali jurisdictione Lycopoli manere jussus, ac statutum, ut ab eo initiati ordinibus sacris essent in potestate Patriarchæ Alexandrini. Ad mores Christianorum regendos, & Ecclesiæ disciplinam stabiliendam canones viceni sanciti. Nam Arabici canones octoginta, vel quatuor & octoginta, a Pisano, Turriano, & Ecchellensi latinitate donati communi eru-

Dominici nomine retento, ceteros hebdomadæ dies *Feriarum* vocabulo distinxisse dicitur. Falso. *Non enim*, ut scribit Baronius ad an. 58. §. 87. *recens*,

ruditorum sententia non pertinent ad Concilium Nicænum.

Pertinet vero historia, quam Socrates lib. 1. cap. 11. & Sozomenus lib. 1. cap. 23. narrant, Patres Nicænos S. Paphnutii Episcopi suasionibus permotos abjecisse consilium, quod inierant, de Episcopis, Presbyteris, Diaconis, & Subdiaconis sancito decreto sejungendis ab uxoribus ductis ante Ordinationem. Paphnutius enim, quamquam *conjugii expers, & ob singularem castimoniam ab omnibus celebratus*, ita ajebat apud Socratem: *Satis esse, ut qui in Clerum fuissent adscripti, juxta veterem Ecclesiæ traditionem jam non amplius uxorem ducerent: non tamen quemquam sejungendum esse ab ea, quam antehac, tunc cum esset laicus, legitime duxisset: Universus Sacerdotum cœtus Paphnutii sermonibus assensus est. Proinde omissa ejus rei disceptatione, singulorum arbitrio permiserunt, ut ab uxorum consuetudine abstinerent, si vellent*. Seu ut scribit Sozomenus: *Synodus consilium ejus probavit, nec ullam ea de re legem tulit: sed in cujusque arbitrio, non autem ex necessitate id esse voluit*. Hæc narratio apud Christianum Lupum scholio in Canonem III. Concilii Nicæni, & apud Petrum de Marca lib. 1. De Concordia Sacerdotii & Imperii cap. 8. §. 4. *nulla suspicione laborat, licet viris celeberrimis aliud videatur*, Baronio in primis ad an. 58. §. 21. & ad an. 325. §. 148. & Valesio in annotationibus ad memoratum Socratis & Sozomeni locum, quibus accedere videtur etiam Tillemontius annotat. 20. ad Concilium Nicænum. Vide Eminentissimum auctorem Vincentium Ludovicum Gotti tom. 2. Veræ Ecclesiæ part. 1. art. 5. §. 4. ubi de hac historia differit, eamque conciliat cum Canone III. Concilii Nicæni, quo *Interdixit per omnia magna Synodus non Episcopo, non Presbytero, non Diacono, nec alicui omnino, qui in Clero est, licere subintroductam habere mulierem: nisi forte aut matrem, aut sororem, aut amitam, vel eas tantum personas, quæ suspicionem effugiunt*.

Sozomenus lib 3. cap. 20. indicare videtur, hymnum, *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto* recitari ex instituto Concilii Nicæni. At S. Basilius De Spiritu Sancto cap. 7. & 27. recitari dicit ex antiqua Ecclesiæ traditione: & Theodoretus lib 4. Hæreticarum Fabularum cap. 1. ait, traditum ab iis, *qui ab initio spectatores & ministri verbi fuerant*. Baronius ad an. 325. §. 273. scribit, *ex Concilio Nicano*

cens, vel a Silvestro Papa primum hujusmodi est excogitata nomenclatura, quæ ab antiquioribus Ecclesiasticis scriptoribus reperitur usurpata. Nec illud certum affirmaverim, quod traditur ab aliis, eum decrevisse, ut Altaria essent lapidea, quia *hujus decreti nulla mentio apud antiquos reperitur*. (7) Primus omnium Romanorum Pontificum pingitur Tiara coronatus, (8) & unus ex omnibus solemni festo pridie Kal. Ja-

cano ad ejusmodi hymnum Glorificationis illud accessisse additamentum, ut post Gloria Patri &c. *diceretur*: Sicut erat in principio, & nunc, & semper, & in sæcula sæculorum. Amen. Baronio consentit Bona De divina Psalmodia cap. 16. §. 6. Vide annotat. 2. ad S. Victorem I.

(7) Bona lib. 1. Rer. Liturgic. cap 20. §. 1.

(8) Hujus rei caussam ex eo repetit Jacobus Cardinalis S. Georgii ad velum aureum lib. 2. De Coronatione Bonifacii VIII. cap. 7. tom. 3. Scriptor. Rer. Italic. pag. 648. quod Constantinus ab S. Silvestro baptizatus *proprium sibi regnum, seu phrygium*, hoc est Coronam, *Silvestri in vertice pressit*. Id quod hausisse videtur ex edicto donationis Constantini, in quo ita legitur apud Lab. tom. 1. Conc. pag. 1538. *Decrevimus & hoc, ut idem venerabilis pater noster Silvester summus Pontifex, & omnes ejus successores Pontifices diademate (videlicet corona, quam ex capite nostro illi concessimus) ex auro purissimo & gemmis pretiosis uti debeant, & in capite ad laudem Dei & pro honore B. Petri gestare*. At *Baronius* (ad an. 324. §. 117. & ad an. 1191. §. 53.) ut ait Schelstratus in Antiquitate illustrata circa Concilia dissertat. 3. cap. 1. num. 338. *existimavit hoc edictum a Græcis confictum*. Pro subdititio pariter habuit ante Baronium Hieronymus Paulus Canonicus Barcinonensis Cubicularius Alexandri VI. in libello, quem vocant Practicam Cancellariæ Apostolicæ, ut est apud Gratium in Fasciculo Rerum expetendarum tom. 1. pag. 159. Hujus edicti creduntur primi meminisse Ado Viennensis in Chronico Ætate 6. & Hincmarus Remensis epist. 14. cap. 13. *Omissis fabulis*, ut scribit Papebrochius in Conatu apud Bolland. tom. 8. Maji pag. 80. *dici posse videtur, quod constituta per Constantinum Ecclesiastica pace, Silvester vel propria electione, vel ipsius mandato Pileum sumserit, Romano more Symbolum libertatis; eumque aureo phrygio, seu diademate ornatum inferne, qua caput tangit, ad significandum Regale Sacerdotium Sacerdotum omnium*

Januar. ab Ecclesia Catholica jussu Gregorii IX. colitur: quo die postremo anni 335. animam in Cælum ab Angelis asportandam reliquit, *uno & vicesimo anno, ac mense undecimo*, quam Pontificatum occeperat.

Bar. an. 335. §. 58 Pag. §. 7.

XXXV.

S. MARCUS.

ANNO CHRISTI 336.

CONSTANTINI IMPERATORIS 31.

MARCUS Prisci filius Romanus anno 336. XV. Kal. Februar. Pontifex creatus, post *menses octo, dies decem & octo* Nonis Octobr. decessit. Theodoretus lib. 2. Hist. Eccl. cap. 12. Eum omittit. Memoriane fugerit in Pontificibus recensendis, an consulto id fecerit, divinare non licet. Illud est certum, ab Optato lib. 2. §. 3. Augustino epist. 53. Hieronymo in Chronico, Rufino lib. 10. cap. 22. & Sozomeno lib. 2. cap. 20. Marcum Silvestro subrogari. Ab eo institutum, *ut Episcopus Ostiensis, qui consecrat Episcopum Urbis, pallio uteretur*, tradit Liber Pontificalis. (1) Quare ante Marcum

Bar. ad an. 336. § 1. 62. 65 Pag. §. 2. 12.

mnium Principi collatum a Christo: cui Bonifacius VIII. *alteram coronam imposuit, exprimi eo volens utriusque Regni corporalis ac spiritualis prærogativam Pontifici competentem. Triplicis denique coronamenti Tiaram assumsisse legitur Urbanus* V. *numeri mystici forsitan caussa*. Vide Joan. Albertum Fabricium Bibliothecæ Græcæ vol. 5. pag. 4. & annotat. nostram 3. ad Urbanum V.

(1) Aliqui putant, Romanorum Episcopum consecratum fuisse ab solo Episcopo Ostiensi usque ad Leonem II, & hunc omnium primum ordinatum a tribus Episcopis Ostiensi, Portuensi, & Veliternensi. At Romanos Pontifices semper a tribus Episcopis fuisse consecratos, probabilius vide-

cum Pontificem Pallii mentionem fieri negant aliqui: ſed alios ejus inſtitutionem Lino tribuiſſe, accipio: & apud quoſdam invenio, Pallii honorem Silveſtro a Conſtantino Magno conceſſum, poſtea etiam Patriarchis & Archiepiſcopis impertitum. Prima igitur Pallii inſtitutio, auctores quoniam non omnes conſentiunt, mihi quoque in incerto relicta ſit.

XXXVI.

S. JULIUS I.

ANNO CHRISTI 336.

CONSTANTINI IMPERATORIS 31.

Bar. ad an. 336. §. 65. Pag. §. 12.

JULIUS Ruſtici filius Romanus Pontificatum adeptus eſt anno 336. ante diem ſeptimum Kal. Novembr. Huic tantum fuit conſtantiæ ad defendendam Nicænam Fidem, quantum pertinaciæ Arianis ad oppugnandam. Catholicos Orientis Epiſcopos, qui ab Arianis deturbati Eccleſiis ſuis, ad ipſum Romam confugerant, *cum ſingulorum cauſſas cognoviſſet, omneſque in Nicænæ Fidei doctrinam conſentientes reperiſſet, tamquam idem cum ipſo ſentientes, in communionem recepit. Et quoniam propter ſedis dignitatem omnium cura ad ipſum ſpectabat, ſuam cuique Eccleſiam reſtituit.* Idem *ad Epiſcopos, qui Antiochiæ convenerant, litteras ſcripſit, quibus eos accuſabat,*

detur: idque noto ad vitam nominati Leonis II. Certe D. Auguſtinus in Brevic diei 3. cap. 6. diſſerens contra Donatiſtas, meminit hujus ritus tamquam vetuſtiſſimi. Ejus verba ſunt: *Romanus Pontifex ſolet ordinari a tribus Epiſcopis, quorum primus eſt Oſtienſis.*

Baronius ad an 336 § 63. *Primo hic mentio in rebus geſtis Romanorum Pontificum habetur de Pallio, ſummi honoris & poteſtatis plenitudinis indice.*

bat, quod Nicæni Concilii Fidem clanculo innovarent, & quod præter Ecclesiæ leges ipsum ad Synodum non vocassent. Legem enim esse Pontificiam, ut pro irritis habeantur, quæ præter sententiam Episcopi Romani fuerint gesta. (1) Rogatus ab Eusebio Nicomediensi Antistite Arianorum Patrono, *ut caussæ Athanasii judex esse vellet, & cognitionem negotii ad se traheret,* (2) ipsum Athanasium, ejusque accusatores Eusebianos Romam concivit. Opportune venit Athanasius, & menses duodeviginti frustra expectavit Eusebianorum Romam adventum. (3) Itaque Julius va-

Bar. an. 340. §. 1. 2. 3.

Pag. §. 2.4. Bar. an. 341. §. 46.

(1) Hæc Sozomenus lib. 3. cap. 8. & 10. Eadem Socrates habet lib. 2. cap. 8. 15. 17 Utriusque verbis nonnihil mutatis Epiphanius Scholasticus in compendium redactus a Cassiodoro lib. 4. cap. 9. innuit, irritam esse Synodum Antiochenam, quia *neque Julius interfuit maximæ Romæ Præsul, neque in locum suum aliquem destinavit; cum utique regula Ecclesiastica jubeat, non oportere præter sententiam Romani Pontificis Concilia celebrari.*

Julius I. epist. 1. §. 22. editionis Petri Coustant, expostulat cum Eusebianis, quod se inscio damnassent Athanasium Episcopum Alexandrinum: *Cur autem de Alexandrina potissimum Ecclesia nihil nobis scriptum est? An ignoratis, hanc esse consuetudinem, ut primum nobis scribatur, & hinc quod justum est, decernatur?*

(2) Socrates lib. 2. Hist. Eccl. cap. 11.

(3) S. Athanasium Romæ opperientem Eusebianos composuisse Symbolum, cujus initium est *Quicumque*, scribit Baronius ad an. 340. §. 11. Testimonia veterum scriptorum de hoc Symbolo leguntur in Diatribe, quæ est in tomo 2. Operum S. Athanasii editionis Benedictinorum, pag. 719. & apud Nat Alexandrum in Hist. Eccl sæc. IV. cap. 6. art. 8. num 9. Scriptor omnium vetustissimus pertinet ad sæculum VII.

Tam Benedictini, quam Nat Alexander negant, illud esse opus S. Athanasii, in qua sententia sunt etiam Quesnellus dissertat 14 in Opera S. Leonis, Tillemontius annotat 34 in S Athanasium, & vir omni doctrina eruditus, Ludovicus Antonius Muratorius, in disquisitione De Symbolo *Quicumque*, tom. 2 Anecdotorum. Horum ratio præcipua, S. Athanasium Nicænæ Synodi defensorem acerri-

vanis eorum excusationibus rejectis, in Concilio quinquaginta Episcoporum anno 341. Athanasium falsis criminibus absolvit, & litteris *communicatoriis* Bar.an.346. S. 5. Pag. S. 4. munitum dimisit. (4) Sed Eusebianis insidias Athanasio struere non omittentibus, caussam ejus retulit ad Constantem Imperatorem rogans, ut ageret apud fratrem Constantium pro Athanasii restitutione in Sedem Alexandrinam. Utriusque Imperatoris jussu Concilium Sardicæ anno 347. coa- Bar. an. 347. S. 18. 20. ctum est, in quo non solum Athanasius, sed etiam Marcellus Ancyranus, Asclepas Gazensis, & alii, quos Eusebiani, impietatis Arianæ patroni inique damnaverant, absoluti sunt. (5) Eodem tem-

rimum, si symbolum confecisset, non fuisse omissurum Nicænam vocem ὁμοούσιον, *consubstantialem*, adversus Arianos semper magno animi ardore ab se propugnatam, quæ id temporis habebatur unica veluti tessera Catholicorum.

Qui Symbolum Athanasio concorditer abjudicant, iidem dissentiunt inter se, dum quærunt cui adjudicent. Petrus Pithœus in lib. de Process. Spir. Sancti illud tribuit Gallo cuidam scriptori. *In Pithœanam hanc sententiam maxime inclinat animus* Gerardi Joannis Vossii, extrema dissertatione secunda de Tribus Symbolis. Quesnellus dissertat. cit. nulli potius *hoc opusculum tribui posse arbitratur, quam Vigilio Tapsitano, seu Tapsensi in Africa Episcopo, acerrimo Catholicæ Fidei defensori* Josephus Antelmius anno 1693. novam de auctore Symboli Athanasiani disquisitionem emisit, in qua rejectis Quesnelli rationibus, Symbolum illud Vincentio Lirinensi vindicare contendit. Laudatus Muratorius suis & ipse conjecturis innixus *celebris symboli auctorem* fuisse Venantium Fortunatum *suspicatur*. Alii ejus auctorem faciunt Anastasium Synaitam, alii Athanasium Spirensem; quidam adscriptum voluerunt S. Hilario Pictaviensi, & nonnulli Eusebio Vercellensi.

(4) Vide annotat. 1. ad S. Sixtum I.

Concilium Sardicense. (5) Concilium Sardicense convocatum est ab Imperatoribus Constantio & Constante, hortatu Julii Pontificis. Convocationis caussam dederunt calumniæ Eusebianorum in S. Athanasium, Marcellum Ancyranum, & Asclepam Gazensem. Interfuerunt Episcopi circiter trecenti. Præfuerunt Osius Episcopus Cordubensis, & Archidamus, ac Philoxe-

tempore Ariani dilapsi a Concilio Sardicensi conventum fecerunt Philippopoli, & specioso Concilii Sardicensis nomine honestarunt. In quo conventu *primum*, ut ait Baronius, *furor hæreticæ pravitatis terminos omnes præsumta ab aliis temeritatis excessit. Ausa enim est Ariana procacia illud nefas, quod vel attingere qualibet execranda hæresis hactenus sibi inconcessum putavit*, ausa, inquam, est *in Julium Papam æque ac alios Catholicæ communionis Episcopos sententiam excommunicationis inferre*. Mortuus est Julius anno 352. pridie Idus April. cum in solio Pontificio sedisset *annos quindecim, menses quinque, dies decem & septem*.

Socrates lib. 2. cap. 20.

An. 347. S. 65.

Bar. an. 352. S. 1. Pag. S. 2.

XXXVII.

xenus Presbyteri, Apostolicæ Sedis Legati. Canones secundum Græcos viginti, secundum Latinos viginti & unus editi sunt: Fidei formula nulla condita. Canonibus 3. 4. & 7. jus appellationum Episcopalium ad Romanum Pontificem confirmatum est, non institutum, ut quidam falso existimarunt. Concilium hoc Oecumenicum & generale est non solum convocatione, quod omnes consentiunt, sed etiam celebratione atque exitu, quod negat Petrus de Marca lib. 7. De Concordia cap. 3. Ideo inter Oecumenica separatim non numeratur, ideoque ejus Canones a summis Pontificibus Zosimo, Bonifacio, Cælestino, Leone recitantur nomine Canonum Nicænorum, quia habetur velut appendix & *clarior explanatio* Concilii Nicæni, ut lib. 1. Hist. Pelag. cap. 17. scribit Norisius, secutus Baronium & Bellarminum. Sic vetustissimus Codex Canonum, qui est in Appendice ad Opera S. Leonis Magni, canones Nicænos ac Sardicenses exhibet, delectu omni & discrimine remoto. Et Petrus Coustant tom. 1. Epist. Rom. Pont. annotat. ad Zosimi epistolam 15. pag. 981. testatur, se legisse Sardicenses *Canones etiamnum in veteribus Codicibus Morbacensi, Fossatensi & Colbertino, Nicæni Concilii titulo insignitos, seu Nicænis sub continuata numerorum serie proxime subjectos*.

Hujus Synodi Patribus in epistola ad Julium Pontificem *hoc optimum & valde congruentissimum esse videtur, si ad caput, id est ad Petri Apostoli Sedem de singulis quibusque provinciis Domini referant Sacerdotes:* id quod laudat Nicolaus I. in epist. ad universos Episcopos Galliæ. Apud Lab. tom. 2. Conc. pag. 661. & tom. 8. pag. 798.

XXXVII.

L I B E R I U S.

ANNO CHRISTI 352.

CONSTANTII IMPERATORIS 16.

Bar. ad an. 352. §. 9. 11. Pag. §. 3.

Bar. an. 355. §. 38. 48. 53. 54.

LIBERIO Augusti filio Romano Pontificia dignitas anno 352. VIII. Idus Maji demandata est. Varia fuit hujus Pontificis vita. Nam ut initio Arianis obstitit; ita postea favere visus est. Frustra Romæ, ut Athanasii caussam desereret, tentatus, Mediolanum venire ab Constantio Imperatore coactus est. Nec ibi ullo modo adduci potuit, ut Athanasii damnationi consentiret, tum quod perspectam haberet sanctissimi Præsulis innocentiam, & odium Arianorum in eum, tum quod Nicænam Fidem, ejus vindice damnato, cuniculis oppugnari videret. Itaque exilium minitanti Constantio audita vox Liberii intrepida & vere Catholica: *Roma jam fratribus vale dixi. Potiores enim sunt Ecclesiæ leges, quam Romana habitatio.* (1) Quo responso commotus Imperator, eum in exilium misit Beroeam Thraciæ, inque locum ejus sufficiendum curavit Felicem, hominem quidem Catholicum, sed ab Arianorum communione abhorrentem parum. Biennii exilium, ac mortis metus Liberium fregit. Quare & damnationi Athanasii, & Formulæ Fidei Sirmiensi subscripsit. (2) Hinc Felice expul-

Bar. an. 357. §. 41. 70. 71. Pag. §. 12.

(1) Theodoretus lib. 2. Hist. Eccl. cap. 13.

(2) S. Athanasius in Hist. Arian. ad Monachos num. 41. pag. 368. *Liberius extorris factus, post biennium denique fractus est, minisque mortis perterritus subscripsit. Verum ea ipsa re comprobatur cum violentia Arianorum, tum Liberii in hæresim illam odium, ejusque pro Athanasio suffragium, quamdiu*

pulso, restitutus est in sedem suam, qua recepta pristinam quoque constantiam recepit, vitiumque infirmitatis humanæ emendavit. Fidem enim Nicæ-

F nam

diu scilicet libere, arbitrioque suo agere licuit. Nam quæ tormentorum vi præter priorem sententiam eliciuntur, ea non reformidantium, sed vexantium sunt placita. Quibus ex verbis efficitur, esse verum, quod ajunt & plurimi & maximi auctores, Liberium subscripsisse manu tantum ac littera, ex animo autem non approbasse, quod subscripserat.

Sed *ex litteris ipsius Liberii, qua præstantior ac verior historia nulla inveniri potest*, ut ait Baronius ad an. 357. §. 41. rem totam enarremus. Tria fecit Liberius, ut est in epistola ejus ad Orientales tom. 2. Operum S. Hilarii pag. 677. quæ visa sunt habere suspicionem hæreseos absconditam: Unum, quod Athanasium Nicænæ Fidei defensorem acerrimum damnavit: Alterum, quod communicavit cum Arianis: Tertium, quod Sirmiensem Fidei formulam *libenti animo suscepit*. Neque in primo, neque in altero, ut ait Bellarminus lib. 4. De Rom. Pont. cap. 9. *fidem expresse violavit. Nam etsi hæretici persequebantur Athanasium caussa fidei, tamen non caussam fidei, sed crimina circa mores prætexebant: & Liberius consensit in damnationem Athanasii propter crimina illi objecta, non propter fidem.*

Pari ratione cum hæreticis communicavit, quia Catholicos se fingebant. Nam in epistolis suis Liberius ait, se communicasse cum Episcopis Orientalibus, quia invenit eorum fidem congruere cum Catholica, & alienam esse ab Ariana perfidia.

Ad tertium pertinet annotatio Monachorum Ordinis S. Benedicti e Congregatione S. Mauri in epistolam Liberii memoratam. *Triplex est Sirmiensis formula. Prima anno 351. contra Photinum scripta*, in qua alieni ab Ecclesia Catholica denunciantur, *qui dicunt Filium ex non existentibus, aut ex alia substantia, & non ex Deo esse, aut tempus vel sæculum fuisse, cum non existeret*: verum reticetur vox ὁμοούσιος *consubstantialis*, ut est apud S. Athanasium De Synodis num 27. pag. 742. *Altera Osii nomine anno 357. vulgata*, quæ dicit, ut ait idem Athanasius num. 28. pag. 744. *nullam omnino oportere fieri mentionem* vocum ὁμοούσιον, & ὁμοιούσιον *consubstantialem, & similem secundum substantiam*: quam posteriorem vocem *ad usum perfidiæ suæ, fraudemque nectendam Catholico dogmati traxerunt Ariani*, ut observat Petavius tom. 2. Theologic. Dogmat. lib. 4. cap. 6. num 5. *Postrema mense Majo anno 359. edita*, quæ Dei Filium asserit ὅμοιον *simi-*

lem

nam professus est, integratamque cum Athanasio communionem & pacem constanter servavit. Imo tertiam Sirmiensem Fidei formulam, in Concilio Ariminensi Arianorum prævalente factione restitutam, & ab Episcopis Catholicis qua dolis, qua vi compulsis subscriptam confixit anathemate. (3)

Ob

lem Patri, teste eodem Athanasio num. 8. pag. 721. Itaque *disputant Eruditi, quam hic Liberius se subscripsisse dicat.*

Solus Valesius animadversionibus in Sozomeni lib. 4. cap. 14. existimat, tertiam hic memorari, quam inter omnes fere convenit nondum fuisse editam, cum hæc Liberius scriberet.

Blondellus aliique plures volunt, Liberium de secunda Sirmiensi formula loqui.

Gravioribus momentis nititur opinio, qua Baronius (ad an. 357. §. 47. 53. 54.) *aliique Liberium secundæ Ecthesi Sirmiensi subscripsisse negant*, contendentes subscripsisse primæ, quæ licet vocem ὁμοούσιον, *consubstantialem* non habeat, Catholicæ tamen veritati consentiens est, ut demonstrat S. Hilarius in libro De Synodis pag. 485. Et quidem Liberium subscripsisse primæ Sirmiensi formulæ, probat idem S. Hilarius in fragmentis pag. 679. Ait enim *perfidiam apud Sirmium*, cui Liberius subscripsit, a duobus & viginti Episcopis, quos nominat, fuisse compositam; secundam vero formulam a quinque duntaxat, quos item nominat in lib. De Synodis pag. 464

At inquies, si Hilarius Liberium primæ Sirmiensi Ecthesi consensisse intellexit, cur eam, quam lib de Synodis probat & excusat, nunc perfidiam vocat? Nimirum quia *Liberio Sirmiensis fidei confessione sanctam consubstantialis fidem supprimenti a vera fide deficere fuit, & perfidum atque hæreticum quadam ratione fieri Hæreticis enim communicans, & credendi legem, quam hæretico sensu tuebantur, quamvis intellectu Catholico ab eis recipiens, hæresis partes communicabat: Catholicus fide & interiori conscientia, communione ac forte etiam rumore publico hæreticus. Quo de rumore legendus Sozomenus lib. 4. cap. 15. Eo sensu intelligendus est Hieronymus De Script. Eccl cap. 97. dixisse Liberium a Fortunatiano* ad subscriptionem hæreseos *compulsum esse. Quo spectat & illud Auxilii lib. 1. De Ordinationibus cap. 25.* Quis nesciat, quod Liberius, heu proh dolor! Arianæ hæresi subscripsit?

Bellarminus quoque concludit, *Liberium etsi non expresse, tamen interpretative in hæresim consensisse.*

(3) Concilium Ariminense anno 359. celebratum est.

In

Ob id rursus ab Constantio ejectus ex Urbe, latuit in suburbanis Cœmeteriis ad obitum usque. Bar. an. 359. §. 46.
Obiit autem anno 367. V. Idus Septembr. *annis* An. 367. §. 2. 4.
F 2 *quin-* Pag. §. 2.

In eo numerati Episcopi amplius quadringenti, atque in his Ariani octoginta. *Bono initio, fœdo exitu est consummatum*, ut ait Sulpicius Severus lib. 2. Hist. Sacræ extremo cap. 44. Episcopi, qui prius Nicænam Fidei professionem confirmaverant rejecta Sirmiensi, & Ursacium ac Valentem sociosque Arianos anathemate damnaverant; iidem postea tum vi subacti ab Constantio Cæsare, tum fraudibus circumventi ab Episcopis Arianis subscripserunt Sirmiensi formulæ, cui inerat occultus dolus. Rem totam narrat S. Hieronymus in Dialogo adversus Luciferianos cap. 7. & Sulpicius Severus lib. 2. Hist. Sacræ. *Sed tanto Catholicæ Ecclesiæ terræmotu*, ut ait Baronius ad an. 359. §. 45. *quo & montes ipsi e suis sedibus divulsi sunt, plane inconcussa mansit petra solidissima, verbo Christi in fundamento firmiter collocata: Romani, inquam, Antistitis Petri Apostoli successoris Fides enituit, cum ferme omnibus in hunc modum captivis abductis, ipse Romanus Episcopus* (Liberius) *se a nova fidei subscriptione subtraxit*, teste Damaso in epist. ad Episcopos Illyrici: imo totius Concilii acta rescidit, teste Siricio in epist. ad Himerium Tarraconensem apud Labbeum tom. 2. Conc. pag. 883. & 1018.

Idem Damasus & ceteri Episcopi Romæ congregati in eadem epistola: *Neque præjudicium aliquod fieri potuit per numerum Arimini congregatum, quando constat, neque Romanum Episcopum, cujus ante omnia decebat eos expectare decretum, neque alios talibus præbuisse consensum.*

S. Ambrosius l. 2. epist. 21. alias 13. Concilium Ariminense, *quod bene cœpit, aliter consummatum est. Episcopi tamen inflexam statim revocavere sententiam. Et certe major numerus Arimini Nicæni Concilii fidem probavit, Ariana decreta damnavit.*

S. Augustinus lib. 2. contra Maximinum cap. 14. *Pater & Filius unius sunt ejusdemque substantiæ. Hoc est illud* Homousion, *quod in Concilio Nicæno adversus hæreticos Arianos a Catholicis Patribus veritatis auctoritate, & auctoritatis veritate firmatum est: quod postea in Concilio Ariminensi propter veritatem verbi minus quam oportuit intellectum, quod tamen fides antiqua pepererat, multis paucorum fraude deceptis, hæretica impietas sub hæretico Imperatore Constantio labefactare tentavit.* Vide Baronium ad an. 359. §. 49. Petavium tom. 2.

Theo-

quindecim, mensibus quatuor, & die uno postquam renunciatus Pontifex fuerat. Eum præter Ambrosium, Basilium, & Epiphanium collaudarunt Siricius in epist. ad Himerium Tarraconensem cap. 1. Theodoretus lib. 2. Hist. Eccl. cap. 14. Ille enim *venerandæ memoriæ prædecessorem*, hic *triumphantem veritatis athletam* appellavit. (4)

XXXVIII.

S. FELIX II.

ANNO CHRISTI 355.

CONSTANTII IMPERATORIS 19.

IN locum Liberii exulis anno 355. sublectus est fidelis ejus Diaconus nomine Felix, qui *a tribus Arianis Episcopis in ordinatione manus impositionem accepit*. (1) Fuit ex eorum numero, qui *præsente populo Romano sub jurejurando firmaverunt, se vivente Liberio Pontificem alterum nullatenus habituros*. (2) Eum-

Bar. ad an. 355. §. 55. 56. Pag. §. 3.

Theologic. Dogmat. lib. 4. cap. 5. §. 4. & Nat. Alexandrum in Hist. Eccl. sæc. IV. differtat. 33.

(4) S. Ambrosius initio libri 3. De Virginibus recitat sermonem *beatæ memoriæ Liberii* habitum in Æde S. Petri die natali Christi Domini ad ipsius Ambrosii sororem Marcellinam, *cum virginitatis professionem vestis quoque mutatione signaret*. Monachi Congregationis S. Mauri in hunc Ambrosii locum: *Liberii nomen in additionibus ad Usuardum, Bedæ Martyrologio, nec non in eo, quod a Vandelberto versibus scriptum tom. 5. Spicilegii editum est, in Sanctorum albo describitur*.

(1) Socrates lib. 2. cap. 37. *Nonnulli tamen affirmant, illum opinionem Arianam minime amplexum esse, sed vi ac necessitate compulsum ordinationem suscepisse*.

(2) Præfatio in Marcellini & Faustini Libellum precum ad Imperatores apud Sirmondum tom. 1. pag. 137. edit. Venetæ.

Eumdem *ajunt Fidei Concilii Nicani perpetuo adhæsisse, & quod ad religionem pertinet, omni prorsus reprehensione caruisse. Unum vero illud in eo esse reprehensum, quod etiam ante ordinationem communione cum hæreticis sociatus fuisset.* (3) *Quo factum ut in Ecclesiam, dum intus esset, nemo Civium Romanorum sit ingressus.* (4) *Tertio anno* exilii Romam *redit Liberius, cui obvians cum gaudio populus Romanus exivit, Felix notatus a Senatu vel populo de Urbe propellitur, & post parum temporis impulsu clericorum, qui pejeraverant, irrumpit in Urbem, & stationem in Julii Basilica trans Tiberim dare præsumit: quem omnis multitudo fidelium & proceres de Urbe iterum cum magno dedecore projecerunt.* (5) *Et Imperator, licet invitus, assensum illis prabuit.* (6) Itaque *Felix recedens in alia Civitate sedem fixit.* (7) *Post hac vero cum supervixisset modico tempore,* (8) *seu annos octo*, X. *Kalendarum Decembrium die defunctus est* (9) anno Christi 365. (10) Bar. an. 357. §. 59. Pag. §. 16. 17.

(3) Sozomenus lib. 4. cap. 11.
(4) Theodoretus lib. 2. Hist. Eccl. cap. 14.
(5) Præfatio memorata.
(6) Socrates lib. 2. cap. 37.
(7) Theodoretus loc. cit.
(8) Sozomenus lib. 4. cap. 15.
(9) Præfatio memorata.
(10) Utrum in Pontificibus Felici locus sit, ambigitur. Sunt, qui ajunt, congregasse *se Sacerdotes, & cum consilio Liberii ordinasse in locum ejus Felicem*, ut liber Pontificalis in Liberii vita loquitur. Alii contra Felicis electioni nec Clerum, nec populum consensisse, respondent ex S. Athanasii Historia Ariana ad Monachos num. 75. pag. 389. Instant illi, a populo duntaxat post Liberii lapsum pro Pontifice habitum. Hi a populo ejectum reponunt, eique præpositum Liberium reversum ab exilio damnati Athanasii reum, & Sirmiensis formulæ subscriptione atque Arianorum communione contaminatum. Urgent illi, Theodoretum lib. 2. Hist. Eccl. cap. 14. Felicem Liberii successorem facere. At hi Theodoreto objiciunt Optatum Milevitanum lib. 2. §. 3. & S. Augustinum epist. 53. alias 165. ubi Ro-

ma-

XXXIX.

S. DAMASUS I.

ANNO CHRISTI 367.

VALENTINIANI ET VALENTIS IMPP. 4.

Bar. ad an. 367. §. 6. 7. Pag. §. 2. 4.

D*AMASUS vir plurimis virtutibus insignis, Romanæ Ecclesiæ post Liberium cathedram sortitus* (1) est anno 367. XVII. Kal. Octobris. Is natione Hispanus Patrem habuit Antonium. Tristi admodum initio usus est Pontificatus. Nonnulli siquidem seu odio, seu invidia ducti, alium Pontificem in Basilica Sicini crearunt, Ursinum seu Ursicinum Diaconum Romanum. *Quo ex facto tanta seditio, imo vero tanta bella coorta sunt, alterutrum defendentibus populis, ut replerentur humano sanguine orationum loca.* (2) *Constatque, in Basilica Sicini uno die centum & triginta septem reperta cadavera peremtorum.*

manorum Pontificum seriem recensentes nullam faciunt hujus Felicis mentionem. Addunt illi, adhibitum humato Felici titulum: *Hic jacet corpus S. Felicis Papæ & Martyris, qui Constantium hæreticum damnavit*, repertum anno 1582. Gregorio XIII. Pontifice. Sed hi illam tumuli inscriptionem dubiam esse, nec rem decernere contendunt, quod Marcellinus & Faustinus coævi & rerum spectatores Felicem *defunctum* simpliciter dicant, sine ulla mentione martyrii, & Constantium ab hoc Felice damnatum nullus scripserit antiquorum. Utcumque sit, ejus memoria tamquam *Papæ & Martyris* in Romano Martyrologio IV. Kal Augusti colitur atque celebratur. Vide Baronium ad an. 357. §. 59. 61. 63. 67. & ad an. 367. §. 14. Schelstratum in Antiquitate Ecclesiæ illustrata tom. 1. differtat. 2 cap 9. Nat. Alexandrum in Hist. Eccl sæc. IV. differtat. 32 art. 3. Tillemontium annotat. 60. in Historiam Arianorum tom. 6. pag. 778. & annot. 8. ad Gregorium XIII.

(1) Theodoretus lib. 2. Hist. Eccl cap. 17.

(2) Rufinus lib. 2. Hist. Eccl. cap. 10.

rum. (3) Qui ſtabant ab Urſicino contra Damaſum, cum alio modo non poſſent, oblato falſo crimine electionem ejus convellere tentarunt. Integerrimum & caſtiſſimum Pontificem, qui *Virgo & Eccleſiæ Virginis Doctor* a D. Hieronymo appellatur, de adulterio accuſare haud veriti ſunt. Calumniam effugit fretus innocentia ſua, atque eodem referente Hieronymo, *& vicit adverſarios, & non nocuit ſuperatis*. Tranquillam & pacatam adeptus Romanæ Eccleſiæ adminiſtrationem varia habuit Romæ Concilia; inter quæ illud maxime illuſtre, in quo ipſe *primus, cum hæreſim* (Apollinariſtarum) *latius ſerpere intellexiſſet, eam ab Eccleſia Catholica alienam eſſe decrevit*, (4) ac *non ſolum Apollinarem, verum etiam Timotheum ejus diſcipulum abdicavit*. (5) Idem *Damaſus fidei adamas protinus obſtitit Macedonio*, qui *Spiritus denegabat Deitatem, & Dominum conſervum prædicabat*. (6) Mandavit enim Epiſcopis Orientalibus, qui Romam acciti ad Concilium neceſſariam ſuam Conſtantinopoli moram excuſarant, ut Concilium ipſi celebrarent adverſus eum, celebratumque auctoritate ſua fecit Oecumenicum II. (7) D. Hie-

Epiſt. 50. cap. 7.

Epiſt. 49.

Bat. an. 373. §. 1.

An. 381. §. 38. 48.

F 4

(3) Ammianus Marcellinus lib. 27. cap. 3.

(4) Sozomenus lib. 6. cap. 25.

(5) Theodoretus l. 5. c. 10. Apollinaris error *primarius, quod Chriſti corpus anima rationali careret, & pro anima Deitatem haberet*: apud Lab. tom. 2. Conc. pag. 896.

(6) Synodus VI. act. 18. apud eumdem Lab. tom. 6. Conc. pag 1049

(7) Convocatum eſt anno 381. a Theodoſio Magno haud inconſultu Damaſi. *Nam Conſtantinopolim convenera-mus*, inquiunt Patres hujus Concilii in Epiſt. Synodica ad Damaſum apud Lab. tom. 2. Conc. pag. 961. *mandato literarum veſtrarum, ſuperiore anno a veſtra Reverentia poſt Concilium Aquilejenſe ad Dei amantiſſimum Imperatorem Theodoſium miſſarum*. Convenere autem 150. & ad ſummum 180. quibus præfuiſſe Timotheum Alexandrinum, quam Acholium Theſſalonicenſem propius vero eſt. Congregationis cauſſa duplex, ut *& Nicæna Fides confirmaretur, & Conſtan-*

Concilium Oecum. II.

Hieronymi *opera usus est in conscribendis epistolis ad diversas consultationes ex diversis Ecclesiarum Conciliis ad se Romam perlatas*. (8) Eumdemque jussit *Novum*

stantinopoli ordinaretur Episcopus, teste Socrate lib. 5. cap 8. Confirmanda autem erat Nicæna Fides adversus Macedonium in primis, item adversus Aetium, Eunomium, eosque omnes, qui post Ariminense Concilium ex decreto Constantii Imperatoris dicebant Filium Dei in omnibus similem Patri. Quod spectat ad alteram caussam, Maximus Cynicus, qui Constantinopolitanam Sedem usurpaverat, dejectus est; & Episcopale jus vindicatum Gregorio Nazianzeno, qui cum studio pacis se abdicasset Episcopatu, in ejus locum suffectus est Nectarius vir ordinis Senatorii adhuc Catechumenus. Fides Nicæna stabilita Symbolo explicato additisque verbis: *Credimus in Spiritum Sanctum Dominum* ad confutandam impiam Macedonii amentiam. Ecclesiæ disciplina tribus (septem alii numerant) canonibus sancita. Ex his unus simul *honoris primatum post Romanum Episcopum*, simulque Patriarchæ jurisdictionem in Diæceses Thraciæ, Ponti, & Asiæ tribuit Antistiti Constantinopolitano Sed neque hunc, neque alios canones nisi quatenus confirmant Nicænam Fidem, & damnant hæreses, recepit Damasus, neque ejus successores usque ad Innocentium III. qui anno 1215. in Concilio Lateranensi IV. Oecum. XII. can. 5. pacis caussa usurpatum ad id temporis primum locum post Romanum Episcopum Constantinopolitano adjudicavit Contra vero Symbolum semper ab Ecclesia Romana, & quidem veluti tessera Catholicæ Fidei receptum est, & apud Græcos etiam in locum Nicæni, nomine haud mutato, suffectum. Romani enim servarunt veterem morem recitandi Symbolum Apostolorum, quo indicarent, nullam hæresim Romæ exordium sumsisse.

Vox *Filioque* in Ecclesiis Hispaniarum Symbolo adjecta dicitur sexto labente sæculo; apud Gallos & Germanos octavo; ab Ecclesia Romana exeunte nono. Vide Petavium Theologic. Dogmat. tom 2. lib. 7. cap. 2 & 19. Bellarminum lib. 2 De Christo cap 21. Gasparem Juenin tom. 3. Institut. Theologic. dissertat. 5 cap. 3. art. 2. Thomasium in Præfat ad Codices Sacramentorum, & Michaelem Lequien dissertat. 1. in Damascenum §. 26.

(8) Baronius ad an 382. § 24. Hieronymus epist. 11. *Ante annos plurimos, cum in chartis Ecclesiasticis juvarem Damasum Romanæ Urbis Episcopum, & Orientis atque Occidentis synodicis consultationibus responderem*.

uum Testamentum Græcæ fidei reddere. Elegans in versibus componendis ingenium habuit, multaque & brevia opuscula metro edidit. (9) Itaque vel ex hoc loco D. Hieronymi colligi licet id, quod convenit inter doctos, Librum Pontificalem, cui nulla inest elegantia sermonis, a Damaso non fuisse compositum. (10) *Prope octogenarius sub Theodosio Principe mortuus est* anno 384. III. Idus Decembr. post *annum decimum septimum, mensem secundum, diem sextum & vigesimum*, quam *Romanæ Ecclesiæ Sacerdos judicio Dei electus* fuerat. (11) Bar. ad ann. 384. § 18. Pag. §. 2.

XL.

(9) S. Hieronymus De Script. Eccl. cap. 103. & 135 & epist. 123. seu Præfat. in quatuor Euangelia ad Damasum: *Novum opus me facere cogis ex veteri, ut post exemplaria Scripturarum toto orbe dispersa, quasi quidam arbiter sedeam, & quia inter se variant, quæ sint illa, quæ cum Græca consentiant veritate, decernam.... Præsens præfatiuncula pollicetur quatuor tantum Euangelia, quorum ordo est iste, Matthæus, Marcus, Lucas, Joannes, codicum Græcorum emendata collatione, sed veterum. Quæ ne multum a lectionis Latinæ consuetudine discreparent, ita calamo temperavimus, ut his tantum, quæ sensum videbantur mutare, correctis, reliqua manere pateremur, ut fuerant.*

Bona lib. 2. Rer. Liturgic. cap. 3. §. 4. *S. Hieronymus jussu Damasi Papæ Italicæ versionis errores quosdam magis conspicuos correxit: tum plebejos aliquot & soli Italiæ familiares loquendi modos usitatioribus commutavit, reliquam versionem ob perspicuitatem Latini sermonis reliquit.*

(10) Vide annotationem 2. ad S. Linum.

(11) Ambrosius epist. 11. pag. 195.

Baronius ad an. 384. §. 26. *In libro de Romanis Pontificibus de Damaso dicitur, ejus præcepto institutum*, ut die noctuque Psalmi in Ecclesiis canerentur: *quod plane falsum est. Sed fortasse aliqua potius forma ab eo præscripta fuit. Siquidem ab ipso exordio nascentis Ecclesiæ viguisse in Ecclesia Catholica cum cantu divinam nocturnamque psalmodiam, certum est*. Id probat Bona De Divina Psalmodia cap. 1. §. 4.

Et cap. 16 §. 6 *Multi scriptores*, inquit, *legem canendæ doxologiæ in fine Psalmorum ad Damasum Papam referunt, a quo hanc editam sanctionem ajunt, D. Hieronymo suadente & procurante. Decepti sunt isti ob Epistolam Hieronymi ad Da-*

XL.

S I R I C I U S.

ANNO CHRISTI 385.

VALENTINIANI II. 10. THEODOSII 6.

Bir. an. 385 §. 5. 6. Pag. §. 2.

NON ſine tumultu fautorum Urſicini anno 385. pridie Idus Januar. *ſucceſſit Damaſo Siricius, hodie qui noſter eſt ſocius, cum quo nobiſcum totus Orbis commercio Formatarum in una communionis ſocietate concordat*, ut ait S. Optatus Milevitanus lib. 2. contra Parmen. §. 3. Romanus fuiſſe dicitur ac Tiburtii filius. Ipſo Pontificatus initio celebrem ſcripſit epiſtolam ad Himerium Epiſcopum Tarraconenſem, quæ conſtat quindecim capitibus ſpectantibus ad Eccleſiaſticam diſciplinam. (1) Cap. 2. vult, Sacramentum Baptiſmi extra neceſſitatem adminiſtrari tantum diebus Paſchæ & Pentecoſtes. (2) Cap. 7. Sacerdotes & Diaconos cœlibes eſſe ju-

Damaſum, quæ ab eruditis Hieronymi res accuratius expendentibus, tamquam adulterina ac plane commentitia exploditur. Et §. 10. Cantum alternum Damaſus *non introduxit, ſed ab Ambroſio inſtitutum Apoſtolico decreto ſtabilivit primus*.

(1) Petrus Couſtant tom 1. Epiſt. Rom. Pont. pag. 624. *Ex epiſtolis decretalibus, quibus Romani Præſules ad diverſarum Eccleſiarum conſultationes reſpondent, licet hæc prima ſit, quæ ad nos pervenerit, non eſt tamen prima, quæ ea de cauſa ſcripta ſit: Neque enim Hieronymus in epiſtola ad Ageruchiam ſe in reſponſionibus* ad Orientis Occidentiſque conſultationes *Damaſum juvare, niſi hoc antea receptum fuiſſet uſu, commemoraſſet*.

(2) Tertullianus De baptiſmo cap. 19. *Diem baptiſmo ſolemniorem Paſcha præſtat.... Exinde Pentecoſte ordinandis lavacris latiſſimum ſpatium eſt*. Nimirum Eccleſiæ diſciplina receptior, de qua ſancti Patres, & Concilia teſtantur, Paſchæ & Pentecoſtes dies baptiſmo ſolemnibus ceremoniis ad-

jubet lege roborans ductam usque ab Apostolicis temporibus consuetudinem. (3) Cap. 9. & 10. decernit Ordinum interstitia. (4) Cap. 13. permittit Monachis *quoque, quos tamen morum gravitas & vita ac fidei institutio sancta commendat, Clericorum officiis aggregari*. (5) Idem anathemate confixit Jovinia-

num

administrando præstituit: quarumdam Ecclesiarum usus adjunxit dies Natalis, & Epiphaniæ Domini, itemque diem ortus S. Joannis Baptistæ. *Ceterum*, ut ait Tertullianus, *omnis Dies Domini est, omnis hora, omne tempus habile baptismo: si de solemnitate interest, de gratia nihil refert.*

(3) Vide Petrum de Marca lib. 1. de concordia Sacerdotii & Imperii cap. 8. §. 4.

(4) His verbis apud Lab. tom 2. Conc. pag. 1021. *Quicumque se Ecclesiæ vovis obsequiis a sua infantia, ante pubertatis annos baptizari, & lectorum debet ministerio sociari. Qui ab accessu adolescentiæ usque ad tricesimum ætatis annum.... Acolythus & Subdiaconus esse debebit: post quæ ad Diaconii gradum....accedat. Ubi, si ultra quinque annos laudabiliter ministraris, congrue Presbyterium consequatur. Exinde post decennium, Episcopalem cathedram poteris adipisci.*

Qui vero jam ætate grandævus, melioris propositi conversatione provocatus, ex laico ad sacram militiam pervenire festinat, desiderii sui fructum non aliter obtinebit, nisi eo, quo baptizatur, tempore, statim Lectorum aut Exorcistarum numero societur....Qui dum initiatus fuerit, expleto biennio, per quinquennium aliud Acolythus & Subdiaconus fiat, & sic ad Diaconatum provehatur. Exinde jam accessu temporum Presbyterium, vel Episcopatum, si eum Cleri ac plebis evocaverit electio, non immerito sortietur.

Zosimus quoque in epist. ad Hesichium Salonitanum cap. 3. apud Lab. pag. 1557. exponit Ordinum interstitia: atque ut docet Gaspar Juenin in Commentario Historico de Sacramentis dissertat. 8. de Sacram. Ordinis quæst. 8. cap. 3. *nono Ecclesiæ sæculo obtinebat circa interstitiorum tempus lex, quam Siricius & Zosimus promulgarant. Post annum millesimum ex antiquo interstitiorum jure plurimum detractum est.*

(5) Monachi sacro Presbyteratus Ordine initiari cœpti quarto labente sæculo. Primus omnium S. Athanasius Clero Alexandrino Sacerdotes ex Monachis dedit. Ejus vestigiis in partibus Occidentis primus instituit S. Eusebius Vercellensis Episcopus, teste D. Ambrosio epist. 25. pag. 246.

Si-

Bar. an. 390. §. 18. num Monachum, *qui Virginitatem sanctæ Mariæ destruebat, & virginitati sacræ nuptias fidelium coæquabat*. (6) An. 389. §. 63. Manichæos quoque, ut legitur in libro Pontificali, diris devotos ejecit ex Urbe, eosdemque ad Ecclesiam redeuntes jussit detrudi in Cœnobia, ac toto vitæ spatio ibi pœnitentiam agere, nec Eucharistiam sumere, nisi in extremo vitæ periculo. (7) Non pugnavit solum contra Manichæos, An. 381. §. 113. sed etiam contra Priscillianistas Manichæis in pluribus consentientes, imo *contra omnes hæreses*, ut scribit auctor Libri Pontificalis. Fulgentem Pontificatu egregie gesto detrectant aliqui, perinde quasi Ecclesiæ periclitanti propter Origenistas a Marcella Romæ detectos adfuerit minus promte. (8) Cum

Siricius monachis omnibus, quos vitæ gravitas & integritas commendaret, non modo ad sacerdotium, sed etiam ad Episcopatum aditum patefecit.

(6) S. Augustinus lib. 1. contra duas epistolas Pelagianorum cap. 2. Vide Nat. Alexandrum dissertat. 48. in Hist. Eccl. sæc. IV.

(7) *Unde duo quædam consequuntur, & Monasteria ante Siricium fuisse, & gravioribus delictis pænitentiam perpetuam impositam fuisse; cum hoc tamen moderamine, quod in ultimo constitutis Viaticum concederetur*. Schelstratus Antiquit. Illustratæ part. 1. pag. 463.

(8) Quis miretur, Siricium virum qui *de suo ingenio ceteros æstimabat*, ut ait Hieronymus epist. 16. ad Principiam, non modo non damnasse Rufinum Origenistam, sed etiam ei Aquilejam solum patrium proficiscenti post editam infamem interpretationem librorum Origenis περὶ ἀρχῶν, *De principiis* litteras *communicatorias* concessisse? Sibi enim persuadere non potuit, in viro tanti nominis ac famæ, qualis tum habebatur Rufinus, latere venenum hæreseos, quo Urbs tota absumta esset, nisi fuisset a S. Marcella detectum. Non est igitur Siricius hac de caussa negligentiæ insimulandus. Ut Jovinianum aliosque hæreticos damnavit: ita Rufinum quoque damnasset, si errores ejus cognitos habuisset atque perspectos.

Siricium autem præmatura morte ereptum e vivis, quod paullo segnius defenderit caussam Fidei, dicet nemo, qui recte sentiat: præsertim cum multos Romanos Episcopos Pon-

Cum *annos tredecim, mensem unum, & dies decem* Pontifex fuisset, diem suum obiit anno 398. VIII. Kal. Martias. (9) An. 398 S. 1. Pag. S. 2.

XLI.

Pontificatus diuturnitate exæquarit, plures superaverit, ac decesserit natus annos amplius septuaginta, ut probat Florentinius Exercitat. XVI. in Martyrolog. Hieronymianum ad VI. Kal. Decembr. ubi ea purgat, quæ Siricii sanctitatem obscurare Baronio visa sunt. Quod facit etiam Norisius in dissertat. De Sanctitate Siricii, Operum tom. 4. pag. 721. Vide Cardinalem Lambertinum De Serv. Dei Beatif. & Beat. Canoniz. lib. 4. part. 2. cap. 5. num. 4.

(9) Cantelius in Historia Metropolitanarum Urbium part. 2. dissertat. 1. cap. 2. docet, *Papæ* nomen, quod primis Christi sæculis erat Episcopis omnibus commune, primum sibi tribuisse Siricium in ea epistola, cui inscriptio est: *Siricius Papa Orthodoxis per diversas provincias*, & Siricii vestigiis institisse Leonem epist. 104. Idem part. 1. dissertat. 1. cap. 1. scribit, sæculo sexto Ennodium Ticinensem, Cassiodorum, & Liberatum vocare consuevisse Romanum Episcopum *Papam*, Antistites vero aliarum Ecclesiarum *Episcopos*, postea sensim obtinuisse, ut nono sæculo exeunte, vel ineunte decimo *Papæ* nomen uni Romano Pontifici tribueretur: tandem, cum Schismatici pro odio, quod habebant in Romanum Episcopum, nomen *Papæ* sibi vindicarent, anno 1073. in Synodo Romæ habita cavisse Gregorium VII. (quod tradit etiam Baronius in Martyrolog. Rom. ad diem X. Jan.) *ut Papæ nomen unicum esset in universo Orbe Christiano, nec liceret alicui se ipsum vel alium eo nomine appellare. Hæc in registro Epistolarum Gregorii* VII, *quod asservatur in Biblioth. Vaticana, ubi canones ejus Synodi scripti habentur*. Baronium sequitur etiam Sirmondus annotat. ad Ennodii epist. 1. lib. 4. At Pagius tom. 3. Breviarii in Addendis pag. 559. dicit, se *nescire, a quo acceperit Cantelius, id in Synodo Romana sub Gregorio* VII. *sancitum esse: neque enim in decem, quas hic Pontifex Romæ celebravit, Synodis hujusmodi decreti vestigium aliquod reperitur*.

XLI.

S. ANASTASIUS I.

ANNO CHRISTI 398.

ARCADII ET HONORII IMPERATOR. 4.

Bar. an. 398. §. 2. 3. 4. Pag. §. 5. PRIDIE Idus Martias anno 398. *succedit in Pontificatum vir insignis Anastasius*, (1) *quem diu Roma habere non meruit, ne Orbis caput sub tali Episcopo truncaretur*. (2) *Imo iccirco raptus atque translatus est, ne semel latam sententiam precibus suis flectere conaretur; dicente Domino ad Jeremiam*: Ne oraveris pro populo isto, neque depreceris in bonum. (3) Romanus fuit, ac Maximi filius. *Vir ditissima paupertatis, & Apostolicæ sollicitudinis statim noxium perculit caput, & sibilantia hydræ ora compescuit*. (4) Vide-

(1) Ad hunc usque Pontificem pervenit series Pontificum Romanorum contexta a D. Augustino epist. 53. alias 165. In Siricium Anastasii successorem definit S. Optatus Milevitanus lib 2. §. 3.

(2) Orbis caput truncatum dicitur ob eam caussam, quod Roma anno post Anastasii mortem octavo, Christi 410. primam obsidionem & direptionem passa est ab Alarico Gothorum Rege.

(3) Hæc S. Hieronymus epist. 16. ad Principiam pag. 123.

(4) Idem epist. 8. ad Demetriadem pag. 66. ad Pammachium.

Adversus Rufinum l. 2. c. 3. ponit *inter multa Origenis mala hæc maxime hæretica*: *Dei filium creaturam; Spiritum Sanctum ministrum; mundos innumerabiles, æternis sibi sæculis succedentes: Angelos versos in animas hominum; animam Salvatoris fuisse, antequam nasceretur ex Maria; resurrectionem nostrorum corporum sic futuram, ut eadem membra non habeant*. Hæc & similia an vere tribuantur Origeni, disputat Huetius lib. 2. Origenianorum, Norisius in dissertat. Historica de

delicet impios Origenis libros Periarchon proscripsit, nec solum auctorem Origenem, sed etiam interpretem Rufinum acerrimum Origenistarum defensorem ac patronum anathematizavit. (5) Idem, ut est in Libro Pontificali, *constituit, ut quotiescumque Sancta Euangelia recitarentur, Sacerdotes non sederent, sed curvi starent,* (6) *ut videlicet humilitatem, qua a Domino docetur, etiam corpore demonstrarent.* (7) Anno 402. V. Kal. Majas ad superos evolavit, cum *annos quatuor, mensem unum, & dies tredecim* Pontificale munus sustinuisset.

Bar. an. 400. §. 33. Tab. tom. 5. Conc. pag. 658. Bar. an. 402. §. 42. 43. Pag. §. 16.

XLII.

de Synodo quinta cap. 6. & lib. 1. Historiæ Pelagianæ cap. 1. sectæ Pelagianorum Principem facit.

(5) *Rufinus Monachus Aquilejensis Origenianæ doctrinæ maximus propugnator ac promotor, Pelagianorum idem magister & amicus fuit.... Primus in Occidente Pelagianam hæresim docuit, ac Pelagium & Cælestium eadem imbuit:* Norisius Hist. Pelag. l. 1. c. 1. qui cap. seq. 3. secutus auctoritatem antiqui Codicis Vaticanæ Bibliothecæ ait, Rufinum *errores ab se assertos condemnasse.*

(6) Cur hoc decretum Anastasius conderet, caussam præbuit contentio Romæ inter Presbyteros & Diaconos oborta. *Hi enim,* ut ait Baronius ad an. 402. §. 44. *administrantes res Ecclesiæ, supercilio elati spernebant Presbyteros; Presbyteri autem in eosdem insurrexere, atque ex consuetudinis Romanæ Ecclesiæ præscripto, ipsis sedentibus, eos stare debere contendebant. Sed eo usque contentio pertinax progressa est, ut etiam cum stantes Diaconi coram populo legerent Euangelium, Presbyteri tamen minime a sessione consurgerent, quod ut enorme factum Anastasius Papa emendandum sancito decreto putavit.*

(7) Walafridus Strabo De rebus Ecclesiasticis cap. 22. tom. 15. Biblioth. Patrum pag. 192.

XLII.

S. INNOCENTIUS I.

ANNO CHRISTI 402.

ARCADII ET HONORII IMPERATOR. 8.

INNOCENTIUS Albanensis patre Innocentio natus, *in locum* Anastasii, *consentientibus sanctis Sacerdotibus, omnique Clero ac populo, ordinatus est* (1) anno 402. XV. Kal. Junii. Haud leve ei fuit cum Theophilo Alexandrino & Orientalibus Episcopis negotium de caussa S. Joannis Chrysostomi. Hunc bis injusto judicio damnatum, & Episcopatu dejectum, appellatione ejus suscepta absolvit, & Constantinopolitanæ Sedi restituit. (2) Qui vivo præsto fuit, non defuit mortuo. Recusavit enim communicare cum Attico Constantinopolis Episcopo, & Orientalibus, donec inustam Chrysostomo ignominiam demerent, ejus nomine in Diptycha, unde expunctum fuerat, restituto, nomenque Arsacii, qui post expulsionem Chrysostomi usurpaverat Constantinopolitanum Episcopatum, ex iisdem Ecclesiasticis tabulis expungerent. (3) Idem in epistola ad Victricium multa decrevit

Bar. an. 402. §. 48. Pag §. 19.

Bar. an. 404. § 20. Pag. §. 16.

Bar. an. 407. §. 21.

An. 409. §. 10.

(1) Innocentius 1. in Epist. ad Anysium apud Lab. tom. 4. Conc. pag. 1701.

(2) Gelasius in epist. ad Episcopos Dardaniæ tom. 4. Conc. pag. 1203. *Sanctæ memoriæ Joannem Constantinopolitanum Synodus etiam Catholicorum Præsulum certe damnarat, quem simili modo Sedes Apostolica, etiam sola, quia non consensit, absolvit.*

(3) Bona lib. 2. Rer. Liturgic cap. 12. *Diptychorum nomen a Ptychis, id est plicis derivatur: unde Diptycha tabulæ sunt, quæ duas habent plicas.... Invenio autem tria fuisse ge-*

ne-

vit formandis moribus Clericorum, & Virginum sacrarum. (4) Idem profectus est cum legatis ad Honorium Imperatorem, & Alaricum Regem Gothorum ad pacem inter ipsos conciliandam & obsidionem avertendam ab Urbe. Quæ legatio licet successu caruerit, ei tamen cessit prospere. Namque *accidit ut tamquam justus Loth subtractus a Sodomis, occulta providentia Dei apud Ravennam tunc positus, peccatoris populi non videret excidium.* (5) Eum vero, salute Urbis præposita religioni Catholicæ,

G per-

nera Diptychorum, sive tabularum, quibus nomina in singulis Ecclesiis inscribebantur. Primum erat peculiare Episcoporum, eorum præsertim, qui illam Ecclesiam rexerant, dummodo probitate ac sanctis moribus claruissent. Secundum virorum, in quibus eorum nomina descripta erant, qui adhuc viventes dignitate aliqua, vel beneficiis illi Ecclesiæ collatis conspicui, vel alio titulo benemeriti erant. In his primo loco Romanus Pontifex, tum alii Patriarchæ, & proprius Antistes, ac reliqui clero adscripti recensebantur; postea Imperator, Principes, Magistratus, & populus fidelis. Tertium erat mortuorum, qui in catholica communione decesserant. Usum vero Diptychorum, eorumque lectionem inter Missarum solemnia vel ab Apostolis, vel ex illorum institutione seu traditione ab immediatis successoribus cœpisse, satis constat ex iis, quæ supra cap. 8. de nominum recitatione & priscis Patribus allata sunt.

Baronius ad an. 407. §. 22. *Ceterum ad Arcadium Imperatorem idem Innocentius Papa, audita Joannis Chrysostomi morte, gravissima acrimonia aspersas, anathemateque terrificas, quibus tum ipsum, tum Augustam, tum denique Episcopos sceleris complices excommunicat, litteras dedit,* quas recitat idem Baronius §. insequente 23.

(4) Post recitata decreta Innocentii, quæ pertinent ad Virgines consecratas, ita subjicit Concilium Turonense anno 567. celebratum Can. 20. apud Labbeum tom. 5. Conc. pag. 859. *Quis Sacerdotum contra decreta talia, quæ a Sede Apostolica processerunt, agere præsumat? Et quorum auctorum valere possit prædicatio, nisi quos Sedes Apostolica semper aut intromisit, aut apocryphos fecit, & patres nostri hoc semper custodierunt, quod eorum præcepit auctoritas? Nos ergo hoc sequentes, quod Papa Innocentius statuit, in canonibus nostris inserentes statuamus observandum.*

(5) Orosius lib. 7. cap. 39.

permisisse, ut imminente jam Romæ Alarico, *consueta* Ethnicis *sacrificia fierent*, Zosimi calumnia est.
Lib. 5. Illud quoque est falsum, quod produnt alii, eum voluisse, irritum esse Ordinis Sacramentum administratum ab hæreticis. Vetuit enim duntaxat, Clericos ab Heterodoxis initiatos frui honore ac privilegiis dignitatis suæ. Exinde caput curarum fuit
Bar. an. 416. §. 14. hæresis Pelagiana. *Nefandi erroris capita* (Pelagium, ejusque discipulum Cælestium, qui circa peccatum Originale, circa vires liberi arbitrii, & Dei gratiam multa peccabant) *Apostolico mucrone percussit*, (6) eoque Concilii Carthaginiensis II. & Milevitani II. sententiam contra illos latam confirmavit. (7) Adeo nulla in re Pelagio, quod jactarant Pelagiani, consentiens fuit. (8) Idem *primus Novatianos Romæ degentes persequi cœpit, multasque eis Ecclesias ademit*. (9) Varia decreta edidit pertinentia ad Ecclesiasticam disciplinam. Ut alia missa faciam,

(6) S. Prosper contra Collatorem cap. 21.

(7) Epistolis 181. & 182. inter Augustinianas, & apud Lab. tom. 2. Conc pag. 1283. & 1287.

(8) S. Augustinus De bono Perseverantiæ cap. 2. *Tria sunt, quæ maxime adversus Pelagianos Catholica defendit Ecclesia: quorum est unum, gratiam Dei non secundum merita nostra dari, quoniam Dei dona sunt, & Dei gratia conferuntur etiam merita universa justorum: alterum est, in quantacumque justitia sine qualibuscumque peccatis in hoc corruptibili corpore neminem vivere: tertium est, obnoxium nasci hominem peccato primi hominis & vinculo damnationis obstrictum, nisi reatus, qui generatione contrahitur, regeneratione solvatur.*

S. Vincentius Lirinensis in Commonitorio cap. 24. *Quis umquam ante prophanum illum Pelagium tantam virtutem liberi præsumpsit arbitrii, ut ad hoc in bonis rebus per actus singulos adjuvandum necessariam Dei gratiam non putaret? Quis ante prodigiosum discipulum ejus Cælestium, reatu prævaricationis Adæ omne humanum genus negavit adstrictum?*

Aub. Miræus Schol ad cap 43 Gennadii de Viris Illustribus apud Fabricium in Bibliotheca Ecclesiastica pag. 21. *S. Innocentius I Pelagium ejusque socium Cælestium primus ex Pontificibus anno* 417. *Ecclesiastica communione privavit.*

(9) Socrates lib. 7. cap. 9.

ciam, in epistola ad Victricium cap. 3. constituit, ut *si majores caussæ in medium fuerint devolutæ, ad sedem Apostolicam, sicut Synodus statuit, & beata consuetudo exigit, post judicium Episcopale referantur.* (10) Et in epistola ad Decentium cap. 1. *abusum emendavit, qui irrepserat, ut contra usum Romanæ Ecclesiæ pax alicubi* ante confecta mysteria *traderetur*, cum necessario indicenda sit *post consecrationem*, *ut pacis osculo demonstretur*, populum ad omnia, quæ in mysteriis aguntur atque in Ecclesia celebrantur, præbuisse consensum. (11) Cap. 4. probavit jejunium Sabbati jampridem Romæ receptum, ratamque fecit traditionem, ex qua Ecclesia die Parasceves, & Sabbato ante Pascha abstinet a sacrosancto Missæ sacrificio. (12) Obiit anno 417. V. Bar. an. 417. § 4. 5. Pag. §. 4.

G 2 Kal.

(10) Apud Petrum Coustant tom. 1. Epist. Rom. Pont. pag. 749.

(11) Bona lib. 2. Rer. Liturgic. cap. 16. §. 6. ubi ex dictis eos affirmat *errare, qui Innocentio I. osculi pacis institutionem adscribunt.*

(12) Missa, quæ celebratur feria sexta Majoris Hebdomadæ, dicitur Missa *Præsanctificatorum, quæ tamen æquivoce dicitur Missa, cum careat consecratione corporis & sanguinis Jesu Christi.* Bona lib. 1. Rerum Liturgic. cap. 15. §. 5.

Missa autem, quæ Sabbato ejusdem hebdomadæ celebratur, *ad noctem subsequentem pertinet.... Jam vero quam ob rem solemne sacrificium in Parasceve, & Sabbato subsequente sit prætermissum, non levis etiam difficultas est. Moralem caussam de Parasceve afferre solent Ecclesiasticorum rituum expositores, nempe* quia in hac die Dominus seipsum obtulit, & ipsa oblatio sufficit ad salutem credentium. *Quæ ratio est Amalarii, & vulgati Alcuini. Probabilior est ea, quæ ab Innocentio I. indicatur, scilicet quod isto biduo Apostoli in mærore constituti, jejuni permanserint, adeo ut ob hanc caussam* traditio Ecclesiæ habeat, isto biduo Sacramenta penitus non celebrari. *Hinc factum est, ut primi Christiani Apostolos imitandi studio ab omni cibo itidem hoc biduo abstinuerint, atque ab ipsa Sacrificii oblatione, & fortasse etiam a communione ex Præsanctificatis, quæ nescio, an primis temporibus fuerit omissa:* Mabillonius Comment. in Ordinem Rom. tom. 2. Musei Italici cap. 11. pag. 74. 75.

Kal. Augusti, cum *annos quindecim, menses duos, & dies decem* ei Pontificatus fuisset.

XLIII.

S. ZOSIMUS.

ANNO CHRISTI 417.

HONORII 23. THEODOSII II. 10.

Bar. an. 417. S. 17. 18. 31. 37. Pag. S. 12. 13. 16.

SUCCESSOR *Innocentii sanctus Papa Zosimus*, (1) Græcus, Abrahamii filius, electus est anno 417. XIV. Kal. Septembris. Hujus prudentia, dolis Cælestii ac Pelagii tentata, laborare visa est. Namque Cælestius, qui post mortem Innocentii Romam advolarat, ei obtulit libellum ita compositum, ut licet pravis scateret quæstionibus, Catholicus tamen videri posset: *quia superius in eodem libello suo, de hujusmodi quæstionibus locuturus, ante prædixerat*: Si forte ut hominibus quispiam ignorantiæ error obrepsit, vestra sententia corrigatur. *Hanc ejus prælocutionem venerabilis Papa Zosimus tenens, egit cum homine lenius, a vinculis tamen excommunicationis nondum credidit esse solvendum.* (2) Pelagius vero epistolam ad Zosimum scripsit comple-

(1) S. Augustinus lib. 2. De peccato Originali cap. 9. Theodoretus lib. 5. Hist. Eccl. cap. 37. *Innocentio præstantissimo Romanæ Urbis Episcopo successit Bonifacius.* Verum, ut animadvertit Tillemontius, solus est in opinione hac, & omnes consentiunt, Zosimum, non Bonifacium successisse Innocentio.

(2) Augustinus lib. 2. De peccato Originali cap. 6. & 7. Idem contra Julianum lib. 6. cap. 12. *Quale est autem, quod beatæ memoriæ Zosimum Apostolicæ Sedis Episcopum, ut in tua pravitate persistas, prævaricationis accusas? Qui non recessit a suo prædecessore Innocentio, quem tu nominare timuisti, sed maluisti Zosimum, quia egit primitus lenius cum Cæle-*

plectentem ea, quæ cuilibet non sollertissimo fucum fecissent. At fraudibus utriusque mox per Bar. an.
Africanos Episcopos patefactis, utrumque damna- 418. §.16.
vit. Quo facto *Africanorum Conciliorum decretis sen-* 17. 19. 20. Pag. §. 16.
tentiæ suæ robur adnexuit, & ad impiorum detruncatio- 17. 28.
nem gladio Petri dexteras omnium armavit Antistitum
(3) ea epistola, quæ *Tractoria* dicitur a Mario Commoni-
Mercatore, & in caussa Pelagianorum non secus, torii cap. 3.
atque illa S. Leonis *De Incarnatione* ad Flavianum, videtur fuisse regula Fidei. (4) Eadem *Tractoria* missa etiam ad Honorium Imperatorem commorantem Ravennæ impetravit, ut Cælestius, ceterique Pelagiani pellerentur ex Urbe, & pro hæreticis haberentur. Adeo postquam de Pelagianorum malitia compertum habuit, eos curavit extinguere, eorumque, si fieri posset, memoriam delere. Ejus decreta duo ponuntur in Libro Pontificali, alterum, quo *constituit, ut Diaconi lævas tectas de pallis*

lestio: quoniam se in his sensibus vestris, si quid displiceret, paratum esse dixerat corrigi, & Innocentii litteris consensurum esse promiserat. Et lib. 2. contra duas epistolas Pelagianorum cap. 3. *Tot & tantis inter Apostolicam Sedem & Afros Episcopos currentibus & recurrentibus scriptis Ecclesiasticis, etiam gestis de hac caussa apud illam Sedem Cælestio præsente & respondente confectis; quænam tandem Epistola venerandæ memoriæ Papæ Zosimi, quæ interlocutio reperitur, ubi præceperit credi oportere, sine ullo vitio peccati Originalis hominem nasci? Nusquam prorsus hoc dixit, nusquam omnino conscripsit. Sed cum hoc Cælestius in suo libello posuisset, inter illa duntaxat, de quibus se adhuc dubitare & instrui velle confessus est, in homine acerrimi ingenii, qui profecto, si corrigeretur, plurimis profuisset, voluntas emendationis, non falsitas dogmatis approbata est. Et propterea libellus ejus Catholicus dictus est, quia & hoc Catholicæ mentis est, si qua forte aliter sapit, quam veritas exigit, non ea certissime definire, sed detecta ac demonstrata respuere.*

(3) S. Prosper contra Collatorem cap. 21. pag. 362.

(4) Zosimi epistola apud Mercatorem *Tractoria dicitur* pro Synodica. Eodem modo usurpatur *Tractatoria* apud Augustinum epist. 43. n. 8. & Serm. 2. in Psal. 36. n. 19. Nonnumquam vero est diploma evectionis.

linostimis haberent, (5) alterum, quo *per Parochias concessit licentiam benedicendi Cereum Paschalem* (6) Mor-

(5) Bona lib. 1. Rer. Liturgic. cap. 24. §. 6. *In Actis S. Silvestri, quæ Damaso adscribuntur, ab eo constitutum legimus, ut* Diaconi Dalmaticis in Ecclesia uterentur, & Palla linostima læva eorum tegeretur: *Zosimus item constitutum fecisse dicitur*, ut Diaconi lævas tectas haberent de pallis linostimis, *ubi forte legendum* linostema, *id est* ex lino & lana contexta, *quæ ut ait Isidorus lib. 19. Orig. cap. 22. dicta est* linostima, *quia in stamine linum, in trama lanam habet. Nomine autem hujus pallæ nihil commodius intelligi potest, quam stola Diaconalis, quæ in humero sinistro ab ipsis defertur ad differentiam Sacerdotalis a collo ante pectus pendentis. Stolæ item mentio fit sub nomine Orarii in Concilio Laodiceno tempore ejusdem Silvestri habito* cap. 22. & 23. *quibus Subdiaconis & Lectoribus prohibetur, ne Orariis utantur. Ex quo duplici testimonio infertur, ante annos mille & trecentos usum stolæ in Ecclesia invaluisse.*

(6) Baronius ad an. 418. §. 76. *Quod autem ad Cereum Paschalem spectat, perperam acceperunt nonnulli, ut a Zosimo putarint primo inventum esse ejus usum: cum illud tantum a Zosimo institutum esse dicatur, ut idem Cereus, qui in majoribus tantum Basilicis incendi soleret, æque singulis Parochiis concederetur*. Qui ex hymno Prudentii colligunt, usum benedicendi Cerei Paschalis esse antiquiorem Zosimo, eos falli probant Mabillonius lib. 2 De Liturgia Gallicana pag. 141. & Martene De Antiqua Ecclesiæ disciplina in divinis celebrandis officiis cap. 24. *Neque tamen propterea*, adjicit Mabillonius, *tam novus est Cerei in vigiliis Paschalibus benedicendi ritus, uti Heinsio visum est, cum Ennodius Ticinensis ante annum* 520. *Episcopus geminam Cerei Paschalis benedictionem scripserit. In Missali item Gothico-Gallicano occurrit* Benedictio ceræ beati Augustini Episcopi, quam adhuc Diaconus cum esset, edidit & cecinit, *sub hoc exordio:* Exultet jam Angelica turba Cælorum &c. *ut modo in usu habetur. In mss. nonnullis idem istius benedictionis titulus legitur: Augustinus ipse in lib.* 15. De Civitate Dei cap. 22. *quosdam versus refert, quos* in laude quadam Cerei *scripsit. In utraque Cerei benedictione Ennodius testatur, ex Cereo benedicto decerptas a Fidelibus fuisse particulas* contra procellas. *Inde Agnorum Dei cereorum origo.*

Durandus lib. 6. cap. 80. num. 2. Cerei benedictionem tribuit Ambrosio, alii S. Leoni, alii Petro Diacono Casinensi monacho.

Mortuus est VII. Kal. Januarii anno Christi 418. Bar. an.
Pontificatus *primo*, *mense quarto*, *die septimo*, cum 418. §. 75.
paullo ante Apiarii Presbyteri ab Urbano Siccen- 77.
si in Africa Episcopo gradu dejecti appellationem Pag. §. 71.
suscepisset: Unde fuit ad quinquennium inter Africanam, & Romanam Ecclesiam contentio de Appellationibus. (7)

XLIV.

S. BONIFACIUS I.

ANNO CHRISTI 418.

HONORII 24. THEODOSII II. 11.

P*OST Zosimum Romanæ Ecclesiæ præfuit Bonifacius* (1) Presbyter, Jocundi Presbyteri filius, Bar. an. 418.
Romanus. *Venerabilem virum* hunc, *veterem Presby-* §. 78.
terum, in lege doctissimum, ac bonis moribus comproba- Pag. §. 72. Bar. an.
tum, & (quod eum magis ornabat) invitum (2) an- 419. §. 7. & 8.

 Pag. §. 2.

(7) Explicatur a Baronio ad an. 419. §. 64. Petro de Marca lib. 6. De Concordia Sacerdotii & Imperii cap. 14. Nat. Alexandro in Hist. Eccl. sæc. IV. dissertat. 18. Propositione 2. objectione 9. Tillemontio tom. XIII. pag. 775. 1031.

(1) Socrates lib. 7. cap. 11.

(2) Hæc sunt in Libello supplici Presbyterorum Romanorum ad Honorium Imp. apud Baronium ad an. 419. §. 8. Hoc tempore *in creando Pontifice triduum a morte decessoris (quod postea lege cautum est) fuisse exspectatum*, *probat Symmachi præfecti ad Honorium Augustum relatio de iis*, *quæ*, *Zosimo Papa mortuo*, *in creatione successoris contigerunt* (apud Baronium ad an. 418. §. 80.) *ubi Eulalius Bonifacii æmulus* de exequiis prioris Episcopi a populo & a Clericis ad Ecclesiam Lateranensem adductus *dicitur*, *ubi* per biduum remoratus est, ut expectaretur dies consuetus, quo posset solemniter ordinari, *id est eligi*. *Hoc triduum cum in electione Gregorii VII. qui ipsa die mortis Alexandri II. crea-*

no 418. V. Kal. Januarii Presbyteri elegerunt. Diaconi vero, & Presbyteri admodum pauci, qui electioni ejus non consenserant, nixi patrocinio Symmachi Præfecti Urbis, summum Sacerdotium dederunt Eulalio Archidiacono. (3) Honorius Imperator mendacibus Symmachi litteris deceptus, Eulalio magis, quam Bonifacio favere primum visus est. Postea cum a Presbyteris Bonifacio consentientibus litteras accepisset, utrumque ad se Ravennam arcessitum Urbe abstinere jussit, donec caussa utriusque in Concilio cognosceretur, misso interim Romam Achilleo Episcopo Spoletino, qui Paschæ tempore *sacra mysteria celebraret*. Dum apparatur Concilium, Eulalius contemto Honorii mandato Urbem ingreditur. Quo facto omnem ipse controversiam diremit. Nam offensus Imperator jussit, eum pelli ex Urbe, & revocari Bonifacium *acclamatione totius populi, ac consensu meliorum Civitatis, divinæ institutionis ordine consecratum*. (4) Statim

Bar. an. 419. §. 8.10. 13.15.29.34.

tus est, servatum non fuisset; id postea Benno Cardinalis, aliique Gregorii adversarii ipsi objecerunt: quod triduum per id tempus nulla lege sancitum fuisse existimat Baronius, qui Bennonis criminationem hoc loco rejicit. Mabillonius comment. in Ordinem Romanum cap. 17. pag. 111. Vide Bonifacii III. vitam.

Idem Mabillonius cap 18. pag. 119. Eulalius, *ut in litteris Cleri Romani ad Honorium Augustum legitur*, circumventis paucissimis Presbyteris, exhibito etiam cum aliis Ostiensi Episcopo, in locum sibi non debitum, incustodito religionis ordine, per ambitum proruit. *Ubi cum audis, Ostiensem Episcopum* cum aliis *accitum fuisse ad Eulalium ordinandum, alios Episcopos ejus ordinationi cooperatos fuisse, vero proximum est*.

(3) *Hoc Bonifacium inter & Eulalium dissidio factum, ut primum Honorius, deinde Italiæ Reges alii aliis temporibus sese Romani Pontificis electioni immiscuerint*. Pagius ad an. 419. §. 2.

Eulalius *constitutus in Civitate Nepesina Episcopus*, legitur in Libro Pontificali.

(4) In memorato libello supplici apud Baronium ad an. 419. §. 8.

tim quæ ſuarum partium erant, obire cœpit ſollicita cura, atque in id primum ſtuduit, ut Eccleſiam ſchiſmate turbatam conciliata pace ſtabiliret, eique non in præſens modo, ſed etiam in poſterum proſpiceret. Ideoque egit cum Honorio, ut *conſtitueret, quatenus in Urbe Roma numquam per ambitum ordinaretur Antiſtes*. Annuens ille edixit, *ſi duo contra fas temeritate certantes fuerint ordinati, nullum ex his futurum penitus Sacerdotem, ſed illum ſolum in Sede Apoſtolica permanſurum, quem ex numero Clericorum nova Ordinatione divinum judicium, & univerſitatis conſenſus elegerit*. Quoniam vero Bonifacius *piiſſimorum Imperatorum catholica devotione gaudebat, contra inimicos gratiæ Dei non ſolum Apoſtolicis, ſed etiam Regiis eſt uſus edictis, & idem cum eſſet doctiſſimus, adverſus libros tamen Pelagianorum beati Auguſtini Epiſcopi reſponſa popoſcit*. (5) Decreta ejus, referente Libro Pontificali, fuerunt, ne cui mulieri, neve dicatæ Deo virgini *pallia ſacrata*, ſeu, quod alius Codex habet, *pallam ſacratam* contingere, aut lavare liceret, nec tus in Eccleſia adolere: (6) item ne *ſervus* aut *obnoxius curiæ, vel cujuslibet rei Clericus fieret*. Vitam reliquit anno 423. VIII. Kal. Novembr. poſtquam *annos quatuor, menſes novem, & dies duodeviginti* munia Pontificatus obivit.

Lab. tom. 2. Conc. pag. 1582. 1583. Init. 79. c. ſi duo 8.

Bar. an. 423. § 8. Pag. § 6.

XLV.

(5) S. Proſper contra Collatorem cap. 21. pag. 362. Auguſtinus ſcripſit libros quatuor contra duas epiſtolas Pelagianorum, quos Bonifacio Papæ nuncupavit, ad eumque miſit per Alypium.

(6) Decretum ſimile huic editum eſt a Sotere.

XLV.

S. CAELESTINUS I.

ANNO CHRISTI 423.

THEODOSII II. 16.

Bar. an. 423. §. 8. 9. Pag §. 7. 11. CAELESTINUM Diaconum Prisci filium Romanum anno 423. III. Nonas Novembr. in Petri *sede Dominus Deus noster sine ulla plebis suæ discissione constituit*, (1) licet qui ab Eulalio steterant, adhuc in schismate perseverarent, eumque, ut est in Libro Pontificali, *peterent revocari*. Decessorum vestigia secutus *Novatianis Ecclesias, quas Romæ habebant, ademit, & Rusticulam eorum Episcopum clam in privatis ædibus plebem colligere compulit. Etenim ad id usque temporis Novatiani Romæ plurimum floruerant, cum multas ibi Ecclesias possiderent, & maximam populi multitudinem in eis colligerent*. (2) Idem *sciens damnatis non examen judicii, sed solum pœnitentiæ remedium esse præstandum; Cælestium, quasi non discusso negotio audientiam postulantem, totius Italiæ finibus jussit extrudi: adeo & præcessorum suorum statuta & decreta Synodalia inviolabiliter servanda censebat, ut quod semel meruerat abscindi, nequaquam admitteret retractari. Nec vero segniore cura ab hoc eodem morbo Britannias liberavit, quando quosdam inimicos gratiæ solum suæ originis occupantes*, (3) *etiam ab*

(1) S. Augustinns epist. 209. al. 261.
(2) Socrates lib. 7 cap. 11.
(3) *Pelagium gente Britannum* dicit Marius Mercator initio Commonitorii. A S. Prospero in Carmine de ingratis cap. 1. dicitur *coluber Britannus*: ab Orosio in Apologetico *Britannicus noster*. Augustinus epist. 186. alias 106. *Pelagium, quem credimus, ut ab illo distingueretur, qui Pelagius Tarenti dicitur*, Britonem *fuisse cognominatum*.

ab illo secreto exclusis Oceani, & ordinato Scotis Episcopo, dum Romanam insulam studet servare Catholicam, facit etiam barbaram Christianam. (4) *Per hunc virum etiam Orientales Ecclesiæ gemina peste purgatæ sunt, quando Cyrillo Alexandrinæ urbis Antistiti, gloriosissimo Fidei Catholicæ defensori, ad exsecandam Nestorianam impietatem Apostolico auxiliatus est gladio, quo etiam Pelagiani, dum cognatis confœderantur erroribus, iterum prosternerentur.* (5) Nimirum celebrato Romæ Concilio Nestorium Constantinopolitanum Antistitem inauditæ hæreseos auctorem (6) & Christianorum communione, & Episcopatu privatum fore edixit, ni usus dato in pœnitentiam spatio decem dierum errorem deponeret. Exequendæ sententiæ & suæ fungendæ vicis negotium Cyrillo dedit. Cognita re Nestorius imminentem capiti suo procellam in caput Cyrilli ipsius studuit convertere. Priusquam enim Cælestini epistola ex Romano Concilio data una cum Cyrilli & Con-

Bar. an. 430. §. 12. 23. 25 57. 60. Pag. §. 4. 5.

(4) Idem S. Prosper in Chronico pag. 744. *Ad Scotos in Christum credentes ordinatur a Papa Cælestino Palladius, & primus Episcopus mittitur.* Contentio est inter Hibernos & Scotos de Palladii missione. Illi, quos constat Scotos appellatos a veteribus, dicunt, Palladium missum in insulam suam: Scoti vero, sive ut nunc vocantur, Scoto-Britanni, ad se missum esse confirmant. Pagius ad an. 431. §. 51.

(5) S. Prosper contra Collatorem cap. 21. pag. 363.

(6) *Nestorius contrario Apollinari morbo, dum se se duas in Christo substantias distinguere simulat, duas introducit repente personas, & inaudito scelere duos esse vult filios Dei, duos Christos, unum Deum, alterum hominem, unum, qui ex Patre, alterum, qui sit generatus ex Matre. Atque ideo asserit, Sanctam Mariam non Theotócon,* (Dei genitricem) *sed Christotócon* (Christi genitricem) *esse dicendam, quia scilicet ex ea non ille Christus, qui Deus, sed ille, qui erat homo, natus sit*: S. Vincentius Lirinensis in Commonit. cap. 12.

Nestorium obiisse lingua a vermibus exesa, scribit Euagrius lib. 1. Hist. Eccl. cap. 7.

Concilii Alexandrini epistola Synodica, eique subjectis duodecim anathematismis sibi redderetur, fraudibus insinuavit se Theodosio, persuasitque, *ut sacram ad Cyrillum dirigeret, & a sua eum persecutione compesceret*. (7) Directa sacra Imperator eum *arguit tamquam inquietum & scandala sectantem*, Conciliumque omnibus Episcopis indixit, *ut conferrent de Nestorii libris & Cyrilli judicium*. (8) At frau-

(7) *Sacra, Epistola, diploma Principis:* Ducangius in Glossario.

(8) Liberatus in Breviario cap. 4. & 5. apud Lab. tom. 5. Conc. pag. 744.

Concil. Occum. III. Concilium hoc est Oecumenicum III. anno 431. convocatum a prædicto Theodosio juniore, Orientis Imperatore. Ejus convocationem tamquam consilio suo & auctoritate factam Cælestinus ratam habuit. Interfuerunt Episcopi *ducenti fere numero*, ut ait S. Vincentius Lirinensis in Commonitorio cap. 29. Suos ad Concilium legatos Pontifex misit Arcadium & Projectum Episcopos, ac Philippum Presbyterum. Ante horum adventum Concilio præfuit Cyrillus Alexandrinus cum suo, tum Cælestini nomine. Suo, quia ex sanctione Canonum Nicænorum primus erat post Romanum Pontificem Episcopus, ideoque absentibus legatis Pontificis Romani, ipse primum in Concilio locum debebat obtinere: Nomine Cælestini, quia ei mandaverat Cælestinus, ut susciperet executionem sententiæ in Romana Synodo latæ contra Nestorium. Qua de re in Concilio agebatur. Utrum vero etiam postquam legati Ephesum appulere, Cælestini personam gesserit, non convenit. Quod si quis caussam quærat, cur Cælestinus post Cyrillum vicarium datum tres alios legaverit, hanc reddit Petrus de Marca lib. 5. De Concordia Sacerdotii & Imperii cap. 4. §. 7. *Etenim Theodosius Imperator a Nestorii fautoribus circumventus, dissidium in Ecclesiam invectum Cyrillo imputabat, qui contentionibus ex invidia adversus Nestorium accensis pacem Ecclesiæ turbasset.... Quare necessarium omnino fuit, ut Cælestinus alios præter Cyrillum Legatos mitteret, qui posteriores curas ad generalem Synodum deferrent, & Cyrilli anathematismos confirmarent*. Duodecim igitur Cyrilli anathematismis, quos superiore anno 430. habito Alexandriæ Concilio, adversus Nestorii insanias ediderat, confirmatis, statutum est, unam tantum esse in Christo divinam personam, duas vero natu-

fraudi eventus defuit. Siquidem Nestorius hæreseos compertus, in eaque obstinatius in dies perseverans, ab universo Episcoporum cœtu anathemate damnatus est, & amotus Episcopatu. Concilii acta Cælestinus rata atque perpetua fecit auctoritate sua. (9) Semipelagianos Massilienses doctrinæ Augustini de Prædestinatione & Gratia obtrectantes, scripta ad Episcopos Galliæ epistola compescuit, & Augustinum ornavit laude merita. (10) *Constituit* teste Libro Pontificali, *ut Psalmi Da-* Bar. an 431. §. 187. An. 432. §. 35. Pag. §. 5.

turas divinam & humanam sine ulla confusione ac divisione conjunctas inter se, eoque Mariam Virginem vere dici & esse Θεοτόκον: *Deiparam*. Quæ res ipso natali Christi die Romam allata Urbem complevit lætitia tanta, ut *Maria mater Dei* ferretur omnium ore. Unde, ut observat Baronius ad an. 431. §. 179. additamentum illud accepisse creditur Angelica Salutatio clamore subjicientium: *Sancta Maria Mater Dei ora pro nobis* &c. Cum Nestorio damnati etiam Pelagiani, qui Cælestiani nuncupantur a Concilio, quod Cælestius apud Ephesum Presbyter consecratus longe notior esset, quam Pelagius. Concilium septem actionibus absolutum est. In postrema sanciti canones sex, quibus aut Nestoriani de gradu Ecclesiasticæ dignitatis dejiciuntur, aut a Nestorianis dejecti restituuntur. Lege Historiam nostram Familiæ Sacræ, De Maria Virgine cap. 4. annotat. 3.

(9) Vides hinc, mentiri Laurentium Vallam scribentem in Declamatione de falsa donatione Constantini, Cælestinum *cum Nestorio hæretico sensisse*: nisi dicere velis, eum abreptum declamationis æstu, deceptumque similitudine nominis adscripsisse Cælestino Pontifici crimen Cælestii Pelagiani hæretici, cui errores aliqui fuerunt cum Nestorianis communes. Baronius ad an. 432. §. 36. & Bellarminus lib. 4. De Rom. Pont. cap. 10.

(10) Epistola 1. cap. 2. apud Lab. tom. 2. Conc. pag. 1612. & apud S. Prosperum pag. 262. & contra Collatorem cap 21. pag. 363.

Semipelagiani admittebant prævenientis gratiæ interioris necessitatem ad singulos actus, etiam ad initium fidei: & in hoc erant hæretici, quod vellent eam gratiam talem esse, cui posset humana voluntas resistere vel obtemperare. Quam propositionem, numero quartam inter famosas propositiones Jansenii, tamquam falsam & hæreticam damnarunt Pontifices Innocentius XI. & Alexander VIII.

David centum quinquaginta ante Sacrificium psallerentur antiphonatim ex omnibus, quod antea non fiebat, sed tantum Epistola Pauli recitabantur, & sanctum Euangelium: *& sic*, quod additur in alio codice, *Missæ fiebant*. (11) Anno 432. VIII. Idus April. naturæ concessit, cum *annos octo*, *menses quinque*, *& dies tres* fuisset in procuratione Ecclesiæ Catholicæ egregius.

XLVI.

(11) *Quomodo hæc psalmorum modulatio intelligenda sit, an de aliquibus tantum versiculis, & de quibus, an de aliquo integro psalmo diverso pro diversitate officiorum, an de antiphona ex psalmis excerpta, obscurum est .... Quid est autem canere* antiphonatim, *nisi alternis choris?* Bona lib. 2. Rer. Liturgic. cap. 3. §. 1. ubi ea colligit, quæ pertinent ad memoratum Cælestini decretum.

Card. Thomasius apud Franciscum Blanchinum in notis ad Anastasium Bibliothecarium tom 3. pag 94. *Primi qui Psalmos binis choris concinendos instituere, fuerunt Flavianus, & Diodorus S. Athanasio æquales*. Isti namque primi (*ut scribit Theodoretus Episcopus Cyri apud Hist. Tripart. lib. 5. cap. 32.*) in duas partes chorum psallentium dividentes ex successione Davidicam melodiam cantare docuerunt: & hoc in Antiochia primitus fieri cœpit; & dispersum ad terminos totius Orbis usque pervenit.

Walafridus Strabo De rebus Ecclesiasticis cap 22. *Antiphonas ad introitum dicere, Cælestinus Papa XLV. instituit, sicut legitur in gestis Pontificum Romanorum, cum ad ejus usque tempora ante Sacrificium lectio una Apostoli tantum, & Euangelium legeretur*.

XLVI.

S. SIXTUS III.

ANNO CHRISTI 432.

THEODOSII II. 25. VALENTINIANI III. 8.

SIXTUS III. Sixti filius, Presbyter Romanus, & acerrimus Pelagianorum adversarius. Bar. an. 432. §. 38. Pag. §. 6.
Zosimo enim regnante, omnium primum *anathema eis in populo frequentissimo pronunciasse*, scribit D. Augustinus epist. 194. Bar. an. 418 §. 18. Alias 105.
Anno 432. VI. Kal. Majas *Romanæ Ecclesiæ præficitur totius Urbis pace & consensione mirabili*. (1) Statim *omnia* Concilii Ephesini *gesta confirmavit*, atque *ad ipsum Nestorium, & ad Orientis Episcopos adversum errorem ejus succidendum sententias direxit*; Lab. tom. 3. Conc. pag. 1129.
(2) ut manifestum sit, mentitos esse Nestorianos, qui dixerunt, illum ægre tulisse Nestorii damnationem. Bar. an. 433. §. 11. 12. 17.
Pelagianis quoque in eodem Concilio Ephesino damnatis eum fortiter restitisse, credibile est. ita certe futurum speravit S. Prosper scribens contra Collatorem Joannem Cassianum cap. 21. Nam *confidimus*, inquit, *Domini protectione præstandum, ut quod operatus est in Innocentio, Zosimo, Bonifacio, Cælestino, operetur in Sixto: & in custodia Dominici gregis hæc sit pars gloriæ huic reservata pastori, ut sicut illi lupos abegere manifestos; ita hic depellat occultos*. Pag. 365.
Idem S. Prosper in Chronico ad an. 439. Sixti postremum, tradit, eum inclaruisse vigilantia adversus Julianum Episcopum Eclanensem, *jactatissimum Pelagiani erroris assertorem*. Hic, *quem dudum amissi Episcopatus intemperans cupido agitabat, multimoda arte fallendi correctionis spem præferens, molitus est in communionem Ecclesiæ irrepere. Sed his insidiis* Pag. 747.

(1) S. Prosper in Chronico pag. 744.

fidiis Sixtus Diaconi Leonis hortatu vigilanter occurrens, nullum aditum pestiferis conatibus patere permisit: & ita omnes catholicos de rejectione fallacis bestiæ gaudere fecit, quasi tunc primum superbissimam hæresim Apostolicus gladius detruncasset. Gaudio haud minore Sixtus ipse perfusus est, cum didicit, pacem conciliatam inter Cyrillum Alexandrinum & Joannem Antiochenum, ac tandem hunc consensisse, & Nestorium jure fuisse damnatum, & Maximianum in locum damnati jure suffectum. A qua pace exclusi Helladius Tarsensis, & Eutherius Thyanensis Metropolitæ, ad Sixtum appellarunt. (3) Qui administrato Pontificatu per *annos septem, menses undecim, & dies duos*, anno 440. V. Kal. April. decessit, *Pelagianæ hæresis indefessus & validus oppugnator*. (4)

Bar. an. 440. §. 6.11. Pag. §. 2.

XLVII.

(2) Gennadius De Scriptor. Eccl. cap. 54. inter Opera D. Hieronymi tom. 2. pag. 973. edit. Veronensis.

(3) Hujus appellationis historiam, & historiæ firmas probationes affert Pagius uterque, alter ad an. 433. §. 10. alter in vita Sixti III. Quibus in locis docent, valde hallucinatos esse, qui existimarunt, Orientis Episcopos olim numquam ad Pontifices Romanos, semper autem ad generale totius Orbis Concilium provocasse.

(4) S. Leo in Serm. 82. cap 3. ponit hoc Sixti III. elogium: *Magnificus quidem structor parietum, sed magnificentior ædificator animarum, ultra ævi sui terminos opera pietatis extendens, ut utilitatibus institutionum ejus etiam in ipso frueretur devota posteritas, & habitando quod condidit, & faciendo quod docuit.*

XLVII.

S. LEO I. MAGNUS.

ANNO CHRISTI 440.

THEODOSII II. 33. VALENTINIANI III. 16.

DEFUNCTO Sixto, *quadraginta amplius diebus Romana Ecclesia sine Antistite fuit, mirabili pace atque patientia præsentiam Diaconi Leonis expe-* Bar. an. 440. §. 1. 2. *ctans, quem tunc inter Aetium & Albinum amicitias* Pag. §. 2. *redintegrantem Galliæ detinebant. Quasi ideo longius esset abductus, ut & electi meritum, & eligentium judicium probaretur. Igitur Leo Diaconus legatione publica accitus, & gaudenti patria præsentatus, Romanæ Ecclesiæ Episcopus ordinatur.* (1) Quintiani filius perhibetur, & *Magnus* cognomine prædicatur. Eodem die, quo Pontifex inauguratus est, orationem ad populum habuit, ratus *dignum esse a sacrificiis Do-* Serm. 1. *minicæ laudis obsequium consecrati Pontificis inchoare.* cap. 1. Manichæos, Priscillianistas, & Pelagianos extermi- Bar. an. 441. nandos curavit conquisitione intentissima. Sed cura §. 1. prima orientis hæresis Eutychianæ oppressio. (2) Pag. §. 2. Bar. an. 444.

H Hanc §. 1. 2. Pag. §. 2.

(1) Ex hoc loco S. Prosperi in Chronico pag. 748. Quesnellus initio dissertationis primæ De vita & rebus gestis S. Leonis contendit illum fuisse Romanum: at Baronius ad an. 440. §. 1. Pagius ad an. eumd. §. 3. & Bollandus 11. Aprilis §. 12. pag. 16. scribunt natum in Tuscia, secuti auctoritatem Libri Pontificalis: adjiciuntque, S. Prosperum *Patriæ* nomine appellare *Italiam*, sicut *Sallustius Hispaniam sibi Antiquam patriam dixit*.

(2) Petavius Theologic. dogmatum tom. 4. lib. 1. cap. 14. pag. 66. 67. *Tria sunt flagitia Eutychianæ hæresis. Primum, quod carnem Christi ex Virgine negat esse sumtam. Secundum, quod ante unitionem naturas fuisse duas asserebat. Tertium, & quidem præcipuum, quod unam tantum agnoscebat in Christo na-*

Hanc ab Flaviano Constantinopolis Episcopo damnatam, deinde vero ab Dioscoro Alexandrino successore indigno Cyrilli in Synodo Ephesina II.
Bar. an. 451. §. 1. Pag. §. 3. Bar. an. 449. §. 45. (3) restitutam ut penitus labefactaret, Concilium Oecumenicum IV. per Marcianum Augustum convocavit. (4) Ipse biennio ante Eutychianos redargue-

naturam post unionem. Hæc deliravit Eutyches *presbyter & Archimandrita* (Abbas generalis seu Princeps monachorum) *præsidens Constantinopoli celeberrimo monasterio*, *urgente Satana*, ut est in Breviario Liberati cap. 11.

(3) Generali huic conventiculo centum & duodetriginta Episcoporum præfuit Dioscorus rigidus Eutychis satelles. Itaque Eutyches Ecclesiæ communioni restitutus, & impia ejus assertio confirmata: Flavianus Catholicæ Fidei adversus Eutychem vindex constantissimus anathemati addictus, Episcopatu amotus, probris laceratus, verberibus cæsus, in exilium pulsus: Alii etiam Episcopi, quod impiæ blasphemiæ subscribere recusassent, damnati proscriptique. Legati ipsi S. Leonis hæreticorum conatibus obsistentes, violati, male habiti, in vincula ducti. Verbo omnia ab Dioscoro militibus septo per vim & fraudem acta; quæ Leo celebrato Romæ Concilio statim rescidit. Inde cognomen Synodo inditum, ut *Prædatoria*, *Latrocinalis*, & *Latrocinium* appellaretur. Baronius ad an. 449. §. 75.

Conc. Oecum. IV. (4) Anno 451. Nicæam primum indictum, & Chalcedonem postea translatum. Numerus Episcoporum, qui adfuerunt, discrepat. Alibi fere sexcentos, alibi sexcentos & triginta, alibi sexcentos & triginta sex invenio. Cecropius Episcopus Sebastopolis *mille ducentos* interfuisse dicit act. IV. apud Labbeum tom. IV. Conc. pag. 515. Sed ei parum fidei sit, tum quia in augendo numero non alius intemperantior est, tum quia Lucentius Sedis Apostolicæ legatus in eadem actione paullo post non plures, quam sexcentos fuisse subjungit, tum demum quia in Relatione Synodi ad Leonem apud eumdem Labbeum pag. 833. scriptum est, *quingentos viginti Sacerdotes* interfuisse. Concilio, excepta actione duodecima, præfuere Leonis Legati Paschasinus Lylibetanus, Lucentius Asculanus Episcopi, Bonifacius & Basilius Presbyteri, quibus Pontifex adjunxit Julianum Coensem, suum apud Marcianum Imperatorem Vicarium, sive ut Legationis socium, sive ut Consiliarium. Actione quinta contra Eutychem decretum est, *Unum eum-*

guerat celebratissima Epistola *De incarnatione Verbi* ad Flavianum, quam Patres Concilii Chalcedonensis approbarunt tamquam oraculum *S. Petri per*
H 2 *Leo-*

eumdemque Christum , Filium , Dominum , Unigenitum ex duabus , seu *in duabus naturis inconfuse , immutabiliter , indivise , inseparabiliter agnoscendum nusquam sublata differentia naturarum propter unitionem , magisque servata proprietate utriusque naturæ , & in unam personam atque subsistentiam concurrente: non in duas personas partitum aut divisum , sed unum eumdemque filium & unigenitum Deum Verbum , Dominum Jesum Christum* , apud Labbeum tom. 4. Conc. pag. 568. Actioni duodecimæ , in qua diremta est controversia Bassiani & Stephani , uter habendus esset pro Episcopo Ephesino , præfuit Anatolius Episcopus Constantinopolitanus , id permittentibus Legatis Pontificis Romani, quod caussa hæc pertineret ad disciplinam magis Anatolio, quam sibi cognitam. Neutri Episcopatus Ephesinus adjudicatus, alius Antistes electus , cum eo ut sumtus utrique subministrarentur ex ærario Ecclesiæ Ephesinæ *nutrimenti gratia & consolationis*, quemadmodum est apud Labbeum tom. 4. Conc. pag. 705. unde originem Pensiones Ecclesiasticæ habuere. Actionem de Domno Antiocheno ad hoc Concilium pertinere, negat Quesnellus dissertat. 9. in Opera S. Leonis, eumque secutus Nat. Alexander dissertat. 17. sæc. V.: ajunt Baluzius in Præfat. hujus Concilii §. 32. Pagius ad an. 451. §. 54. ac Tillemontius annotat. 54. in S. Leonem. Canones tres conditi Actione sexta, iidemque postea inclusi iis, qui Actione decima quinta editi sunt. Duodetriginta numerant Codices Latini, Græci triginta ; septem & viginti Theodoretus, Dionysius Exiguus , Isidorus Mercator, Theodorus Lector. Omnes, præter vicesimum octavum , qui confirmat Patriarchalia jura a Patribus Concilii Oecum. II. Ecclesiæ Constantinopolitanæ concessa , ratos fecisse Leonem , rentur aliqui; alii , Fidei tantum decreta probasse existimant.

Ad extremum secutus auctoritatem Pelagii II. epist. 3. & Gregorii Magni epist. 54. lib. 7. admoneo, Actione sexta absoluta, ita tamen , ut etiam canones complectatur, verum & legitimum Chalcedonense Concilium absolutum fuisse: reliquas decem Actiones, in quibus privatæ quædam Episcoporum controversiæ dijudicatæ sunt, velut appendicem hujus Synodi esse. Quare omnia, quæ post Actionem sextam acta sunt, dici posse *Recentiora Chalcedonis*, quemadmodum

Leonem ita locuti. (5) *Docet ipsa in Epistola*, quæ nunc est 24. alias 10. *& divinis confirmat testimoniis, Dominum nostrum Jesum Christum, sicut & paternæ divinitatis verum filium, ita verum humanæ naturæ esse hominem credendum, id est ex carne Virginis Mariæ carnem traxisse, & non de Cælo corpus sibi exhibuisse, sicut Eutyches asserebat*. (6) Attilam teterrimum illum Hunnorum Regem, cognomento *Flagellum Dei*, præsentia sua deterruit, facundia mansuefecit. Cum enim post eversam Aquilejam, (7) ca-

Bar. an. 452. § 58. Pag. §. 5.

dum D. Athanasius ea, quæ gesta sunt post absolutum legitimum Ariminense Concilium, *Recentiora Arimini* appellavit in epistola ad Africanos num. 3. Qua de re plenius disserit Baluzius loco memorato §. 40. Christianus Lupus dissertat de Synodo Chalcedonensi cap. 2. & Norisius De Synodo quinta cap. 11.

(5) Apud Lab. tom. 4. Conc. pag. 368.

S. Gregorius lib. 1. epist. 25. *Sicut sancti Evangelii quatuor libros, sic quatuor Concilia suscipere & venerari me fateor: Nicænum scilicet, in quo perversum Arii dogma destruitur: Constantinopolitanum quoque, in quo Eunomii & Macedonii error convincitur. Ephesinum etiam primum, in quo Nestorii impietas judicatur: Chalcedonense vero, in quo Eutychis, Dioscorique pravitas reprobatur, tota devotione complector, integerrima approbatione custodio*. Et lib 6. epist. 2. *Si quis autem contra harum quatuor Synodorum fidem, & contra sanctæ memoriæ Leonis Papæ tomum atque definitionem aliquid umquam loqui præsumit, anathema sit*. Intelligit *tomi* nomine memoratam S. Leonis epistolam ad Flavianum. Et S. Ephrem Patriarcha apud Photium in Bibliotheca Cod. 229 pag 823 refellit Eutychianos ridentes Leonem, quod epistolam illam *tomum* appellaverit.

(6) Gennadius De Scriptoribus Ecclesiasticis cap. 70.

Gelasius in Concilio Romano apud Lab. tom. 4. pag. 1263. *Epistolam B. Leonis ad Flavianum quispiam si non in omnibus venerabiliter receperit, anathema sit*.

(7) Hac Attilæ irruptione anno 452 plerosque Venetiæ populos in proximas insulas sinus Adriatici compulsos, ut ibi tuto essent, cupido cepit Urbis condendæ Venetiarum nomine, quæ postea evasit terræ marisque potens Respublica. Vide Sabellicum Ennead. 8. lib. 1. pag. 221. & 228.

captumque Ticinum, ac Mediolanum, ardenti furore raperetur Romam, toti Italiæ vastitatem minitatus, ei ad confluentes Mincii & Padi occurrens ita atrocem animum permulsit, tantumque auctoritate potuit, valuitque eloquentia, ut ex Italia, obedienter imperata faciens, exercitum duceret trans Danubium. (8) Ut esset ad posteros tantæ victoriæ auxilio D. Petri relatæ a Leone monumentum, cusum traditur nûmisma *cum imagine & nomine S. Petri a parte altera, altera vero nomine expresso ipsius S. Leonis*. (9) Nec inter hæc discesserat animo impiissimas hæreses jam prostratas delendi cura. Nam Juliano Episcopo Coensi scripsit, ut Epist. 86.
vicem suam fungens studiose diligenterque curaret, alias 56.
ne hæresis Nestoriana vel Eutychiana in aliqua parte reviviscerel. Quod ut facilius & majore præstaret auctoritate, eidem vices suas commisit etiam apud Marcianum Imperatorem. (10) Gensericum dein- Bar. an.
de 455. §. 13.

(8) Additur res mirabilis, Attilam non tam Leonis gravissima oratione placatum, quam aspectu viri pone Leonem stantis habitu Sacerdotali, forma augusta, canitie venerabili, & gladio districto minitantis mortem sibi, ni dicto audiens esset: quem ferunt fuisse Petrum Principem Apostolorum.

(9) Ita Baronius ad an. 461. §. 12. At Nicolaus Alemannus in dissertat. de Lateranensibus Parietinis cap. 12. & Andreas Victorellus in Additionibus ad Ciaconium existimant, numisma illud pertinere ad Leonem III. quod *Domini* titulus his numi litteris contentus *D. N. Leoni Papæ*, non Leoni I. conveniat, sed Leoni III. cui Urbis dominium Carolus Magnus Francorum Rex & Imperator restituerat & firmaverat, ut est apud Alemannum: quem sequitur Petrus de Marca lib. 3. de Concordia cap. x1. § 9. Vide annotat. 2. ad Leonem III.

(10) Epist. 84. alias 57. cap. 3. *Illud quoque Clementiæ vestræ benevolentiam peto, ut veneratorem vestrum fratrem meum Julianum Episcopum in vestro, sicut facere dignamini, habeatis affectu: cujus obsequiis præsentiæ meæ vobis imago reddatur. Nam & de fidei ejus sinceritate confidens, vicem ipsi meam contra temporis nostri hæreticos delegavi, atque propter Ec-*

de Vandalorum regem, qui ex Africæ latebris excitus ab Eudoxia Augusta Romam occupaverat, lenivit, atque effecit, ut contentus præda Urbis direptæ per quatriduum, incendio & cædibus abstineret. Idem voluit solemnem Baptismum constitutis duntaxat Paschæ & Pentecostes diebus administrari. (11) Vetuit, Christianos peccata sua palam confiteri; (12) decrevitque, quemadmodum

Bar. an. 461. § 2. 11. Pag. §. 3.

habemus in Libro Pontificali, *ut intra actionem Sacrificii diceretur*: Sanctum Sacrificium, immaculatam hostiam. (13) Anno Christi 461. Pontificatus *vicesimo & die duodetrigesimo*, III. Idus April. ex hac vita ad cælestem migravit Sanctitate & sapientia magnus.

XLVIII.

Ecclesiarum pacisque custodiam, ut a comitatu vestro non abesset, exegi. Quibus ex verbis Petrus de Marca lib. 5. de Concordia cap 15 & Quesnellus in suis ad hanc epistolam notis pag 492. originem ducunt Legatorum, quibus apud Reges & Principes summos Apostolicæ Sedis negotia commendari consueverunt.

(11) Vide annotationem 2. ad Siricium.

(12) S Leo epist. 36. alias 80. *Illam etiam contra Apostolicam regulam præsumtionem, quam nuper agnovi a quibusdam illicita usurpatione committi, modis omnibus constituo submoveri, ne videlicet de singulorum peccatorum genere, libello scripta professio publicetur: cum reatus conscientiarum sufficiat solis Sacerdotibus indicare confessione secreta*. Quibus verbis redarguuntur, qui putant, quatuor primis Christi sæculis consuevisse confessione publica manifestari peccata mortalia etiam occulta: siquidem S. Leo consuetudinem hujusmodi non abrogasset, ut *præsumtionem* Apostolicæ regulæ contrariam.

(13) *Quæ sunt postrema verba hujus Orationis. An vero hæc sola verba huic orationi, an ipsam integram orationem canoni Leo addiderit, Pamelius noluit definire* Tom. 1. Liturgicorum pag. 572 *At ego censeo, nihil addidisse nisi prænotata verba: ipsius enim orationis* Auctor quæstionum utriusque Testamenti *mentionem fecit, qui Leone antiquior fuit*. Bona lib. 2. Rer. Liturgic. cap. 13. §. 3.

XLVIII.

S. HILARUS.

ANNO CHRISTI 461.

LEONIS 5. SEVERI 1.

HILARUS Crispini filius, Sardus, Romanæ Ecclesiæ Diaconus, & Leonis Papæ ad Synodum Ephesinam II. legatus, in ejus locum anno 461. pridie Idus Novembris substitutus est. (1) *Memor, se tanti esse Pontificis successorem, sub quo adversus hæreticos certans vicem ejus agens primos ordines duxerat, nihil antiquius habuit, quam quæ tanto labore essent contra hæreticos constituta, eadem sarta tecta, firmaque ac custodita relinquere*. (2) Itaque Concilium Nicænum, Ephesinum, & Chalcedonense, ac *tomum* decessoris sui Leonis confirmavit. (3) Nestorium, Eutychem, eorumque sectatores addixit anathemati. Concilio duodequinquaginta Episcoporum Romæ celebrato, quinque edidit canones ad constituendam Ecclesiæ disciplinam, atque horum postremo cavit, ne quis Episcopus sibi eligeret successorem. (4) Idem invictus stetit contra An-

Bar. an. 461 §. 14. Pag §. 14.

Bar. an. 467. §. 2. 3. 4.

H 4

(1) Appellatur etiam *Hilarius*, & *Hilarion*.

(2) Baronius ad an. 461. §. 14.

(3) Vide annotat. 5. ad S. Leonem.

(4) Labbeus tom. 4. Conciliorum pag. 1060.

Fuit olim in more positum, ut Episcopi sibi successorem designarent. Eo jure recte ac sapienter usi sunt complures Antistites, *cum, quos sanctissimos scirent, eos ad Episcopale munus deligerent*, ut prodit Baronius ad an. 426. §. 13. Id cum secus fieri cœpisset, interdixit Nicæna I. Synodus. S. Augustinus epist. 213. alias 110. *Adhuc in corpore posito beatæ memoriæ Patre & Episcopo meo sene Valerio, Episcopus ordinatus sum, & sedi cum illo, quod Concilio Nicæno prohibitum esse, nesciebam, nec ipse sciebat*.

Pag. §. 3. Anthemii Imperatoris ſtudium erga hæreticos Macedonianos, quos ſecum duxerat Romam. (5) Cum *annos quinque, menſes novem, & dies undetriginta* Eccleſiæ præfuiſſet, anno 467. IV. Idus Septembris diem ſuum functus eſt.

XLIX.

S. SIMPLICIUS.

ANNO CHRISTI 467.

LEONIS 12. ANTHEMII 1.

SIMPLICIUS Caſtini filius Tiburtinus anno
Bar. an. 467. §. 11. 12. 467. XII. Kal. Octobr. Hilaro ſufficitur. Quod ubi Conſtantinopolim nunciatum eſt, ſtatim Leo
Pag. §. 3. Imperator ab eo impetrare tentavit, ut rata haberet privilegia ab Epiſcopis Synodi Chalcedonenſis conceſſa Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ. Verum deceſſorum ſuorum Hilari atque Leonis exemplo conſtanter obſiſtens, omnem ejus rei ſpem in irritum redegit. Conſtantia eadem ſtetit adverſus Im-
Bar. an. 482. §. 21. peratorem Zenonem Leonis ſucceſſorem, quod hortatu ac perſuaſione Acacii Epiſcopi Conſtantinopolitani, impenſe faventis ſectæ Eutychianorum, Petrum Moggum ſeu Mongum reſtituiſſet Epiſcopatui

(5) Gelaſius I. epiſt. 13. apud Labbeum tom. 4. Conc. pag. 1208. *Papa Hilarus Anthemium Imperatorem, cum Philotheus Macedonianus ejus familiaritate ſuffultus diverſarum conciliabula nova ſectarum in Urbem vellet inducere, apud beatum Petrum Apoſtolum palam, ne id fieret, clara voce conſtrinxit, in tantum, ut non ea facienda cum interpoſitione ſacramenti idem promitteret Imperator: ſanctæ memoriæ nihilo minus Papa Simplicius, & poſt eum ſanctæ memoriæ Papa Felix non ſolum Baſiliſcum tyrannum, ſed etiam Imperatorem Zenonem pro iiſdem ipſis exceſſibus auctoritate libera ſæpius increpaſſe noſcuntur.*

tui Alexandrino, & Petrum Cnapheum seu Fullonem Antiocheno. (1) Nec interim alia Ecclesiæ negotia omisit. Nam oblationes Fidelium quatuor in partes ita dividi voluit, ut pars una esset Episcopi, altera Cleri, duæ in Ecclesiæ fabricam, peregrinos ac pauperes erogarentur. (2) Ordinis Sacramentum mense Decembri conferri solitum, mense Februario administravit. (3) Cum annum decimum regnaret, Romani in Occidente Imperii occasum conspexit. (4) Ipse occidit anno 483. Kal.

Bar. an. 483. §. 4. 15. Pag. §. 1. 2.

(1) Theodorus Lector, editus a Valesio cum Historia Theodoreti, lib. 2. pag. 566. narrat, *Petrum Fullonem instituisse, ut sacrum Chrisma in Ecclesia coram omni populo consecraretur, utque invocatio super aquas die Festo Theophaniorum fieret sub vesperam, cum antea fieret nocte media. Item ut in omni precatione nomen Deiparæ proferretur. Denique ut in singulis Collectis* (Missæ sacrificiis) *Symbolum recitaretur*.

(2) Epistola 3. ad Florentium, Equitium, & Severum Episcopos, apud Lab. tom. 4. Conc. pag. 1069.

Id ipsum decrevit Gelasius I. epist. 9. cap. 27. Gregorius Magnus lib. 5. epist. 44. alias 42. aliique Pontifices summi, & Concilia, ut legere licet apud Joannem Launojum in libro De cura Ecclesiæ pro miseris & pauperibus, & apud Thomassinum De vet. & nova Ecclesiæ disciplina, part. 3. lib. 2. cap. 13. 14.

(3) Amalarius lib. 2. De Eccles. Officiis cap. 1. tom. 14. Bibl. Patrum pag. 968. *Primi Apostolici semper in Decembrio mense, in quo Nativitas Domini nostri Jesu-Christi celebratur, consecrationes ministrabant usque ad Simplicium, qui fuit a Beato Petro quadragesimus nonus. Ipse primus sacravit in Februario*. Ex Pontificibus, qui usque ad exitum sæculi IX. Ordinis Sacramentum administrarunt, unus Leo II. mense Majo, sive, ut aliis est visum, Junio administravit, & semel mense Septembri Gregorius Magnus. Alii post Simplicium omnes vel Decembri, vel hebdomada Quadragesimæ prima, vel *mediana*, quæ proxime sequitur Dominicam quartam Quadragesimæ: nulli Sabbato ante Pascha. Hæc fere Joannes Mabillonius cap. 16. Comment. in Ordinem Romanum pag. 103. & cap. 19. pag. 126.

(4) Romanum Imperium cœptum ab Augusto desiit in Augustulum. Hunc enim anno 476. Odoacer Rex Herulorum,

Kal. Martii, *quinto decimo post anno, mense quinto & die octavo*, quam Pontifex creatus erat. (5)

L.

rum, per factionem Julii Nepotis evocatus ex Scandinavia, descendens in Italiam spoliatum Imperio relegavit Lucullanum Campaniæ oppidum, & Italiæ Regnum instituit. Itaque eodem tempore regnabat in Oriente Zeno Imperator Eutychianus, in Occidente Odoacer in Italia Arianus, in Gallia Burgundiones, & Gothi Ariani, & Franci Gentiles: Gothi & Svevi in Hispania Ariani; in Britannia Angli Ethnici; & in Africa Vandali Ariani. Hinc conditionem rei Christianæ, & statum existimare quivis potest.

(5) In Actis Concilii Romani anno 502. sub Symmacho celebrati, tum apud Baronium ad an. 483. §. 11. tum apud Labbeum tom. 4. Concil. pag. 1334. legitur Basilius Præfectus Prætorio, Vicarius Odoacris Regis Herulorum & Italiæ dixisse: *Quamquam studii nostri & religionis intersit, ut in Episcopatus electione concordia principaliter servetur Ecclesiæ, ne per occasionem seditionis status civitatis vocetur in dubium, tamen admonitione beatissimi viri Papæ nostri Simplicii, quam ante oculos semper habere debemus, hoc nobis (meministis) sub obtestatione fuisse mandatum, ut propter illum strepitum, & venerabilis Ecclesiæ detrimentum, si eum de hac luce transire contigerit, non sine nostra consultatione cujuslibet celebraretur electio*. Baronius: *Vides, quibus artibus sæculares potestates immiscere se conatæ sint in electione Romani Pontificis. Potuit forte rogasse eum Simplicius Papa, ut ad comprimendas turbas, diffidiaque vitanda præsto esset futuræ electioni successoris Pontificis, non autem ut absque ejus consultatione electio haud fieret*. Vide Thomassinum de vet. & nova Ecclesiæ disciplina part. 2. lib. 2. cap. 16. §. 2.

L.

S. FELIX III.

ANNO CHRISTI 483.

ZENONIS IMP. 10. ODOACRIS REGIS 8.

FELIX III. Romanus, Patre Felice Presbytero natus, S. Gregorii Magni atavus, anno 483. VIII. Idus Martias summum Pontificatum accepit. (1) Quo inito Zenonis *Henoticum* rejecit, ac totis viribus incubuit, ut aberrantem Imperatorem in viam revocaret. (2) Removit a munere Epi-

Bar. an. 483. §. 16. 19. Pag. §. 3.

(1) Felix ne tertius, an quartus Gregorii Magni atavus fuerit, dubitatur. Joannes Diaconus, qui hortatu Joannis VIII. scripsit vitam S. Gregorii, quartum fuisse asserit cap. 1. Ejus sententiam probant Monachi Congregationis S. Mauri in vita Gregorii Papæ I. inserta tomo quarto Operum ejusdem Gregorii: rejicit Baronius in annotat. ad Martyrolog. V. Kal. Mart. tum in Annalibus ad an. 492. §. 1. & Bollandus ad diem 25. Februarii §. 1. num. 4. pag. 503. *Nam Felix IV. fuit Samnis natione, patria Beneventanus; at Felix III. Romanus. Atqui certum atque indubitatum est, S. Gregorium non ex Samnitibus originem ducere, sed ab antiquis Romanis senatoribus*. Id quod ipse Joannes Diaconus sine ulla dubitatione confirmat: dicit enim Gregorium *genere Romanum*. Præterea, ut subjicit Bollandus, *si anni ab obitu Felicis* IV. *numerentur, usque ad electionem S. Gregorii Papæ jam tum senis, tantum* 60. *invenientur, quibus includi nequeunt quinque generationes ab atavo ad atneposem statuendæ: haberi autem poterunt, si anni circiter* 100. *interponantur, qui fere fluxerunt ab obitu S. Felicis* III. *usque ad S. Gregorii Pontificatum*.

(2) *Henoticum*, Græce ἑνωτικὸν, Latine *Unitivum*, est edictum annitente Acacio Episcopo Constantinopolitano promulgatum a Zenone anno 482. ad pacem conciliandam inter Catholicos ac Eutychianos. Decernit, ut aliud non admittatur Symbolum quam Nicænum: approbat duodecim ca-

Bar. an. Episcopali, & a piorum societate Vitalem Troenti-
484. §. 12. 16. 98. num, & Misenum Cumanum Episcopos, convictos
Pag. §. 3.4. prævaricationis, quod cum eos Constantinopolim legasset ad agendam rem Ecclesiæ contra Hæreticos, & Acacium coercendum, non solum mandata non fecissent, sed iis contraria. Mox Acacium ipsum Petro Mongo, ac Fulloni obstinate faventem, una cum illis, anathemate confixit; & Fullonem quidem non modo ut invasorem Ecclesiæ
Bar. an. Antiochenæ, hæreticumque Eutychianum; sed et-
483. §. 53. iam tamquam Apollinaristam, Sabellianum, ac Theopaschitam, quod vocem ὁ ϛαυρωθεὶς διὰ ἡμᾶς, *qui crucifixus es pro nobis*, Trisagio addidisset. (3) Neque inter difficilia hæc Ecclesiæ Orientalis ne-

go-

capitula seu anathematismos S. Cyrilli: Nestorium, Eutychem, eorumque sectatores plectit anathemate, omnino autem silet de Concilio Chalcedonensi, editaque ab eo Fidei definitione, de epistola S. Leonis ad Flavianum, deque voce *ex duabus*, seu *in duabus*, qua voce hæresis Eutychiana prostrata est, ut dictum est in annotatione 4. ad S. Leonem I. Quo silentio cum Eutychianis faveret, & Chalcedonensem Synodum dolose oppugnaret, inde factum est, ut Ecclesia *Henoticum* semper improbaverit, licet non tam aperte Zenone vivo. Baronius ad an. 482. §. 26.

(3) Trisagium hymnus est notissimus a voce ἅγιος ter repetita hoc modo: ἅγιος ὁ θεὸς, ἅγιος ἰσχυρὸς, ἅγιος ἀθάνατος ἐλέησον ἡμᾶς: *Sanctus Deus, sanctus fortis, sanctus immortalis miserere nobis*. Hujus origo illa fuit. *Cum terræmotu Constantinopolis quateretur, populusque in campo oraret, infantulus toto populo spectante cum Proclo Civitatis Episcopo in Cælum per unam horam raptus est, ibique hujusmodi didicit hymnum. Rursumque descendens nuntiavit quæ in æthere audierat, dicens de Cælo quasi de multitudine psallentium hujusmodi laudes insonuisse auribus suis, dictumque sibi, ut eam laudationem populo indicaret. Quam ubi populi incepetrant, civitatem receperunt, Deoque per hujusmodi laudem propitio facto, ab imminenti ira liberati sunt*. Hæc Felix III. epist. 3. ad Petrum Fullonem, apud Labbeum tom. 4. Conc. pag. 1063. Scribit idem & Nicephorus lib. 14. cap. 46. additque, puerum post allatum nuntium statim animam expirasse, & Imperatorem Theodosium jussisse, *ut per Orbem*

omnem

gotia oblitus est Ecclesiæ Africanæ, quam Hunnericus Vandalorum Rex vexabat crudelissime. Nam & scripsit ad Zenonem, ut apud eum ageret, ne ulterius sæviret in Christianos, celebratoque Romæ Concilio regulas edidit de recipiendis lapsis in persecutione ea. Anno 492. V. Kal. Martias corporis vinculis exsolutus ad superos evolavit, administrato Pontificatu per *annos octo, menses undecim, dies decem septemque*.

An. 487. S. 1. & 492. S. 1. Pag. S. 2.

LI.

S. GELASIUS I.

ANNO CHRISTI 492.

ANASTASII IMP. 2. ODOACRIS REGIS 17.

GELASIUS Valerii filius Afer anno 492. VI. Nonas Mart. Pontificatum accepit. Is Euphemio Episcopo Constantinopolitano litteras pacificas recusavit dare, *quod nequaquam e Diptychis nomen Acacii prædecessoris, ab Ecclesia Romana damnati, ut Felix Papa monuerat, expunxisset, sed pateretur in sacris recitari cum aliis Episcopis Orthodoxis*. (1) Concilio septuaginta Episcoporum anno 494. Romæ celebrato definivit, quinam essent libri sacri &

Bar. an. 492. S. 6. 7. Pag. S. 3.

Bar. an. 494. S. 19 Pag. S. 2. 3.

omnem divinus hymnus iste concineretur. Ex eo tempore in Ecclesia tum Orientali, tum Occidentali magno cum fructu usurpari cœptus averruncandæ iræ divinæ. Vide Petavium Theologicorum dogmatum tom 4. lib. 5. cap. 4.

Baronius historiam hanc confert in annum 446. narratque §. 5. & ad an. 492. §. 40. subjungit, ideo Trisagium Græce cani solitum in Parasceve, cum Sancta Crux adoratur, sine additamento. *Qui crucifixus es pro nobis*, ut qua lingua a Petro Fullone hæresis Trisagio inserta est, eadem ab Catholicis redargueretur.

(1) Baronius ad an. 492. §. 7. Vide annotat. 1. ad Sixtum I. & annotat. 3. ad Innocentium I.

& divini utriusque Testamenti, quatuor Oecumenica Concilia rata & sancta esse jussit, librosque veterum Patrum receptos ab Ecclesia, & inoffenso pede percurrendos discrevit ab Apocryphis & caute legendis. (2) Pelagianam hæresim, in Dalmatia ac Piceno reviviscentem, & diris devovit, & scriptis confutavit. (3) Manichæos, qui in Urbe simulabant Catholicam Fidem, detexit certissimo indicio. Integravit enim Leonis Magni decretum, ut pro Manichæis haberentur omnes, qui sumentes Eucharistiam abstinerent a calice, a quo ab-

Bar. an. 496. §. 22. 27. 53.

(2) Legitur decretum apud Labbeum tom. 4. Conc. pag. 1260. & apud Gratianum dist. 15. cap. *Sancta Romana Ecclesia* 3. quo maximopere urgentur, & ad angustias rediguntur recentiores Heterodoxi, qui, Traditione rejecta, Libros canonicos rejiciunt pro libidine & commodo sectæ suæ. Joannes Pearsonius in Vindiciis epistolarum S. Ignatii p. 1. c. 4. ait, esse incertum, cujus auctoris sit. Gulielmus Cave in Historia litteraria illud respuit tamquam suppostitium, concluditque *ejusdem esse cum epistolis primorum Pontificum Decretalibus farinæ, ex eademque Isidori Mercatoris officina prodiisse*. Baluzius in notis ad Gratianum pag. 444. monet, in antiquis Codicibus illud Hormisdæ etiam, ac Damaso adscribi. Itaque colligit, *Damasum fortassis primum omnium de hujusmodi libris publice statuisse, deinde vero Gelasium renovasse decretum Damasi, illudque auxisse eorum auctorum nominibus, qui post Damasum vixere. Quod idem de Hormisda quoque dici potest*. At esse Gelasii docent Lupus Abbas Ferrariensis epist. 128. tom 15. Bibl. Patrum pag. 42. Mabillonius in disquisitione *de Cursu Gallicano* §. 1. num. 9. Pagius ad an. 494. §. 2. Justus Fontaninus in Appendice libri *De antiquitatibus Hortæ*, & Petrus Coustant in Diatriba de decreto Gelasii Papæ num. 4. tomo 2. Epist. Rom. Pont. *cujus tomi hactenus inediti imaginem paucis delineatam exhibet P. Simon Mopinot in rarissima epistola edita anno* 1724. ut legimus in Appendice ad Norisii editionem Veronensem l. 2. c. 12. pag 928 Utcumque res se habeat, sacrum est venerandæ antiquitatis monumentum, quod annotationibus illustrat Didacus Covaruvias lib. 4. Variarum Resolutionum cap. 14. & seqq.

(3) Tribus epistolis, quinta, sexta, septima, & tractatu apud Labbeum tom 4. Conciliorum pag. 1172. & 1240.

abstinuissent Manichæi, utpote abhorrentes a vino. (4) Detectos hoc modo hæreticos pepulit in exilium. Lupercalia sustulit. (5) *Codicem de Missa-*

(4) Exstat decretum dist. 2. De Consecrat. cap. *Comperimus* 12. Addita decreto ratio *: quia divisio unius ejusdem mysterii sine grandi sacrilegio non potest provenire :* non significat, unam speciem non posse sumi sine sacrilegio, ut falso autumant Lutherani & Calvinistæ; sed innuit, opinionem Manichæorum, qui abstinebant calice, non carere suspicione hæreseos, atque adeo ab hæresi proficisci. Vide annotat. 3. ad Alexandrum VI. p. 496.

Ex eodem decreto de sumenda Eucharistia sub utraque specie licet colligere, Ecclesiam tunc liberum arbitrium Eucharistiæ, etiam sub specie vini percipiendæ, omnibus permisisse : quæ disciplina usque ad sæculum XII. tenuit. Eo enim labente alterius tantum speciei sumendæ usus obtinere cœpit: & quamvis nonnullæ Occidentis Ecclesiæ etiam S. Thomæ, imo Paludani ætate, quorum alter obiit anno 1274. alter 1341. veterem morem servarent, postea tamen ubique solutus, & sublatus est sess. 13. Concilii Constantiensis anno 1414. celebrati, in qua Patres voluerunt, Eucharistiam sub una tantum specie sumi a Laicis, & Sacerdotibus non facientibus sacrificium. Petrus Amelius cap. 85. Ordinis Romani tradit, iis, qui a Pontifice die festo Paschæ Missam celebrante Eucharistiam sumsissent, porrectam fuisse ab Diacono fistulam *ad bibendum de Christi sanguine*, ideoque Pontificem saltem die Paschæ administrasse Eucharistiam sub utraque specie usque ad sæculum XV. quo ineunte *Ordinem* suum Amelius scripsit. Quosdam tamen exceptos voluit Ecclesia, eisque etiamnum utramque Eucharistiæ speciem indulget, Regibus videlicet Francorum *in sua consecratione*: *Diacono & Subdiacono S. Dionysii prope Parisios in Dominicis & diebus solemnibus, & ministris altaris apud Cluniacum in singulis Dominicis & festis : quæ prærogativa a Concilio Tridentino probata est*, ut ait Mabillonius, qui cap. 9. & 19. Commentarii in Ordinem Romanum hæc fusius enarrat.

(5) Extat ea de re tractatus Gelasii adversus Andromachum Senatorem ceterosque Romanos studiosos Lupercalium, apud Labbeum tom. 4. Conciliorum pag. 1234. & apud Baronium ad an. 496. §. 30. Vide cap. 5. De partu & Purificatione Mariæ Virginis in Historia nostra Familiæ Sacræ.

ſarum ſolemniis edidit. (6) Baptiſmi Sacramentum gratis adminiſtrari voluit: Ordinibus ſacris conferendis quatuor ſolemnium jejuniorum tempora omnium primus, quantum ego quidem ſcio, præſtituit edito decreto. Quadripartitam redituum Eccleſiaſticorum diſtributionem ab Simplicio tra- An. 494. S. 24. ditam inculcavit, addens illud amplius, quemadmodum dicit Baronius, *ut pars, quæ in uſum pauperum convertenda eſſet, nequaquam clanculo erogaretur, ſed palam omnibus videntibus atque ſcientibus, ne rapiendi, vel ex parte diminuendi eam daretur occaſio.* (7) Eumdem fuiſſe auctorem *Præfationum* & *Collectarum*, quibus utimur in ſacroſancto Miſſæ ſacrificio, quidam tradunt, ducti ratione ea, quod in Libro Pontificali legatur *feciſſe Sacramentorum Præ-* An. 496 S. 1. Pag. S. 2. *fationes & orationes canto ſermone.* (8) Cum *annos qua-*

(6) Joannes Diaconus in Vita Gregorii Magni lib. 2. cap. 17. *Gelaſianum codicem de Miſſarum ſolemniis, multa ſubtrahens, pauca convertens, nonnulla vero ſuperadjiciens, pro exponendis Evangelicis lectionibus in unius libri volumine coarctavit.* Vide Thomaſii Præfat. ad Codices Sacramentorum.

(7) Epiſtola 9. cap. 5. 11. & 27. *Ipſam nihilominus adſcriptam pauperibus portionem, quamvis divinis rationibus ſe diſpenſaſſe monſtraturus eſſe videatur, tamen juxta quod ſcriptum eſt:* Ut videant opera veſtra bona, & glorificent Patrem veſtrum, qui in cælis eſt, *oportet etiam præſenti teſtificatione prædicari, & bonæ famæ præconiis non taceri.*

(8) *Præfationem actionis, qua populi affectus ad gratiarum actiones incitatur, ac deinde humanæ vocis ſupplicatio cæleſtium virtutum laudibus admitti depoſcitur, quis primus ordinaverit, nobis ignotum eſt.* Ita Walfridus Strabo apud Bonam lib. 2. Rer. Liturgic. cap. 10. qui quidem concedit, plures præfationes ab Gelaſio editas fuiſſe: oſtendit tamen, *in ipſis Eccleſiæ primordiis jam uſum Præfationum exſtitiſſe, earumque inſtitutionem vel Apoſtolis, vel Apoſtolicis viris tribuendam.*

Idem Bona Pſalmodiæ cap. 16. §. 17. n. 1. *Berno Augienſis*, De Miſſa cap. 1. & *Sigebertus* ad an. 487. *præcipuum Collectarum auctorem faciunt S. Gelaſium Papam. Sed Magnus Gregorius meliores & emendatiores in ordinem redegit, & ex iis librum compoſuit, quem Sacramentorum inſcripſit.*

Hic

quatuor, menses octo, & dies viginti Pontificatus complesset, anno 496. XI. Kal. Decembr. cessit e vita.

LII.

S. ANASTASIUS II.

ANNO CHRISTI 496.

ANASTASII IMP. 6. THEODORICI REGIS 4.

ANASTASIUS II. Petri filius Romanus, anno 496. IV. Kal. Decembr. Pontifex dictus Bar. an. 496. §. 55. est. Anno insequente Germanum Episcopum Ca- Pag § 7. Bar. an. puanum, & Cresconium Tudertinum legatos de 497. §. 1. 2. pace & societate cum Ecclesia Orientali ad Anastasium Imperatorem misit cum epistola, qua enixe petebat, ut nomen Acacii Antistitis quondam Constantinopolitani expungeretur e Diptychis sacris, ne *propter unum mortuum diutius tunica illa Salutaris, desuper contexta per totum, mala sortis pateretur incertum, quæ sola in discissionem pro firmitate sui venire non potuit*. (1) Sed legati irrito incœpto regressi. Clodoveo Regi Francorum primo recens susceptam Christi fidem & baptismum per litteras gratulatus est. (2) Ratum jussit Sacramentum Baptismi atque Ordinis administratum ab Acacio memorato, cum jam Christianorum communione depul-

I sus

Hic mihi primarius Collectarum auctor fuisse videtur: nam ante ipsum rarior earum mentio apud Scriptores Ecclesiasticos reperitur.

(1) Anastasius II. epist. 1. apud Labbeum tom. 4. Conc. pag. 1278.

(2) Epist. 2. apud eumdem Labbeum tom. 4. Conc. pag. 1282.

Clodoveus baptizatus est anno 496. die Natali Christi Domini: exinde usus baptizandi eo die perseveravit apud Francos, Pagius ad an. 499. §. 9. & 10.

ſus eſſet, & Epiſcopatu. (3) Vana refert auctor Libri Pontificalis, cum ait, Clericos & Presbyteros ſeparaſſe ſe ab eo, *quod communicaſſet ſine conſilio Epiſcoporum, vel Presbyterorum, vel Cleri cunctæ Eccleſiæ Catholicæ Diacono Theſſalonicenſi nomine Photino, qui communis erat Acacio, & quia occulte voluit revocare Acacium, & non potuit. Qui nutu divino percuſſus eſt.* Etenim *hæc contra Anaſtaſium ſparſa eſſe ab Schiſmaticis Laurentianis,* dicit Baronius. (4) Mortuus
An. 497. S. 27. eſt XVI. Kal. Decembr. anno Chriſti 498. Pontifi-
An. 498. S. 1. Pag. S. 2. catus *primo, menſe undecimo, & die undevice ſimo.*

LIII.

(3) Memorata epiſtola 1. ad Anaſtaſium Auguſtum cap. 7. quod recitatur a Gratiano diſt. 19. cap. 8.

(4) Baronio adſtipulantur alii, quorum rationibus narratio Libri Pontificalis convellitur. Nam quod attinet ad primum, nemo non videt, licere ſummo Pontifici exſolvere hæreticum quemlibet vinculo anathematis ſine conſilio Epiſcoporum, Presbyterorum, & Clericorum totius Eccleſiæ. Secundum eſt omnino falſum, ſive intelligas, Anaſtaſium voluiſſe revocare, hoc eſt reſtituere Acacium in Sedem Conſtantinopolitanam, ſive nomen ejus in Sacra Diptycha. Jam enim mortuus erat Acacius tempore Felicis III anno 488 teſte Evagrio lib. 3. cap. 23. Nicephoro lib. 16 cap 12 & Liberato cap. 18. ac mortui *nomen taceri* in Diptychis ſacris optat Anaſtaſius ipſe in epiſtola ad Anaſtaſium Imperatorem cap. 3 Tertium eſt commentitium. Siquidem id tribuitur Anaſtaſio Pontifici, quod pertinet ad Anaſtaſium Cæſarem. Hunc enim percuſſum ictu fulminis periiſſe conſtat: illum vero obiiſſe mortem hujuſmodi, nuſquam reperias, niſi in Libro Pontificali. *Ceterum,* ut ait Baronius ad an 497. §. 28. *ſi contentioſe nimis quis aſſerere velit, Anaſtaſium propenſiorem fuiſſe in reſtituendo ſublato e Diptychis Acacii nomine, ſed morte præventum id præſtare minime valuiſſe: in hoc eſt quidem, quo magis magiſque admireris Dei providentiam erga Romanam Eccleſiam, cum titubantem Apoſtolicæ Sedi præſidentem Pontificem ex humanis ante ſubduxeris, quam, quod meditaretur, impleret, & antea morte præreptum, quam vel tentari poſſet a Feſto legato de ſubſcribendo Zenonis Henotico. Ita namque ſæpe divino conſilio, quo potiſſimum Catholicæ Fidei ſemper ſervare conſuevit integritatem, factum ſcimus, ut quam citiſſime morte mulctatus ſit, qui in aliquod diſcrimen adducturus eſſet Catholicam Romanæ Eccleſiæ puritatem.*

LIII.

S. SYMMACHUS.

ANNO CHRISTI 498.

ANASTASII IMP. 8. THEODORICI REGIS 6.

SYMMACHUS Fortunati filius, Sardus, in locum Anastasii II. sexto ab ejus obitu die, X. Bar. an 498. § 3. 4 5. Kal. Decembr. subrogatus est. (1) Quo die Festus Pag. §. 2. Romanus Senator Laurentium Romanum Archipresbyterum tituli S. Praxedis, multis pecunia corruptis, Pontificem eligendum curavit, ut ab eo exprimeret aut eblandiretur subscriptionem *Henotici*, quam se ab Romano Pontifice consecuturum, anno superiore Anastasio Imperatori promiserat. Exortis inde in Clero ac Senatu turbis rixisque, adeo exarsere studia, ut non fuerit cædibus temperatum. Caussa demum tota, quod ex Odoacris lege non deberet Pontifex creari sine consensu Regis Italiæ, delata ad Theodoricum, qui licet Arianus, comperto, Symmachum & priorem & pluribus electum suffragiis, secundum ipsum decrevit. Theodorici sententia Laurentio antelatus Concilium Romæ habuit, ut de ambitu tollendo e Comitiis Pontificiis, & via præcludenda contentionibus ageret. Bar. an. 499. §. 2. 8. 10. 34. Pag. §. 3. Statuit, ut post mortem Pontificis ille haberetur pro Pontifice, qui consentientibus totius Ecclesiastici Ordinis suffragiis creatus esset, aut si stu-

(1) *Omnes Catholici principes sive cum imperii gubernacula susceperunt, sive cum Apostolicæ Sedi novos agnoverunt Præsules institutos, ad eum sua protinus scripta miserunt, ut se docerent ejus esse consortes*: Symmachus in epistola Apologetica adversus Anastasii Imperatoris libellum famosum, apud Labbeum tom. 4. Conciliorum pag. 1300.

ſtudia in partem diverſam animos inclinarent, *vinceret ſententia plurimorum: ſic tamen ut Sacerdotio careat, qui captus promiſſione, non recto judicio de electione decreverit*. (2) Alterum Romæ Concilium celebravit anno 500. in quo Laurentius, ut Eccleſiam turbare deſineret, Nuceriæ Epiſcopus factus eſt *intuitu miſericordiæ*, ut eſt in Libro Pontificali. Hac ratione compreſſum ad tempus ſchiſma, non extinctum. Data quiete uſus, tertio habito in Urbe Concilio, abrogavit modo memoratam conſtitutionem Odoacris, qua vetabatur, ne Pontifex crearetur inſcio Rege Italiæ, neve liceret Pontifici res Eccleſiæ immobiles, neque mobiles alienare. Idque eo fecit, *ne in exemplum remaneret præſumendi quibuslibet Laicis, quamvis religioſis vel potentibus, in quacumque Civitate quolibet modo aliquid decernere de Eccleſiaſticis facultatibus, quarum ſolis Sacerdotibus diſponendi indiſcuſſe a Deo cura commiſſa docetur*. (3) Sua tamen ipſe auctoritate conſtituit, ne cui fas eſſet prædia Eccleſiarum *ſub perpetua alienatione vel commutatione ad cujuslibet jura transferre*. (4) Mox adverſariæ factionis duces renovarunt priſtinas turbas. Nam Laurentio clam revocato, & Symmacho apud Theodoricum falſis criminibus onerato, effecerunt, ut mitteret *Viſitatorem*, a quo judicium fieret de Pontifice. Miſſus Petrus Altini Epiſcopus, qui

Bar. an. 500. §. 3. 8.

(2) Extat decretum apud Labbeum tom. 4. Conciliorum pag. 1314. & apud Gratianum diſt. 79. Cap. *Si transitus Papæ* 10.

(3) Symmachus in memorato Concilio Romano cap. 3. apud Labbeum tom. 4. Concil. pag. 1336.

(4) Idem Symmachus in eodem Concilio cap. 4. apud eumdem Labbeum pag. 1337. Ut autem id Symmachus conſtitueret, antea rogaverat Cæſarius Epiſcopus Arelatenſis, ut eſt apud Lab. tom. 4. Conc. pag. 1294. *ſicut a perſona B. Petri Apoſtoli Epiſcopatus ſumit initium; ita neceſſe eſt, ut diſciplinis competentibus Sanctitas veſtra ſingulis Eccleſiis, quid obſervare debeant, evidenter oſtendat*. Vide Baronium ad an. 483. §. 10.

qui ad Laurentianos inclinatus turbavit omnia. Quare Theodoricus ut plenam tumultus Urbem tranquillaret, Symmachi permissu 125. Episcoporum Concilium Romæ coegit, *Palmare* dictum, cujus judicio cum se ultro Pontifex submisisset, innocens magno consensu declaratus est. (5) Post hæc, cum, amandato in exilium Laurentio, compressa seditio esset, totum se Ecclesiæ negotiis dedit. Anastasium Imperatorem anathematizavit, quod A-

Bar. An. 502. S. 5. 18. 30.

An. 503. S. 26. 31.

(5) Concilium hoc *Palmare* dictum a loco, in quo celebratum est, porticu videlicet Basilicæ S. Petri, cui *Palmariæ* nomen. Baronius ad an. 502. §. 2.

In Actis hujus Concilii apud Harduinum tom. 2. Conc. pag. 969. *Ad hæc serenissimus Rex* (Gothorum Theodoricus) *taliter Deo aspirante respondit*: In Synodali esse arbitrio, in tanto negotio sequenda præscribere, *nec aliquid ad se præter reverentiam de Ecclesiasticis negotiis pertinere.... dummodo venerandi provisione Concilii pax in Civitate Romana Christianis omnibus redderetur*. Dist. 17. cap. Concilia 6. §. Ad hæc.

Ennodius Episcopus Ticinensis in libello apologetico pro Synodo, in qua absolutus est Symmachus, apud Labbeum tom. 4. Conc. pag. 1344. *Ajunt* (Symmachi adversarii) *si vera est Episcoporum assertio, Sedis Apostolicæ Præsulem minorum numquam subjacuisse sententiæ: cur ad judicium districta conventione productus est* Symmachus? Respondet Ennodius paullo post pag. 1347. *Judicia iste voluit, attraxit, ingressus est, & quod posset fidelium corda doloris justi aculeis excitare, venerando Concilio auctoritatem etiam contra se, si mereretur, indulsit.* Addebant pag. 1352. *Visitatores & aliis Episcopis ipse dedit, & justum est, ut facti sui lege teneatur.* Ennodius *dicit, latorem juris definitionis suæ, nisi velit, terminis non includi.... Aliorum forte hominum caussas Deus voluerit per homines terminare: Sedis istius Præsulem suo, sine quæstione, reservavit arbitrio. Voluit beati Petri Apostoli successores cælo tantum debere innocentiam, & subtilissimi discussoris indagini inviolatam exhibere conscientiam.*

Præclarum hoc Concilii Romani, & Ennodii testimonium de dignitate, & auctoritate summi Pontificis oppugnat Joan. Launojus lib. 1. epist. 9. propugnat vero, frivolasque Launoji rationes refellit Nat. Alexander dissertat. 1. in Hist. Eccl. sæc. VI.

cacii memoriæ, & hæreticis Concilii Chalcedonensis hostibus faveret. Manichæos Roma expulit. Africanis Episcopis ad quinque & viginti supra ducentos a Trasamundo Rege Vandalorum affectis exilio pecunias & vestes suppeditavit. Permisit Episcopis potestatem concedendi possessiones Ecclesiæ Clericis, quoad viverent. (6) Idem *legitur constituisse, ut omni Dominica vel Natalitiis Sanctorum* Gloria in excelsis Deo *diceretur*. (7) Vitæ finem fecit anno 514. XIV. Kal. Augusti *annos quindecim, menses septem, dies septem ac viginti* Pontificale munus magna animi constantia functus *sub barbaro Rege, sub quo Urbs ipsa quodammodo videbatur teneri captiva*. (8)

Bar. An. 504. §. 41.

An. 514. §. 6. 11. 12. Pag. §. 2.

LIV.

(6) Epist. 5. ad Cæsarium Episcopum Vercellensem cap. 1. quod recitatur a Gratiano 16. quæst. 1. cap. *Possessiones* 61. Ex quo, ut ait Baronius ad an. 502. §. 36. *potes intelligere, si consideras, Beneficiorum Ecclesiasticorum originem. Etenim cum solerent Clerici ab Ecclesia per Episcopum mensibus singulis victus caussa meritam stipem accipere, ut ex S. Cypriano* (extrema epist. 34.) *secundo tomo Annalium demonstratum est: postea vero factum, ut aliquibus ex his Ecclesiæ possessiones, quoad viverent, ab ipso Episcopo concederentur, quæ Beneficia dici cœperunt, eo quod, ut habet Symmachus in ea epistola, benemeritis tantummodo eas concedi liceret.*

(7) Strabo De rebus Ecclesiasticis cap. 22.

Bona lib. 2. Rer. Liturgic. cap. 4. §. 4. *Telesphorus in Missa tantum nocturna Nativitatis Domini cantari decreverat, si vera sunt, quæ Sigebertus in Chronico, & Innocentius III. l. 2. de Mysteriis Missæ cap. 20. tradunt.*

Ducangius in Glossario: Hymnus, *Gloria in excelsis*, ab Græcis vocatur *doxologia magna*, *doxologia* autem *parva* hymnus, *Gloria Patri*, qui dici solet in fine Psalmorum.

(8) Baronius ad an. 514. §. 11.

LIV.

S. HORMISDA.

ANNO CHRISTI 514.

ANASTASII 24. THEODORICI 22.

HORMISDA Campanus, patre Justo, Frusinone natus, anno 514. VII. Kal. Augusti Pontifex factus est. Ejus opera, & Justini Imperatoris, qui Anastasio successerat, pietate sublatum est Acacianum schisma, quod propter retentum in Diptychis sacris nomen Acacii a Felice III. damnati, annos ferme quinque supra triginta Romanam Ecclesiam dissociaverat ab Orientali. Initam pacem nonnihil turbavit nova controversia *De uno e Trinitate carne passo*, a paucis Monachis in angulo Scythiæ Europeæ apud Tomos excitata, nec solum Constantinopoli, sed etiam Romæ magno animorum ardore disceptata per legatos: *de qua juxta varios sensus exposita Catholici per quinque lustra acerrimas secum invicem contentiones exercuerunt*. (1) Monachos hosce Hormisda epist. 70. coarguit, tamquam *contemptores auctoritatum veterum, novarum cupidos quæstionum, & eo usque tumoris elatos, ut ad arbitrium suum utriusque Orbis putarent inclinandum esse judicium*: defensamque ab eis propositionem: *Unus de Trinitate crucifixus est carne*, rejecit uti novam

Bar. an. 514. §. 15. Pag. §. 4. Bar. an. 5 9. §. 56. 80. 83. 106. Pag §. 2. 6.

I 4 &

(1) Norisius in Historia controversiæ *De uno ex Trinitate carne passo* cap. 4 pag. 804.

Justinianus epist. ad Hormisdam tom. 4. Conc. pag. 1517. *Quidam asserunt, Christum Dei filium pro nostra salute carne crucifixum unum de Trinitate debere prædicari: reverentia vestra, quid sequi, quidve super hoc evitare debeamus, nos certiorare dignetur. Hoc enim credimus esse Catholicum, quod vestro religioso responso fuerit intimatum.*

& ambiguam, quæ ab hæreticis trahi posset in malam partem, & præseferret speciem quamdam recens damnati erroris Petri Fullonis. (2) In eadem epistola dicit, ab Ecclesia non recipi doctrinam Fausti Rejensis circa liberum arbitrium, & gratiam Dei, & quid de utroque *Romana, hoc est Catholica asseveret Ecclesia*, cum *in variis libris beati Augustini posse cognosci*, tum *in scriniis Ecclesiasticis expressa capitula contineri*. (3) Obiit anno 523. VIII. Idus Augusti, *anno nono, & die undecimo*, quam summum Sacerdotium acceperat.

Bar. an. 523. §. 3. Pag. §. 2.

LV.

(2) Mopinot in Opusculo de nova editione Epistolarum Summ Pont. a P. Coustant adornata apud Blanchinum in notis ad Anastasium Bibliothecarium tom. 3. pag. 229. *Neque prætermisit sedulus editor* Hormisdæ *litteras de Monachorum Scytharum contentione scriptas vindicare: cui defensioni non plures modo notas, sed bifariam eamque late fusam dissertationem impendit. Priori parte explanat intricatiora quædam Historiæ capita, probatque nihil a sanctissimo Papa assertum, quod a Catholica Fide abhorreat: nihil repudiatum, aut certe silentio prætermissum, quod non Ecclesiasticæ pacis amor & Christianæ prudentiæ ratio repudiari, aut certe silentio premi juberet*. Vide Petavium Theologic. Dogmat. tom. 4. lib. 1. cap. 18.

Monachos Scythas, qui propositionem illam propugnabant, Catholicos fuisse specie tenus, & occultis artibus fovisse hæresim Eutychianam, existimat Baronius ad an. 519. §. 99. Alii ostendunt fuisse alienos ab omni prorsus Eutychianæ hæreseos favore. Est in horum numero Nat. Alexander dissertat. 2. in Hist. Eccl sæc. IV. & Norisius tum lib. 2. Hist. Pelag. cap. 18. tum in Historica dissertatione *De uno ex Trinitate carne passo*, & in Apologia Monachorum Scythiæ.

(3) Verba recitata ex Hormisdæ epistola 70. sunt apud Labbeum tom. 4. Conc. pag. 1531. & 1532.

LV.

S. JOANNES I.

ANNO CHRISTI 523.

JUSTINI IMP. 6. THEODORICI REGIS 31.

JOANNI Constantii filio, Hetrusco Pontificatus
traditur anno 523. Idibus Augusti. (1) Is Ra- Bar. an.
vennam accitus a Theodorico Rege Ariano, & 523. §. 10.
navi cum Episcopis ac Senatoribus, qui ipsum co- Pag. §. 3.
mitabantur, impositus, Constantinopolim mittitur An. 525. §. 1. 7. 8. 9.
ad Justinum Imperatorem. Jussus petere tria: pri- Pag. §. 3. 6. 8.
mum, ut Ariani, qui compulsi legibus Justini Cæsaris
suscepissent Catholicam religionem, permitterentur
redire ad sectam suam, quod scribit Anonymus
auctor editus a Valesio ad calcem Ammia- Pag. 724.
ni Marcellini: secundum, ut Arianis restituerentur
Ecclesiæ ablatæ in partibus Orientis, quod narrat
Anastasius Bibliothecarius in vita hujus Pontificis: Pag. 94.
tertium, ne quis in posterum cogeretur ejurare sectam
Arianorum, quod refert Theophanes in
Chronographia. (2) De primo nullam Joannes Pag. 116.
fe-

(1) Patria Senensis perhibetur a multis apud Blanchinum in notis historicis ad Anastasium Bibliothecarium tom. 3. pag. 146.

(2) Idem Theophanes addit, Joannem *ab Epiphanio Patriarcha invitatum, congressum denegasse, donec ipse, qui Romanus esset Pontifex, primum in consessu locum supra Epiphanium obtinuisset*. Id quod scribit etiam Marcellinus in Chronico pag. 290. apud Sirmondum tom. 2. Operum edit. Venetæ. *Dexter dextrum Ecclesiæ insedit solium, diemque Domini nostri resurrectionis plena voce Romanis precibus celebravit*. Eodem Romano ritu Constantinopoli sacra fecit Joannes Episcopus Portuensis legatus Agathonis ad Concilium Constantinopolitanum III. Oecum. VI. anno 681. teste Anastasio in vita Agathonis pag. 140.

fecit apud Justinum mentionem: alia duo ab eo impetrasse dicitur (3) ratus aliquid tribuendum alienis, ne omnino perderet suos. Theodoricus enim idem sibi jus in Catholicos Italiæ, quod Justinus in Arianos Orientis, exercendum decreverat. Dum Constantinopoli degeret, ritu est usus Romano, atque in ipsis sacris Justinum, a quo fuerat honorificentissime susceptus, magna ceremonia insignibus Augustalibus, novo atque in posterum memorando exemplo, decoravit. (4) Ravennam redux a Theodorico male habitus est, & in carcerem detrusus, ubi ærumnis confectus anno 526. VI. Kal. Jun. occubuit gloriosa in omne ævum morte, cum *annos duos*, *menses novem*, *& dies quatuordecim* Pontificatus munere functus esset.

Bar. an. 526. §. 6. Pag. §. 2.

LVI.

(3) Ab Anastasio in vita Joannis pag. 95. & Auctore Historiæ Miscellæ lib. 15. tom. 1. Script. Rer. Italic. pag. 103. Utrumque *falsa hac in parte narrare contendit Baronius ad an. 525. §. 8. & seqq. idque demonstrare non solum epistolam a Joanne Papa post suum reditum ad Italiæ Episcopos scriptam, qua jubet Ecclesias Arianorum consecrari, sed etiam indignationem Theodorici Regis, qui Joannem & Senatores Constantinopoli reduces in carcerem conjecit. Verum* ut animadvertit Pagius ad an. 525. §. 8. *ea epistola supposititia, & Joannes cum Senatoribus inhumaniter habitus, quod Justinus* reconciliatos, qui se Fidei Catholicæ dederant, Arianis *restitui noluisset, ut prodit Anonymus, ac Joannes id ab Imperatore minime postulasset, quod revera ab eo petere non poterat.*

(4) Primus Romanorum Pontificum id Joannes fecit, ideoque primus Imperatorum Justinus solemniter a Pontifice inauguratus est. Ante Justinum Imperii insignia ab Episcopis acceperant Imperatores aliqui. Prius vero quam Pontificali benedictione donarentur, Fidem Catholicam voce & scripto profitebantur. Qua de re, sicuti etiam de ritu Imperatoriæ consecrationis, multa Edmundus Martene *De antiquis Ecclesiæ ritibus* lib. 2. cap. 9.

LVI.

S. FELIX IV.

ANNO CHRISTI 526.

JUSTINI 9. THEODORICI 34.

FELIX IV. (1) Castorii filius, Samnis, Pontifex a Theodorico anno 526. designatus est, (2) & post interregnum dierum duodesexaginta, cum in eum Clerus, vitandi caussa schismatis, consensisset, IX. Kal. Augusti inauguratus. *Decessorum vestigiis inhærens, ex Ecclesiasticis scriniis aureas S. Augustini sententias de divina gratia & libero arbitrio selectas transmisit ad Cæsarium* Episcopum Arelatensem, rogantem auxilium adversus factionem Semipelagianorum. (3) Ædificandis & exornandis Mar-

Bar. an. 526. §. 22. 24

Pag. §. 5.

(1) Vide annotat. 1. ad Felicem III.

(2) Quo facto Theodoricus non solum confirmandi, ut antea Odoacer; sed etiam eligendi Romani Pontificis jus sibi usurpavit. Restitit acriter Clerus Senatusque Romanus, non electo, qui vir erat spectatissimus, sed electioni. Ea demum lege res composita, ut in posterum more pristino Clerus eligeret Romanum Pontificem, quem Rex confirmaret assensu suo. Hæc eligendi Pontificis ratio tamdiu obtinuit, quamdiu stetit Regnum Gothorum in Italia: quo labefactato, eam sibi auctoritatem vindicarunt Orientis Imperatores. Baronius ad an. 526. §. 24. & Pagius ad eumdem an. §. 8.

(3) Norisius lib. 2. Hist. Pelag. cap. 23. ubi adjicit, Cæsarium opportunam occasionem nactum, eas sententias protulisse in Concilio Arausicano II. in quo actum est de gratia & libero arbitrio. Baronius ad an. 529. §. 1. de Patribus hujus Concilii: *Recitant capita in Gallias ab ipso Romano Pontifice missa, profitentes, ea cuncta haud recentem esse Ecclesiæ doctrinam, sed antiquorum Patrum definitionem, eamdemque Apostolicæ Sedis auctoritate firmatam, quæ S. Augu-*

Bar. an. 530. §. 1. Pag. §. 2. Martyrum Basilicis deditus, eam, quæ etiamnum exstat, sanctis Martyribus Romanis Cosmæ & Damiano excitavit. (4) Simplicitate & humilitate eluxit, quibus addidit munificentiam in egenos. Excessit IV. Idus Octobr. anno 530. post acceptum Pontificatum, *quarto*, *mense secundo*, *& die duodevicesimo*.

LVII.

BONIFACIUS II.

ANNO CHRISTI 530.

JUSTINIANI IMP. 4. ATHALARICI REGIS 5.

BONIFACIUS II. Sigilbuldi filius, Romanus anno 530. XVII. Kal. Novembr. in Basilica Julii Felici IV. substitutus est. Eodem tempore in Æde Constantiniana pars Cleri suffecit Dioscorum, quo paucis post diebus mortuo, extinctum est Schisma. Bonifacius mortuum tamquam Si-

Bar. an. 530. §. 2. 4. Pag. §. 5.

gustini se professa est de gratia & libero arbitrio probare sententiam. Nihil igitur praeterea novitas sibi vendicet, & praesumtio humana praesumat. Quot igitur Arausicani canones, tot sunt Catholicæ Ecclesiæ stabilitæ sententiæ, a quibus absque prævaricationis piaculo haud liceat Fideli recedere.

Binius apud Labbeum tom. 4. Conc. pag. 1675. locos indicat D. Augustini, unde illæ sententiæ quinque & viginti depromtæ sunt.

(4) Florentinius in annotat. ad Martyrologium Hieronymianum V. Kal. Octobr. Bona lib. 2. Rer. Liturgic. cap. 12. §. 3. docent, *tria fuisse paria Sanctorum ejusdem nominis Cosmæ & Damiani. Unum Martyrum in Arabia, alterum Confessorum in Asia, tertium Martyrum, qui Romæ mortem subierunt.* Omnes fuisse professione medicos, dictosque *Anargyros*, quod sine pretio ægrotos curarent. Ædem ab Felice IV. non Arabibus, sed Romanis dicatam, & hos procul dubio esse, qui in Canone Missæ memorantur.

Simoniæ reum anathematizavit. Ut autem occurreret licentiæ Regum Gothorum in designandis Pontificibus, habito Romæ Concilio delegit Vigilium Diaconum, qui sibi succederet, consentiente Clero, consensumque præstitum & jurejurando & chirographis confirmante. Quæ res, utpote contraria sacris legibus, officiensque libertati Comitiorum, adeo postea Clericis & Bonifacio ipsi displicuit, ut alio congregato Concilio decretum pœnitendum abrogaret, ignique traderet. (1) Alibi etiam, quam in legitima Pontificis electione animum habuit. Namque approbato Concilio Arausicano II. (2) finem imposuit certamini Semipelagianorum, quod Gallias distraxerat per annos centum; *& ad assequendam perfectiorem divinæ gratiæ intelligentiam*, præ ceteris beatæ recordationis Augustinum Episcopum *tamquam magistrum optimum proposuit laudavitque*. (3) Diem obiit anno 531. XVII. Kal. Novembr. *anno Pontificatus uno* vix completo. Bar. an. 531. S. 2. & seqq. Pag. S. 4.

LVIII.

(1) Vides, ne Pontifici quidem, nedum Episcopis licere designare successorem suum. Sunt tamen, ut legere est apud Vincentium Cardinalem Petram tom. 4. Comment. ad Constitut. Apostol. pag. 119. num. 10. qui putent, id facere posse Pontificem, si *Ecclesiæ necessitas vel evidens utilitas* postulet. Cum autem hæc eligendi ratio periculo non careat, plerique concludunt, eam ne ab Romanis quidem Pontificibus esse usurpandam. Vide annotat. 3. ad S. Hilarum.

(2) Vide Appendicem Operum S. Prosperi Aquitani pag. 352. & 759.

(3) Norisius lib. 2. Hist. Pelag. cap. 23.

LVIII.

JOANNES II.

ANNO CHRISTI 532.

JUSTINIANI *6.* ATHALARICI 7.

JOANNES II. cui *Mercurio* cognomen, Projecti filius, Romanus, anno 532. die postrema Decembris Pontificatum accepit. Pugnavit adversus Simoniæ vitium, quod grassabatur non modo in electione Episcoporum, sed etiam Pontificum. Petivit enim ab Athalarico Italiæ Rege, impetravitque, *ut adversus ejusmodi Simoniacos, quos non compescerent sacri Canones, Regia ageret potestate, pœnisque sæculi eosdem comprimeret, quos nec Dei timor, neque Ecclesiastica censura corrigeret.* (1) Vocem: *Unus de Trinitate crucifixus est carne*, quam Monachi Scythæ acriter tuebantur, & summus Pontifex Hormisda rejecerat, tamquam novam & ambiguam, ut dictum est in ejus vita, ratam ipse sua auctoritate fecit, veluti consentientem rectæ Fidei, & Monachos Acœmetas, (2) qui eam damnabant quasi hæ-

Bar. an. 531. §. 8. Pag. §. 5. Bar. an. 533 § 4. 32.

An. 534. §. 23. Pag. §. 2. 3.

(1) Hæc Baronius, qui ad annum eumdem 533. §. 39. subjungit: *Edictum adversus hujusmodi delinquentes Rex voluit marmoreæ inscribi tabulæ, & ante sancti Petri atrium illam perspicuam cunctis apponi. Ex violentis hisce remediis quam grandis morbus irrepserit, est facile judicare.*

Eumdem Regem Athalaricum imperasse *tria millia solidorum* pro *Apostolici consecratione Pontificis*, & *duo millia* pro *ordinatione aliorum Patriarcharum*, legimus apud Cassiodorum lib. 9. epist. 15. pag. 148. Vide S. Gregorii Magni vitam lib. 1. cap. 7. tom. 4. Operum ejus edit. Monachorum pag. 216.

(2) *Acœmetæ*, Α'κοιμηταὶ Græce, Latine *insomnes*, quod ex instituto, ut refert Nicephorus lib. 15. cap. 23. trifariam

hæreticam, *ab omni Ecclesia Catholica esse jussit alienos, nisi errore damnato doctrinam suam quantocius sequi habita regulari professione significassent*. (3) Anno Bar. an. 535. §. 20. 26. Pag. §. 2.

riam divisi Dei laudibus in Ecclesia celebrandis diu noctuque sine intermissione vacarent.

(3) Epist. 2. ad Justinianum, & 3. ad Senatores apud Labbeum tom. 4. Conc. pag. 1746. 1761. Ex hoc loco aliqui arbitrantur, Joannem approbasse sententiam ab Hormisda damnatam, ideoque Pontificem in dirimendis controversiis Fidei falli posse. Hos confutavit Baronius ad an. 533. §. 26 scribens, *numquam eam sententiam ab ipso Hormisda fuisse rejectam tamquam hæreticam, sed proscriptam ut novam atque suspectam, ne sub ea Eutychianorum fallaciæ occultarentur*.

Norisius vero in Vindiciis Augustinianis cap. 3. §. 2. pag. 924. *Sciendum est, aliquas propositiones æquivocas modo ab Ecclesia rejici, modo approbari. Hoc ostendimus* lib. 2. Hist. Pelagianæ cap. 20. *de illa propositione:* Unus e Trinitate passus est, *quam Hormisda rejecit; at Joannes II. Vigilius ac Synodus V. uti Catholicam definiverunt. Etenim in sensu Eutychianorum damnata fuit, quasi Verbum in natura divina passum diceretur, & licet alii adderent passum* carne, *attamen cum ob affinitatem cum hæresi Eutycheiis suspecta esset, jure S. Hormisda eamdem approbare recusavit*.

Et in Apologia Monachorum Scythiæ cap. 1. pag. 882. *Egregie S. Hilarius lib. 2 de Trinitate ait:* De intelligentia enim hæresis, non de scriptura est; & sensus, non sermo fit crimen. *Quod exemplo comprobans*: Male, *inquit*, intelligitur *Homousion*. Quid ad me bene intelligentem? Male *Homousion* Samosatenus confessus est; sed numquid melius Ariani negaverunt? Octoginta Episcopi olim respuerunt; sed trecenti octodecim nuper receperunt. *Illi enim in Synodo Antiochena vocem* Homousion *in sensu Pauli Samosateni rejecerunt, quam in sensu Catholico Nicæna Synodus consecravit. Latina Ecclesia vocem* hypostasis *diutius aversata est, quam Græci Patres, tamquam Catholici dogmatis contra Sabellium expressivam, invexerant. Nomen* Christiparæ *ante Nestorii hæresim nulla latentis erroris labe suspectum erat, quod tamen in sensu hæretico Synodus V. Canone 6. proscripsit*, tamquam si Christus Deus non esset, *ut ibidem exponitur. Plurimæ autem produci possent propositiones æquivocæ, quæ juxta unum sensum damnatæ sunt, juxta alterum vero ab Ecclesia* ap-

no 535. VI. Kal. Junii mortuus, Pontificatum habuit per *biennium & menses quatuor, diesque sex supra viginti*.

LIX.

S. AGAPETUS I.

ANNO CHRISTI 535.

JUSTINIANI 9. THEODATI REG. 2.

Bar. an. 535. §. 28. Pag. §. 3.

Bar. an. 531. §. 3.

AGAPETUS Gordiani Presbyteri filius, *Archidiaconus Romanæ Ecclesiæ*, anno 535. III. Nonas Junii *Papa ordinatur*, *in regulis Ecclesiasticis apprime eruditus*. (1) Inter initia Pontificatus irritum fecit anathema a Bonifacio II. dictum in Dioscorum vitio creatum, ac minime legitimum Pontificem. Quam ob caussam, est in occulto. Rescidit quoque Acta Concilii, in quo idem Bonifacius Vigilium constituerat successorem suum.

An. 536 §. 1. 17. 26. 55. 58. Pag. §. 4. 5. 10.

Anno insequente coactus est a Theodato Gothorum Rege iter suscipere Constantinopolim, acturus apud Justinianum, ut revocaret exercitum, qui Duce Belisario Siciliam occuparat, atque hyeme exacta transportandus erat in Italiam. (2) At *Imperator pro multis fisci expensis ab Italia destinatum exercitum avertere nolens, supplicationes Papæ noluit an-*

approbatæ. Paucas easque insigniores laudabo. Laudat autem postea. Vide Petavium lib. 4. de Incarnatione cap. 6. & 7. tom. 4. Theologic. Dogmatum.

(1) Liberatus in Breviario cap. 21. apud Labbeum tom. 5. Conc. pag. 774.

(2) *Agapetus ejusmodi subire provinciam barbarico coactus imperio, ad expensas in via faciendas regio Arcario opus habuit vasa sacra oppignorare. Operatus est tamen postea Cassiodorus apud Regem, ut eadem redderentur Ecclesiæ Sancti Petri, a qua sublata fuerant*: Baronius ad an. 536. §. 10.

audire. (3) Itaque depulsus spe obtinendæ pacis, in alterius rei curam animum convertit. Anthimum Episcopum Trapezuntinum *latenter Chalcedonense Concilium non suscipientem*, ac proinde occultum hæreticum Eutychianum, qui post obitum Epiphanii Constantinopolitanam Sedem, favore adjutus Theodoræ uxoris Justiniani Imperatoris, occupaverat, & a Sacerdotio, & a piorum societate removit. Mennam virum *Fidei integritate, & sacrarum Scripturarum studio* clarum (4) *pro eo ordinavit Antistitem, consecrans eum manu sua in Basilica Sanctæ Mariæ. His peractis constituens apud Imperatorem Apocrisiarium Ecclesiæ suæ Pelagium Diaconum suum, dum in Italiam reverti disponit, Constantinopoli obiit* X. Kal. Maji anno 536. *mense* Pontificatus *decimo, & die undevicesimo*. (5) Ejus corpus in loculo plumbeo Romam translatum, in Æde S. Petri tumulatum est.

Cap. 20.

Cap. 21. & 22.

K LX.

(3) Ex hoc loco Liberati scriptoris coævi redarguitur Anastasius Bibliothecarius, qui pag. 102. ait, Agapetum *omnia obtinuisse, ex qua caussa directus fuerat*.

(4) Ita Agapetus ipse apud Baronium ad an. 536. §. 30. & apud Labbeum tom. 5. Conc. pag. 47. ubi addit, *a temporibus Petri Apostoli nullum alium umquam Orientalem Ecclesiam suscepisse Episcopum manibus Apostolicæ Sedis ordinatum*.

(5) Petrus de Marca lib. 5. De Concordia Sacerdotii & Imperii cap. 16. §. 5. post recitata hæc eadem Liberati verba subdit: *Quo munere non est illi exercendæ jurisdictionis collata facultas, sed tantum monendi, interpellandi Principis, suggestionis, non actionis, quemadmodum in Juliano Coensi Leo muneris hujus exemplar & imaginem expresserat*. Vide Leonis Magni vitam.

Apocrisiarii munus obtinuit *præcipue post Justiniani tempora*, ut ait idem Marca §. 1. qui §. 2. subjicit, *Legatos hujus generis* Apocrisiarios & Responsales *dictos esse ab illius sæculi Scriptoribus, quod responsa seu mandata eorum exsequerentur, a quibus missi erant*. Ἀπόκρισις enim *responsio* est.

LX.

S. SILVERIUS.

ANNO CHRISTI 536.

JUSTINIANI 10. THEODATI 3.

DE *Agapeti decessu audiens Romana Civitas Silverium Subdiaconum, Hormisdæ quondam Papæ*
Bar. an. 536. §. 120. *filium* (1) *elegit ordinandum* (2) anno 536. mense
Pag. §. 16 Junio. Interim Vigilius Agapeti Diaconus, qui
Bar. an. 538. §. 5. 6. 7. 8. Constantinopoli adhuc morabatur, abreptus cupi-
Pag. §. 6. ditate Pontificatus, qua usque a Bonifacio II. flagrabat, (3) promittit Theodoræ Augustæ Eutychianæ feminæ, se abrogaturum Concilium Chalcedonense, & Anthimum, Severum, aliosque Acephalos restituturum communioni Ecclesiæ, si opera ejus constitueretur Episcopus Romanorum. (4) Theodora, ut sibi & Vigilio indulgeret, mandata de

(1) *Ex legitimo matrimonio ante susceptum; alias enim ad tantæ dignitatis gradum prorsus fuisset inhabilis*: Baronius ad an. 536 §. 123.

(2) Liberatus in Breviario cap. 22.

Anastasius pag. 102. scribit, Silverium *natione Campanum* creatum Pontificem opera Theodati Regis Gothorum ab eo corrupti pecunia. At Liberatus, qui, ut ait Baronius ad an. 536. §. 123 *his temporibus vixit, & Breviarium Historiæ suæ scribebat*, nullam facit mentionem de vi Clero illata a Theodato, nec de pecunia eidem Theodato data ab Silverio. *Quod quidem crimen* (adjicit Baronius) *neque verisimile fit, dum illud ipsum Silverius Vigilio Sedis suæ invasori in libello sententiæ, quem de ipsius damnatione conscripsit, potenter objiciat: quod haud puto adeo libere facere potuisse, si ejusdem ipse reus exstitisset.*

(3) Hic nempe est Vigilius ille, cui Bonifacii II. adhuc superstitis se successorem creari obtinuit.

(4) *Illi, qui licet recedentes in quibusdam ab ipsius Eutychis*

de ea re Belisario dedit. Vigilius Romam reversus, Silverium Pontificem creatum reperit. Non propterea modum posuit ambitioni effrænatæ; sed Belisarium Ravennam convenit, traditisque ei mandatis Theodoræ, pecuniaque promissa, traduxit in assensum consilii sui. Belisarius ut imperata faceret, ac Vigilio faveret, Romam profectus, Silverium vocavit in crimen proditionis, perinde quasi per litteras egisset cum Vitige Theodati successore de Urbe tradenda Gothis. (5) Eumdem postea tentavit, ut damnaret Concilium Chalcedonense, & Acephalos reciperet in Fidelium societatem. Id facere recusantem in exilium misit Pataram Lyciæ, eique Vigilium substituit. Mox Patarensis Episcopus veniens *ad Imperatorem, judicium Dei contestatus est de tanta Sedis Episcopi expulsione, multos esse dicens in hoc mundo Reges, & non esse unum, sicut ille Papa est super Ecclesiam mundi totius, a sua Sede expulsus. Quem audiens Imperator, revocari Romam Silverium* Liberatus cap. 22.

chis auctoris & capitis sui sententia, sequi tamen dedignantur Ecclesiæ Catholicæ doctrinam, cujus caput est Christus in duabus naturis, id est in divinitate atque humanitate perfectus, tamquam sine capite remanentes, Acephali *vocantur a Græcis, quos significantius nos* Semieutychianos *possumus appellare:* Facundus Hermianensis lib. 1. Pro defensione trium Capitulorum cap. 5. apud Sirmondum Operum tom. 2. pag. 316. edit. Venetæ.

Alii alias afferunt hujus nominis caussas; ut Leontius de Sectis actione 5. Liberatus cap. 9. Ado Viennensis in Chronico, Nicephorus lib. 18. cap. 45. *Ceterum constat*, ut ad recitatum Facundi locum notat Sirmondus, *Acephalos tandem, quæcumque sit origo, universe appellatos Monophysitas omnes, qui unam in Christo naturam statuebant, & Synodum Chalcedonensem oppugnabant, licet inter se alii aliis erroribus discreparent*. Vide Baronium ad an. 433. §. 21.

(5) Roma capta est a Belisario duce Justiniani Imperatoris anno 537. & Romanis Imperatoribus restituta, cum *annos sexaginta* Odoacri Herulorum, Theodorico ejusque successoribus regibus Gothorum paruisset. Euagrius l. 4. c. 18. tom. 11. Bibl. Patrum pag. 1000.

jussit, & de litteris illis judicium fieri, ut si pr
tur, ab ipso fuisse scriptas, in quacumque civitate
scopus degeret, si autem falsæ fuissent probatæ, re
retur Sedi suæ. Hinc Vigilius conscientia ictus
rens, ne Pontificatus Silverio adjudicaretur,
sibi a Belisario traditum in insulam Palmar
Bar. an. vel Pontiam Palmariæ vicinam, deducendum
540. §. 2. vit, ubi aut inedia consumtus, aut telo confe
Pag. §. 2. anno 540. XII. Kal. Jul. *quinto Pontificatus ann*
choato, a miserrima ad felicissimam vitam m
vit. (6)

LX

(6) Liberatus cap. 22. mortem Silverii tribuit Vig
eumque inedia necatum refert: *Vigilius, ne Sede pelle*
Belisario mandavit: Trade mihi Silverium, alioqui non f
facere, quod a me exigis. Ita Silverius traditus est duobu
gilii defensoribus & servis ejus. Qui in Palmariam in
adductus sub eorum custodia defecit inedia. Procopius
riensis in Historia Arcana pag. 4. Silverii interfectore
cit Eugenium famulum Antoninæ uxoris Belisarii. Ita
scribit de Antonina: *Fuit illi minister sceleris quidam e*
mulis Eugenius nomine, qui & commissi contra Silverium
culi satelles fuerat. Nicolaus Alemannus in suis ad I
riam illam annotationibus pag. 4. observat, *Silverium*
inedia, sed ferro, aut alia sanguinarii hominis arte confec
& probat ex eo, quod Procopius hujusmodi facinu
pressit his verbis, ἐργάζεσθαι μίασμα, *piaculum pa*
qua phrasi semper uti solet ad significandam necem
illatam vi. Postea subjicit in hunc modum: '*Illa de I*
Liberatus narravit animo in eumdem non ita benevolo.
Africani ob confirmatam a Vigilio Quintam Constantinop
nam Synodum de Tribus Capitulis, non solum scriptis eum
cessiverunt, ut Facundus Hermianensis; sed & epistolam
ejus nomine ab hæreticis confictam ipsi vulgarunt, & a
steros transmiserunt, nempe Liberatus in Breviario, & I
Tununensis in Chronico: ac denique anathemate impetere
sunt. Postremo Liberatus de nece Silverii scripsit, quæ ab
acceperat: Procopius vero horum testis fuit oculatus, Romæ
degens, & apud Antoninam tanti sceleris artificem.

LXI.

VIGILIUS.

ANNO CHRISTI 540.

JUSTINIANI 14. VITIGIS REGIS 4.

VIGILIUM Joannis filium, Romanum ju-
stum ac legitimum Pontificem anno 540. fe-
cit Clerus consensu suo, partim Belisarii potentia Bar. an. 540. §. 7.
motus, partim studio pacis ductus. (1) Ille mu- 9. 11. Pag. §. 4. 5.
tata subito voluntate, ut adimeret Theodoræ o-
mnem spem obtinendi id, quod ei fuerat pollici-
tus, latum ab Agapeto in Anthimum aliosque A-
cephalos anathema redintegravit. (2) Emisso et-
iam ab Justiniano contra *Tria Capitula* edicto re-
stitit, ratus illis damnatis auctoritatem Concilii Bar. an.
Chalcedonensis labefactari. (3) Re hac, & blan- 546. §. 54. Pag. §. 6. 7.

K 3 di-

(1) Baronius ad an. 540. §. 4. 7. & 8. arbitratur, Vigilium post mortem Silverii abdicasse se Pontificatu usurpato malis artibus, eumdemque postea ab Clero Pontificem electum. Pagius ad an. eumd. §. 5. *Gratis asseritur, aliquam abdicationem intervenisse, & sine ullo alicujus auctoris testimonio.*

(2) Baronius ad an. 540. §. 9. *Fuit ista plane mutatio dexteræ Excelsi, & insigne miraculum, quo perspicuum factum est, Dei providentia Romanam Ecclesiam solicitius gubernari, ut in quovis periculo constituta, sit penitus liberanda, & mirifica quadam transformatione, quos iniquos accepit, soleat mox reddere sanctos, ut iidem inhærentes sacræ Petræ, super quam Christus suam fundavit Ecclesiam, ejusdem quoque consequantur robur & firmitatem.*

(3) Concilium Constantinopolitanum II. Oecum. V. apud Labbeum tom. 5. Conc. pag. 568. *Prædicta tria Capitula anathematizamus, id est Theodorum impium Mopsuestenum cum nefandis ejus conscriptis, & quæ impie Theodoretus conscripsit, & impiam epistolam, quæ dicitur Ibæ, & defensores*

eo-

ditiis Theodoræ uxoris, de restitutione Anthimi in Sedem Constantinopolitanam solicitæ, impulsus Justinianus Vigilium accivit Constantinopolim. Eo cum venisset, perhonorifice susceptus est. Interpellatus a Theodora de promissa sibi Anthimi restitutione, in proposito perseverans ei constanter obstitit, & anathema inflixit. (4) Theodora e vivis sub-

Bar. an. 547. §. 26. 40. 49. Pag. §. 4. 5 9.

eorum. De tribus hisce Capitulis orta est controversia, quæ studiis in magnum certamen exarsit, & annos amplius centum turbavit Ecclesiæ pacem. Hujus controversiæ originem ex Liberato cap 23. & Euagrio lib 4. cap. 38. ita persequitur Petavius tom. 4. Theologic. Dogmat. lib. 1. cap. 18. pag. 87. *Cum Pelagius Romanæ Ecclesiæ Diaconus ab Agapeto Constantinopoli relictus esset, ut Apocrisiarii munere fungeretur, ad eum Palæstinæ quidam Monachi ex Cœnobio S. Theodosii & Sabæ venerunt, rogantes, ut qua valebat apud Justinianum Imperatorem auctoritate, damnationem ab eo impetraret Origenis. Quod ab eo facile obtinuerunt. Nam & alioqui Theodoro erat infensus Pelagius Cæsareæ in Cappadocia Episcopo, Origenis studioso, qui Acephalorum dogmata clam fovebat: atque apud Imperatorem, ejusque conjugem Theodoram omnia poterat. Pelagio itaque, ac Menna Constantinopolitano Episcopo adnitentibus, Justinianus Edictum adversus Origenem fecit, quo selecta quædam illius ex scriptis capita damnavit. Hanc Origenis damnationem ægre ferens Theodorus Cæsareensis, vafrum illud excogitavit, ut Imperatorem adduceret ad tria quædam damnanda, quæ in Concilio Chalcedonensi approbata videbantur. Primum Theodori Mopsuesteni scripta, qui Origenem acerrime omnium impugnarat. Erant enim ab illo multa impie & heretice passim edita, de quibus supra capite undecimo fuse diximus. Tum Ibæ Edesseni Epistolam ad Marim Persam, qua & Cyrillum, ejusque contra Nestorium scripta reprehendebat, & Theodorum Mopsuestenum magnis laudibus ornabat; ac decessorem suum Rabbullam Edessenum suggillabat, quod eidem Theodoro publice anathema dixisset. De quo tamen Synodus Chalcedonensis pronunciavit, ipsum Catholicum videri, eumque ab Dioscoro, & latrocinali apud Ephesum conventiculo depositum, in integrum restituit, atque inter Episcopos assidere jussit. Tertio Theodoreti adversus Cyrillum commentarios, quibus Anathematismos illius confutarat.* Pluribus controversiam totam explicat Norisius dissertat. De Synodo V. cap. 3. & seqq.

(4) S. Gregorius lib. 2. ep. 51. alias 36. *Recordandæ me-*

mo-

sublata, magis magisque Pontificem pressit Imperator, ut ab eo exprimeret damnationem *Trium Capitulorum*, mirisque eum modis vexavit. (5) Propter quod ille conventum habuit septuaginta Episcoporum, in quo multa contra *Tria Capitula* proque *Tribus Capitulis* dicta sunt. Cum cognovisset, ea posse damnari sine ullo Chalcedonensis Concilii detrimento, damnavit misso ad Mennam Antistitem Constantinopolitanum decreto, quod appellavit *Judicatum*, (6) *solicite monendo, ne per occasionem aliquam supradicta Synodus pateretur injuriam*. (7) Hinc in spe fuit, se utrique parti satisfecisse, Græcis, quod damnasset *Tria Capitula*, Latinis, quod id fecisset, quoad videretur salvo Chalcedonensi Concilio fieri posse. Sed contra quam crediderat, evenit. Nam Occidentem totum in se concitavit, tamquam Concilii Chalcedonensis violatorem, prorsus ut ab *Africanis Antistitibus synodaliter recluderetur a Catholica communione*. (8) Sedandi tumultus caus-

Petavius t. 4. Theologic. dogmat. pag. 11.

moriæ Vigilius in Urbe Regia constitutus, contra Theodoram tunc Augustam, vel Acephalos damnationis promulgavit sententiam. Tunc Romana Urbs ab hostibus (Gothis Totila Rege, anno 546.) *adita & captivata est*. Totilam ejusque successorem Tejam subegit Narses, in Italiam missus ab Justiniano, atque ita finem anno 552. imposuit Regno Gothorum in Italia, *quod ultra annos 60. prorogatum non est, cum cœperis anno 493. quo Odoacer periit*, ut ait Pagius ad an. 552. §. 10.

(5) Id testantur Italiæ Clerici in epistola ad Legatos Francorum proficiscentes Constantinopolim, apud Labbeum tom. 5. Conc. pag. 407.

(6) Italiæ Clerici in memorata epistola *Constitutum* appellant: Vigilius ipse in epistola ad Rusticum & Sebastianum apud Labbeum tom. 5. Conc. pag. 550. modo *Judicatum*, modo *Constitutum* vocat.

(7) In citata epistola Legatis Francorum, qui Constantinopolim proficiscebantur, ab Italiæ Clericis directa, apud Labbeum tom. 5. Concil. pag. 407.

(8) Victor Tununensis in Chronico pag. 330. tom. 1. Antiquarum Lectionum Henrici Canisii.

sa *Judicatum* abrogavit, *denuntians, quia si quis Græcorum Episcoporum usque ad universalis Concilii tractatum de istis Capitulis aliquid fecisset, aut facientibus acquievisset, a communione Sedis Apostolicæ alienus existeret.* (9) Tum excanduit Justinianus, & edictum aliud contra *Tria Capitula*, instigante Theodoro Cæsariensi, emisit. Id ægre ferens Vigilius, accitos ad se in Placidianam domum Græcos pariter, ac Latinos Episcopos admonuit, eum fore *ab Apostolicæ Sedis communione suspensum, quicumque edictis* Imperatoris *consensum præberet*. (10) Tum Cæsar ira longius provehente jussit, Pontificem in custodiam tradi; quod ille præsentiens, in Ecclesiam S. Petri se recepit. Accepto per Cæsaris legatos sacramento, se in ædibus Placidianis tuto futurum, eo rediit. Interjectis diebus cognito, quod præter datam fidem insidiæ sibi pararentur, salutem quæsivit discessu subito. Silentio noctis Chalcedonem transfretavit, & Ecclesiam S. Euphemiæ, quo tutior esset, domicilio delegit. Legati, qui illum Constantinopolim revocarent, statim, sed frustra ab Justiniano missi. Tanta Vigilii constantia victus Cæsar edictum sustulit, & Pontifex Constantinopolim remigravit, & ad controversiam expediendam generali Concilio disceptatore utendum esse, uterque consensit, ea lege, ut par esset Orientalium & Occidentalium numerus, ut disceptaretur ex æquo. At in eo, quod convenerat, haud mansit Justinianus. Nam Græcis tumultuantibus, & pactam Concilii conditionem respuentibus morem gessit, illudque, haud expectato Latinorum adventu, III. Nonas Majas Constantinopolim indixit. Concilio non solum interesse Vigilius recusavit, sed etiam edito, dum illud haberetur, *Constituto*, ne-

Bar. an. 551. S. 2. 15. Pag. S. 2. 14.

Bar. an. 552. S. 8. 11. 15. Pag. S. 2.

An. 553. S. 14. 20. 25. 27. 35. 47. Pag. S. 8. 9.

Lab. tom. 5. Conc. pag. 340.

(9) In memorata epistola Legatis Francorum ab Italiæ Clericis directa, apud Labbeum tom. 5. Conc. pag. 408.

(10) In eadem epistola apud eumdem Labbeum pag. 408.

negavit *Tria Capitula* posse damnari. Damnata sunt nihilominus a Concilio: cujus sententiam ratam habere abnuens, in exilium missus est, nec ante revocatus, quam *Tribus Capitulis* damnatis Concilium confirmavit auctoritate sua. (11) Ita finem

Bar. an. 554 §. 1. 7. 12. Pag. §. 2. 3. 4. 5.

(11) Est Concilium Oecumenicum V. Constantinopolitanum II. ab Justiniano, Vigilio consentiente, anno 553. convocatum. Convocationis caussam præbuere non solum *Tria Capitula*, sed etiam errores Origenis, qui tunc instaurabantur. Interfuere Episcopi centum & sexaginta quinque. In his tres Patriarchæ, Eutychius Constantinopolitanus, Apollinaris Alexandrinus, & Domnus Antiochenus. Eustochius Hierosolymitanus adfuit per legatos. Præfuit Eutychius Constantinopolitanus permissu Vigilii, qui semel atque iterum invitatus rogatusque, ut præsideret, recusavit, caussatus Occidentalium Episcoporum paucitatem, cum frequentes ex Orientalibus Ecclesiis convenissent: siquidem pactum fuerat, ut Concilium totidem Latinis atque Græcis Episcopis constaret. Octo numerantur Confessiones seu Collationes. Posito, probatoque, licere etiam mortuis anathema infligere, Origenes primum ejusque errores, ut est in Annalibus Baronii ad an. 553. §. 242. deinde *tria Capitula* condemnata sunt. S. Gregorius lib. 1. extrema epistola 25. alias 24. *Quintum quoque Concilium pariter veneror, in quo Epistola, quæ Ibæ dicitur, erroris plena reprobatur. Theodorus personam Mediatoris Dei & hominum in duabus subsistentiis separans, ad impietatis perfidiam cecidisse convincitur. Scripta quoque Theodoreti, per quæ beati Cyrilli fides reprehenditur, ausu dementiæ prolata refutantur*. Nec ulla inde irrogata Concilio Chalcedonensi injuria. *Tria* enim *Capitula* in eo nec approbata nec reprobata sunt, deque iis actum est duntaxat *post terminum Synodi*, ut ait S. Gregorius lib 3. epist. 10. hoc est post actionem sextam, ideoque in Appendice Concilii Chalcedonensis, non in vero ac legitimo Chalcedonensi Concilio, quod absolutum est actione sexta, ut a Norisio in dissertat. De Synodo quinta cap. 11. demonstratur, & indicatum est supra annotat. 4. ad S. Leonem Magnum. Quod item ex eo colligi licet, quod Oecumenicam V. Synodum confirmarunt etiam Vigilii successores Pelagius I. Joannes III. Benedictus I. Pelagius II. & Gregorius Magnus, ut est apud Petrum de Marca in dissertat. De Vigilii decreto pro confirmatione quintæ

Concil. Oecum. V.

nem fecit quæstioni, in qua modo hanc, modo illam partem amplexus diu animo fluctuaverat. (12) Romam postea ab Justiniano dimissus, cum in

tæ Synodi, Norisium dissertat. cit. cap. 9. Nat. Alexandrum in Hist. Eccl. sæc. VI. dissertat. 3. art. 3. Afri & Illyrici Episcopi secuti auctoritatem Pelagii I. ab obstinata *Trium Capitulorum* defensione cessarunt. Soli Istriæ, Venetiæ, & Liguriæ Episcopi negantes, illa citra Synodi Chalcedonensis injuriam posse damnari, in pertinacia manserunt, facto schismate, quod usque ad Sergium I. amplius annos centum duravit. Baronius ad an. 556. §. 16.

(12) Pelagius II. in epist. ad Episcopos Istriæ, apud Labbeum tom. 5. Conc. pag. 622. *Si in Trium Capitulorum negotio aliud, cum veritas quæreretur, aliud autem, inventa veritate, dictum est, cur mutatio sententiæ huic Sedi in crimine objicitur, quæ a cuncta Ecclesia humiliter in ejus auctore veneratur? Non enim mutatio sententiæ, sed inconstantia sensus in culpa est. Quando ergo ad cognitionem recti intentio incommutabilis permanet, quid obstat, si ignorantiam suam deferens verba permutet?*

Sententiam autem mutare Vigilio licuit, cum in *Trium Capitulorum* controversia non disceptaretur de Fide, sed de personis tantum. Pelagius I. epist. 10. apud Labbeum tom. 5. Conc. pag. 798. *Quamvis a transitu divæ memoriæ Theodoræ Augustæ nullas de Fide quæstiones Ecclesia Dei in partibus Orientis, Deo miserante, formides, sed quædam Capitula extra Fidem fuerint agitata.* S. Gregorius lib. 2. epist. 51. alias 36. *In Synodo, in qua de Tribus Capitulis actum est, aperte liquet, nihil de Fide convulsum esse, vel aliquatenus immutatum, sed sicut scitis, de quibusdam ibi solummodo personis est actitatum.* Et lib. 4. epist. 39. alias 37. *In ea* (Synodo) *de personis tantummodo, non autem de Fide aliquid gestum est, & de his personis, de quibus in Chalcedonensi Concilio nihil continetur, sed post expressos canones facta contentio, & extrema actio de personis ventilata est.* Petrus de Marca in dissertat. De Vigilii decreto pro confirmatione quintæ Synodi §. 5. *Quin etiam Vigilius in epistola, quam edimus, disertissime annotavit, in hac controversia non disputatum fuisse de Fide, sed de personis. Unde patet, liberam fuisse aliter atque aliter in hoc negotio censendi facultatem, sine ulla Christianæ religionis injuria: ideoque Vigilium, qui suam aliquoties mutavit sententiam, de sola levitatis vel metus suspicione periclitari. A qua suspicione tamen abesse tantum de-*

in Siciliam perveniſſet, calculorum valetudine interiit anno Chriſti 555. & *ſexto decimo*, quam pro legitimo Pontifice habitus fuerat. Ejus corpus ſui Romam retulerunt. Bar. an. 555. §. 1. Pag. §. 7.

LXII.

debet, ut potius ſingularis prudentiæ laudem ex iis, quæ in hac cauſſa geſſit, conſequi poſſe videatur.

Qui rerum Eccleſiaſticarum ſunt periti, non ignorant, duobus modis olim verſari ſolitos fuiſſe ſummos Pontifices in quæſtionibus propoſitis, quæ diſciplinam reſpiciebant, vel ſummo jure, vel remiſſo. Huic temperamento & canonum remiſſioni locus erat, quando ob bonum unitatis, & pro reſarcienda Eccleſiæ pace neceſſarium videbatur ea clementia uti. Eam clementiam Græci οἰκονομίαν vocant, Latini eorum exemplo diſpenſationem, *ut alibi oſtendi* (lib. 3. de Concordia Sacerdotii & Imperii cap. 13.) *adductis veterum Patrum & Conciliorum teſtimoniis. Utroque agendi modo uſus eſt in hac controverſia Vigilius, nunc juris & canonum vigore, nunc eorum remiſſione, Fidei & pacis Eccleſiæ ſtudioſiſſimum ſe præbens. Obſervatum quidem eſt ab eruditis, Vigilii quæ videbatur, inconſtantiam prudentiæ & maturo conſilio eſſe tribuendam: ſed non docuerunt, eum agendi modum a canonica diſciplina pependiſſe.*

Epiſtola vero, *in qua* Vigilius, referente Liberato cap. 22. Breviarii, dicitur *duas in Chriſto damnaſſe naturas, reſolvens tomum Papæ Leonis*, vel ſuppoſititia eſt, ut docet Baronius ad an. 538. §. 15. vel ſcripta eſt ab eo, cum, Silverio adhuc ſuperſtite, nondum erat Pontifex legitimus. Ex quo enim cœpit eſſe verus Pontifex, *nullus*, ut ait Bellarminus lib. 4. de Rom. Pont. cap. 10. *inventus eſt in eo aut error, aut erroris ſimulatio, ſed ſumma conſtantia in Fide uſque ad mortem, ut appareat cum ipſo Pontificatu firmitatem Fidei eum accepiſſe, & de levi palea in ſolidiſſimam Petram commutatum fuiſſe. Quis enim*, ut verbis utar Ennodii in Apologetico pro IV. Synodo, apud Labbeum tom. 4. Conc. pag. 1343. *ſanctum eſſe dubitet, quem apex tantæ dignitatis attollit, in quo ſi deſint bona acquiſita per meritum, ſufficiunt, quæ a loci deceſſore præſtantur? aut enim claros ad hac faſtigia erigit, aut qui eriguntur, illuſtrat.*

LXII.

PELAGIUS I.

ANNO CHRISTI 555.

JUSTINIANI IMPERATORIS 29.

Bar. an. 556. §. 116. An. 555. §. 10. 11. Pag. §. 7. 9. 10.

PELAGIUS Joannis Vicariani filius, Romanæ Ecclesiæ Diaconus, & Agapeti, Silverii, ac demum Vigilii Constantinopoli apud Cæsarem *Apocrisiarius*, anno 555. III. Idus April. assentiente Justiniano, Pontificatum obtinuit. (1) Quod *Tria Capitula* damnasset, ita omnibus invisus extitit, ut tertius Italia tota reperiri Episcopus non potuerit, a quo consecraretur: *illum enim, uti Chalcedonensis Synodi prævaricatorem, detestabantur*. (2) Itaque

(1) Justinianus, cum Gothis Italia exactis quartum jam annum Roma potiretur, jus confirmandæ electionis Romani Pontificis, quod illi sibi usurpaverant, traduxit ad se. Quod etiam ejus successores usque ad Constantinum *Pogonatum* mordicus tenuerunt. Cogebant ii Pontificem recens electum certam pecuniæ vim, teste Anastasio in vita Agathonis pag. 140. sibi solvere pro electionis confirmatione, sine qua vetabatur obire munus suum. Ob id post mortem Vigilii trimestre fuit interregnum, & post mortem aliorum Pontificum multo etiam diuturnius. Fuit hic tertius Pontificis eligendi modus, quem fusius explicat Mabillonius Comment. in Ordinem Romanum cap. 17. pag. 112. ubi etiam observat, curam Romanæ Ecclesiæ tempore interregni committi solitam *tribus præcipuis Cleri ministris, scilicet Archipresbytero, Archidiacono, & Primicerio Notariorum*. Vide annotat. 1. ad Joannem IV. & annotat. 2. ad S. Agathonem.

(2) Norisius in Historica dissertat. de Synodo V. cap. 9. §. 1. pag. 677. ubi addit, Anastasium falso dixisse, *populum Romanum inde Pelagio infensum, quod auctor publicaretur malorum, quæ Vigilius Constantinopoli perpessus fuerat. Nam Pela-*

que novo exemplo ab Episcopis Perusino & Ferentino atque Andrea Ostiensi Presbytero consecrationem accepit. (3) Quintum Oecumenicum Concilium confirmavit, adeoque intentus fuit in curam sedandi tumultus, quem propter *Tria Capitula* in eo Concilio damnata excitaverant Antistites Occidentis, ut non Africanos modo & Illyricos Episcopos, sed Italos etiam paucis exceptis ad damnationem *Trium Capitulorum* impulerit. Hinc in suspicionem hæreseos Gallis venit: quam purgavit missa ad Childebertum Regem Catholicæ Fidei professione, damnatisque anathemate, qui deflecterent ab doctrina Epistolæ S. Leonis, & Concilii Chalcedonensis. Mortuus est VI. Nonas Martii, anno 560. Pontificatum tenuit *annos quatuor, menses decem, & dies duodeviginti*.

Ep. 5. ad Narsem.

Bar. an. 556. §. 16. Pag. §. 7. 12.

Bar. an. 559. §. 7. Pag. §. 2. Epist. 16.

LXIII.

lagius cum Vigilio, & pro Vigilio stetit, Synodi Quintæ congressus fugit, ac subscripsit Constitutum *Vigilii, quo Synodus V. cassabatur, indeque in exilium expulsus fuit, &* Tria Capitula, *ut ait Tunnunensis, tempore Synodi* constantissime defendebat. *Sed audiatur idem Pelagius epist. 12. ad Childebertum Regem*: Ut autem nos diu tribulationes Constantinopoli pateremur, illa res fecit, quam breviter supra tetigimus &c. *Non ergo Vigilii persecutionum auctor publicari poterat, sed socius. Quare coram populo in ambone, nihil ab se contra Vigilium tentatum, jurejurando haud affirmavit, sed quod nihil contra Synodi Chalcedonensis fidem in* Trium Capitulorum *damnatione ab se statutum fuisset.*

(3) Norunt Eruditi, nomine Presbyteri sæpe a veteribus significari Archipresbyterum, sicut Diaconi nomine Archidiaconum.

LXIII.

JOANNES III.

ANNO CHRISTI 560.

JUSTINIANI IMPERATORIS 33.

JOANNES III. *qui alio nomine* Catellinus *dicebatur*, (1) Anastasii filius, Romanus anno 560. XV. Kal. Augusti Pontifex factus est. Is ap-
Bar. an. 559. §. 17. Pag. §. 1. Bar. an. 570. §. 23. pellationem Sagittarii Ebrodunensis, & Salonii Vappincensis Episcopi, a Concilio Lugdunensi II. depulsi Episcopatu, suscepit, & utrumque restituit in dignitatem pristinam. Acerrimus fuit Synodi quintæ defensor, eamque ratam fecit auctoritate sua. Anno Pontificatus ejus nono, Christi
An. 568. §. 2. Pag. §. 2. 568. novum in Italia Regnum Langobardi condiderunt. (2) Alboinus enim Langobardorum Rex primus *invasit omnia usque ad Tusciam, præter Romam & Ravennam*, (3) Regnique Sedem Ticini col-

(1) Euagrius l. 5. c. 16. tom. 11. Bibl. Patrum pag. 1011.

(2) Paulus Diaconus De Gestis Langobardorum lib. 1. cap. 9. *Certum est, Langobardos ab intactæ ferro barbæ longitudine, cum primitus Winili dicti fuerint, ita postmodum appellatos. Nam juxta eorum linguam* lang *longam*, Baert *barbam significat*. Consentit Otto Frisingensis lib. 2. de Gestis Friderici I. Imp. cap. 13. & Gunterus lib. 2. Alii dicunt secus. Vide annotationem 2. ad cap. 2. lib. 1. Chron. Casin. tom. 4. Script. rerum Italicarum pag. 251.

(3) Idem Paulus Diaconus De gestis Langobard. l. 2. c. 26. Orientis Imperatores Romam exinde per Duces, Ravennam per Exarchos regere consueverunt. Exarchorum primus Longinus anno 568. ab Justino II. missus est post Narsetem evocatum Constantinopolim. Decimus sextus atque postremus fuit Eutychius ab Aistulpho Langobardorum Rege, Ravenna capta anno 752. expulsus, cum penes Constantinum Copronymum esset Orientis Imperium. Annos

collocavit. Pontifex anno 573. III. Idus Julii obiit, cum *annos duodecim, menses undecim, dies sex & viginti* Christianæ Reipublicæ præfuisset. Bar. an. 572. §. 1. Pag. §. 2.

LXIV.

BENEDICTUS I.

ANNO CHRISTI 574.

JUSTINI II. IMPERATORIS 9.

BENEDICTUS Bonifacii filius, Romanus, qui ab Euagrio lib. 5. cap. 16. *Bonosus* appellatur, anno 574. III. Nonas Junii in locum Joannis III. lectus inauguratusque est. Interregni tam diuturni caussa fuere Langobardi totam Italiam perturbantes. Benedictum insistentem decessorum vestigiis comprobasse Synodum Oecumenicam V. docet Norisius in Historica dissertat. de eadem Synodo cap. 9. §. 3. Alia ejus gesta ad posteros non pervenere. Anno 578. ante diem tertium Kal. Augusti decessit, & *annos quatuor, mensem unum & dies duodeviginti* Pontifex fuit. Bar. an. 573. §. 1. Pag. §. 2. Bar. an. 577. §. 1. Pag. §. 2.

LXV.

nos igitur 184. duravit Ravennæ Exarchatus, cujus fines ita describit Platina in Vita Stephani II. pag 88. *Redditus itaque Romani Exarchatus quidquid Padum & Apenninum interjacet a Placentinis usque ad stagna Venetorum, & quidquid intra Isaurum flumen, Apenninum, & Adriaticum continetur*. Vide Petrum de Marca l. 3. de Concordia Sacerd. & Imp. cap. 10. §. 4. & Joan. Rubeum initio lib. 4. Hist. Ravenn.

Agilulphus Rex Langobardorum quartus, *debellatis, occisisque illis, quos adversarios passus esset, Regnum sibi stabilivit Italiæ: exceptis enim Roma atque Ravenna cum aliis ad eas spectantibus locis, universa Italia ab Alpinis montibus Rhegium usque Calabriæ illi parebat*: Baronius ad an. 591. §. 41.

LXV.

PELAGIUS II.

ANNO CHRISTI 578.

TIBERII CONSTANTINI IMPERATORIS 1.

PELAGIUS II. Vinigildi filius, Romanus, anno 578. pridie Kal. Decembris Romanæ Ecclesiæ præficitur. *Hic ordinatur absque jussione Principis, eo quod Langobardi obsiderent Civitatem Romanam, & multa vastatio ab eis in Italia fieret.* (1) Permisit Metropolitanam Sedem Aquilejensem transferri Gradum, motus prece & obsecratione humili Eliæ Archiepiscopi, qui significaverat, se Aquilejæ inter hostes Christianæ rei haud tuto degere posse. Et quidem tanto id libentius concessit, quanto magis sperabat se concessione ea conciliaturum Romanæ Ecclesiæ Ducem Schismaticorum. Sed eum frustrata spes est. In ipso enim Gradensi Concilio, quod anno 579. præsente Laurentio Presbytero Pelagii legato, Elias ex duodeviginti subjectis sibi Episcopis congregavit, ad manifestandam impetratam Sedis translationem, in ipso, inquam, Gradensi Concilio idem Elias, quique aderant Schismatici Episcopi, se numquam consensuros Concilio Oecumenico Quinto, *iterum jurarunt, vano eo praetextu, ne Synodus Chalcedonen-*

Bar. an. 577. §. 2. Pag. §. 3.

Pag. an. 579. §. 12.

(1) Anastasius Bibliothecarius in Vita hujus Pontificis pag. 114.

Paulus Diaconus de Gestis Langobardorum l. 3. c. 20. *Pelagius Romanæ Ecclesiæ Pontifex absque jussione Principis ordinatus est, eo quod Langobardi Romam per circuitum obsiderent, nec posset quisquam a Roma progredi.* Unde habes, aliquando contigisse, ut Romani Pontifices sine Imperatoris aut Exarchi consensu inaugurarentur.

nensis læderetur. (2) Obstinate in incepto perseverantes permulcere conatus est tum per legatos, tum per epistolas, quibus probabat, *Tria Capitula* jure fuisse damnata, nec læsam ullo modo Synodi Chalcedonensis auctoritatem. (3) At nihil profecit. Itaque Smaragdum Exarchum rogavit, ut eos coerceret potestate sua, cogeretque ad officium redire. Hinc ad alia Ecclesiæ negotia animum convertit. Siquidem cum cognovisset, *Joannem Constantinopolitanæ Civitatis Antistitem* (cui ex Bar. an. 587. §. 5. 6. 9. An. 588. §. 14.

L

(2) Ita Norisius in dissertat. Hist. De Synodo V. cap. 9. §. 4. pag. 709. & ibid. pag. 705. *Illi Antistites*, inquit, *Aquilejensi Metropolitæ subjecti erant, cujus amplissima erat jurisdictio. Nam a Pannonia secunda usque ad Abduam in Insubria extendebatur. Continebat Rhætiam II. cujus Metropolis Sabio; Noricum, cujus primaria Urbs erat Tiburnia ad Dravum; complectebatur Istriam, Forum-Julium, ac Venetiam, quæ provinciæ uno Istriæ nomine id temporis, ac in Sexta Synodo vulgo appellabantur*. Idem cap. 10. secutus Baronium aliosque dicit, *ex Schismate Aquilejensis Ecclesiæ Patriarchatum emersisse*; adjicit, *amplissimam esse Patriarchæ jurisdictionem. Venetias enim, nempe Marchiam Tarvisinam moderari usque ad Brixiensium confinia, insuper Forum-Julium, Istriam, Noricum Ripense, Noricum Mediterraneum, ac Rhætiam I.* Ad extremum subjungit, Aquilejensem Patriarcham nunc Utini morari.

(3) Pelagii II. Epistolæ tres ad Eliam Aquilejensem & Episcopos Istriæ extant apud Baronium ad an. 586. §. 29. 37. 44. & apud Labbeum tom. 5. Conc. pag. 940. & 615. Tertiam *Librum* appellat S. Gregorius lib. 2. epist. 51. alias 36. eamdemque nomine Pelagii II. scriptam ab eodem S. Gregorio, *cum esset adhuc Diaconus*, prodit Paulus Diaconus lib. 3. de Gestis Langobardorum cap. 20. Verba S. Gregorii hæc sunt: *Ut de* Tribus Capitulis *animis vestris, ablata dubietate, possit satisfactio abundanter infundi, librum, quem ex hac re sanctæ memoriæ decessor meus Pelagius Papa scripserat, vobis utile judicavi transmittere. Quem si, deposito voluntariæ defensionis studio, puro vigilantique corde sæpius volueritis relegere, eum vos per omnia secuturos, & ad unitatem nostram nihilominus reversuros esse confido. Porro autem si post hujus libri lectionem in ea, qua estis, volueritis deliberatione persistere, sine dubio non rationi operam, sed obstinationi vos dare monstratis*. Vide Baronium ad an. 586. §. 27.

ex admirabili ciborum abstinentia cognomentum Jejunator fuit) *contra Deum, contra pacem Ecclesiæ, in omnium despectu & injuria Sacerdotum, modestiæ ac mensuræ suæ terminos excessisse; & illicite in Synodo superbum ac pestiferum* Oecumenici, *hoc est* Universalis *sibi vocabulum usurpasse: omnia gesta ejusdem Synodi, præter illa, quæ illic de caussa venerandæ memoriæ Gregorii Episcopi Antiocheni sunt habita, valida omnino districtione cassavit, districtissima illum increpatione corripiens, ut se a novo & temerario superstitionis nomine cohiberet: adeo ut suum illi Diaconum, nisi tantum nefas emendaret, procedere prohiberet.* (4) Subdiaconis Siciliæ continentiæ legem indixit, prohibens, ne in posterum uxorum suarum notitiam haberent. (5) Omnium Pontificum primus tempora per *Indictiones* in epistolis notavit. Tanta fuit in pauperes præsertim senes liberalitate, ut eos domo sua in Xe-

An. 591. §. 42.

(4) S. Gregorius lib. 9. epist. 68. alias 70. *Procedere* est sacra facienti adesse. Vide Vincentium Cardinalem Petram in Comment. ad Constitutiones Apostolicas tom. 1. pag. 83.

(5) Gregorius Magnus, lib. 1. epist. 44. alias 42. ad Petrum Siciliæ Subdiaconum: *Ante triennium Subdiaconi omnium Ecclesiarum Siciliæ prohibiti fuerant, ut more Romanæ Ecclesiæ nullatenus suis uxoribus miscerentur*. Et lib. 4. epist. 36. alias 34. ad Leonem Episcopum Catanensem: *Ex auctoritate nostri decessoris est isto modo prohibitum, ut eodem tempore hi* (Subdiaconi) *qui jam uxoribus fuerant copulati, unum ex duobus eligerent, id est aut a suis uxoribus abstinerent, aut certe nulla ratione ministrare præsumerent*. A Romana ad alias Occidentis Ecclesias ea consuetudo permanavit, atque inde Subdiaconatus Ordo e minoribus eximi cœpit, & majoribus ac sacris annumerari. *Multum nihilominus*, ut ait Bona lib 1. Rer. Liturgic. cap. 25. §. 16 *tempus intercessit, antequam certa & inviolabili lege inter sacros recensitus sit. Etenim Petrus Cantor, qui vivebat anno* 1200. *relatus a Menardo in lib. Sacram.* pag. 494 *ait:* De novo institutum est, Subdiaconatum esse sacrum Ordinem. *Diffuse agit de Subdiaconorum continentia Lupus part 4. Synodorum, Dissertat. 1. Prooemiali cap. 3.* & Ludovicus Thomassinus De vet. & nova Ecclesiæ disciplina part. 1. l. 2. cap. 3. 61. 62. 63.

Xenodochium conversa exciperet. Regnavit *annos undecim, menses duos, & dies decem*, VI. Idus Februarii anno 590. morbo inguinum, qui per ea tempora passim grassabatur, absumtus. An. 590. S. 2. Pag. S. 2.

LXVI.

S. GREGORIUS I. MAGNUS.

ANNO CHRISTI 590.

MAURICII IMPERATORIS 9.

VENIO nunc ad Gregorium primum, cui *Magno* cognomen facta indiderunt. Patrem habuit Gordianum senatorii generis, matrem Silviam feminam sanctissimam, atavum S. Felicem III. Pontificem Maximum. (1) Monachus fuit, Ordinis ne S. Equitii, an S. Benedicti, incertum diversitas tradentium facit. (2) Anno 590. III. Nonas Se- Bar. an. 581. S. 4. Pag. S. 9. Bar. an. 590. S. 3. 4. Pag. S. 5. 7.

L 2

(1) *Ut Hieronymus S. Damaso, Prosper S. Leoni; ita Gregorius Pelagio juniori in scribendis epistolis adjutor fuit*. Monachi Congregationis S. Mauri in vita S. Gregorii lib. 1. cap. 6.

(2) Mabillonius tum in Præfat. ad sæc. I. Benedict. §. 8. tum Analectorum tom. 2. dissertat. De monastica vita Gregorii illum Ordini suo Benedictino adjudicat. Baronius S. Equitii regulam professum fuisse contendit, ad an. 581. §. 8. Hujus sententiam non solum Henschenius & Papebrochius in Commentario prævio ad vitam S. Gregorii §. 3. apud Bollandum tom. 2. Martii pag. 123. amplectuntur: sed etiam Basnagius ad an. 581. §. 8. qui nullam alioquin Baronio adversandi occasionem amittit, affirmans, Mabillonium *ne vero similibus quidem argumentis* uti ad probandam sententiam suam. Dissentit ab omnibus Thomassinus De vet. & nova Ecclesiæ disciplina Part. 1. l. 3. cap. 24. & nullius peculiaris Ordinis regulæ addictum facit.

Arnoldus Wion in argumento Libri 2. Ligni vitæ: De Pontificum Benedictinorum *numero non parva est inter Histo-*

Septembr. invitissimus Summi Sacerdotii honore au-
ctus

storicos controversia. Quidam namque, qui rectius senserunt, iique potiores, viginti quatuor, aut viginti quinque, vel viginti sex fuisse, recte affirmarunt. Trithemius *noster* De Viris Illustribus Ordinis Benedictini lib. 1. cap. 5. & lib. 4. cap. 20. *octodecim cognoscit, qui tamen & alibi aliquoties viginti quatuor fuisse fatetur.* Petrus a Bugiano, *Pontificibus Ordinum Camaldulensis, Cisterciensis, & Cælestini exclusis, legitimos triginta septem, novem vero Schismaticos cum* Francisco Juannez, Gonsalvo Illescas, *&* Hieronymo Plata, *& aliis* fuisse *contendit. Omnium autem, quos reperire potui, exactissima discussione facta, eorum opinionem sic conciliandam arbitrarer, ut dicamus cum* Trithemio, *Pontifices, Sanctos videlicet, Ordinis* D. Benedicti, *quorum locus professionis constat, fuisse numero octodecim, scilicet.*

S. Gregorius I. Monachus S. Andreæ Romæ.
S. Bonifacius IV. S. Sebastiani Romæ.
S. Adeodatus, S. Erasmi Romæ.
S. Agatho, S. Hermetis Panhormi.
S. Stephanus III. S. Benedicti Casini.
S. Stephanus IV. S. Chrysogoni Romæ.
S. Paschalis I. S. Stephani Romæ.
S. Gregorius IV. Fossæ Novæ, Terracinæ.
S. Leo IV. SS. Silvestri & Martini Romæ.
S. Leo V. de Brandalo.
S. Leo IX. Tullensis.
S. Stephanus X. dictus IX. Casini.
S. Gregorius VII. SS. Petri & Pauli Cluniaci.
S. Victor III. S. Trinitatis Cavæ.
S. Urbanus II. Cluniaci.
S. Paschalis II. S. Laurentii Romæ.
S. Gelasius II. Casini.
S. Urbanus V. Cluniaci.

Nam adjectis aliis, qui inter Sanctos non computantur, plures fuisse, quam octodecim, ex Platina, Panvinio, *aliisque historicis, & ipsomet* Trithemio *constat. Libro enim tertio cap.* 261. Gregorium II. *& in Chron. Hisang.* Leonem IX. *addit, de quibus in quarto libro nullam mentionem egit. Annumerantur & a Platina* Paschalis I. *& a Panvinio* Joannes IX. *quos* Trithemius *prætermisit, qui tamen ab omnibus historicis Monachi fuisse probantur. Adducuntur & ab aliis alii, qui* Trithemium *omnino fugerunt. Quod ipsum diligenter attendens, cum recensuisset Pontifices ab ipso relatos sic in conclusione lib. 4. cap.*

ctus est. (3) Multa fecit egregia, sed hæc maxime illustria. Initio Pontificatus ad omnes Orientis Patriarchas epistolam dedit, cui pro illius ætatis more in- Lib. 1. ep. 25. alias 24.

L 3

cap. 20. *loquitur*: Hos ego Romanos duntaxat Pontifices ex Ordine S. Benedicti certo reor assumtos, quamquam possibile sit, fuisse & alios, quorum professionis titulos Chronographi transissent. *Hæc ille. Connumeratis vero ad præfatos octodecim aliis septem Pontificibus Sanctis, Ordinis quidem* D. Benedicti, *ut affirmant, sed quorum professionis locus ignoratur, utpote*

S. Benedicto I. Monacho — S. Pelagio II
S. Benedicto II — S. Gregorio II
S. Gregorio III — S. Zacharia,
S. Gregorio IV

omnino numerus ille Pontificum Sanctorum viginti quinque insurget, qui ab omnibus fere historicis adducitur. Numerum autem hunc de Pontificibus Sanctis solis, & non aliis debere intelligi, nos veterum monumentorum, illius præsertim, quod in fine Chronici Casinensis reperitur, docet auctoritas. Sic enim habet: Joannes Papa XXII. fecit extrahi Canonizatos de Ordine & Regula Sanctissimi Benedicti ex libris summorum Pontificum, & reperit, quod a tempore dicti Patris usque ad tempus suum fuerunt infrascripti,

Romanæ Sedis Pontifices XXV. &c.

Quibus si adjungantur & Pontifices non Sancti, qui a Bugiano *& nonnullis aliis produntur, fortassis etiam major numerus reperietur, quam qui ab ipsis adducitur.*

Angelus de Nuce dissertat. *De Pontificibus Benedictinis* inserta tomo 4. Scriptor. Rer. Italic. pag. 533. ait, universim eos fuisse complures. Duo præmittit, probatque unum, consuevisse olim Pontificem eligi ex Clero Romano, videlicet usque ad an. 891. quo Formosus Episcopus Portuensis factus est summus Pontifex: alterum, eumdem Clerum magna ex parte fuisse *Benedictinum*: Ex quibus concludit, Pontificem ex Ben. dictinis eligi sæpe contigisse.

Gregorius XV. Constitutione 6. Ex sacro S. Benedicti Ordine *tot ad summi Apostolatus apicem evectos fuisse constat, ut longa & continuata multorum sæculorum serie Ecclesia ipsa nullos alios, quam Familiæ Benedictinæ Alumnos, Summos Pontifices habuerit.* Vide annotat. 2. ad Silvestrum II.

(3) Pontifex ingenti totius Cleri & populi consensu electus per epistolam Marciano Imperatori persuadere conatus est, ne electionem suam ratam haberet. Cum res non successisset, latebras quæsivit. Sed *indicio columnæ fulgidæ*

inseruit Fidei suæ professionem, confirmans se quatuor Concilia Oecumenica Nicænum, Constantinopolitanum, Ephesinum, & Chalcedonense, perinde ac quatuor Euangelii libros, suscipere, & quintum pariter Concilium, in quo damnata sunt *Tria Capitula*, venerari. (4) Quod Concilium, ut ab omnibus reciperetur, & pertinaces *Trium Capitulorum* defensores ab furioso incepto tandem abstinerent, laboravit intentissima cura. Permisit Hispanis, ut una tantum immersione Baptismi Sacramentum administrarent. (5) Subdiaconos cælibes esse voluit. (6) Prohibuit, ne Judæi vi compellerentur ad susci-

Bar. an. 591. §. 29 35.

gidæ super se jugiter a Cælo pendentis agnoscitur, capitur, trahitur, & apud B. Petri Apostolorum Principis templum summus Pontifex consecratur. Joan. Diaconus in ejus vita lib. 1. cap. 39. 40. 44. Vide Thomassinum De vet. & nova Ecclesiæ disciplina part. 2. lib. 2. cap. 16. §. 7. 8.

S. Petrus Damianus in disceptatione Synodali inter Regium Advocatum & Ecclesiæ Defensorem, apud Baronium ad an. 1062. §. 27. *Quod autem B. Gregorio legitur adhibuisse Mauricius Imperator assensum, & perpauci alii Principes aliis promovendis, hoc dictavit perturbatio temporum, & tempestas horrenda bellorum.*

(4) Hujus consuetudinis meminit Gregorius lib. 9. epist. 52. *Hinc est, ut quoties in quatuor præcipuis Sedibus Antistites ordinantur, synodales sibi epistolas vicissim mittant, in quibus se sanctam Chalcedonensem Synodum cum aliis generalibus Synodis custodire fateantur.* Vide Cap. *Sancta octo* dist. 16. Joan. Diaconum in vita S. Gregorii l. 4. c. 23. annotat. 5. ad Leonem Magnum, & annotat. 11. ad Vigilium.

Idem S. Gregorius lib. 6. epist. 37. & lib. 8. epist. 42. ad Eulogium Episcopum Alexandrinum primus omnium usurpavit formulam hanc: *De Petri Sede*, seu *Cathedra loqui*, uti narrat Launojus lib. 3. epist. 5. num. 7. & 41.

(5) Id legitur in Gregorii epist. 43. alias 41. lib. 1. ad Leandrum data. Gregorii auctoritatem secuti sunt Patres Concilii Toletani IV. can. 6. apud Labbeum tom. 5. Conc. pag. 1706. Vide D. Thomam 3. part. quæst. 66. art. 8.

(6) Pelagius II. triennio ante legem cælibatus Subdiaconis Siciliæ ex more Ecclesiæ Romanæ indixerat, ut dictum est loco suo: quique uxores haberent, eos jusserat se-

ſcipiendam religionem Chriſtianam. Donatiſtas in Africa ſeſe efferentes repreſſit. Sacramenti Confirmationis adminiſtrationem Presbyteris Sardiniæ indulſit. (7) Joannem *Jejunatorem* Epiſcopum Conſtantinopolitanum, quod Patriarchæ *Oecumenici* ti- An. 595. § 27. & ſeqq.

L 4 tu-

ſeparari. Id Gregorio viſum eſt *durum atque incompetens*, ut ipſe lib. 1. epiſt. 44. alias 42. ſcribit. Quare deceſſoris ſui decretum ita temperavit, ut permitteret Subdiaconis matrimonio junctis uxores retinere ſub ea conditione, ne ſacris umquam Ordinibus initiarentur. Deinde prohibuit, ne in poſterum Epiſcopi Subdiaconum ullum ordinarent, niſi qui cælibem vitam agere vellet. Heterodoxi effutiunt, legem hanc de cælibatu miniſtrorum ſacrorum ab eodem Gregorio abrogatam fuiſſe: quia cum paullo poſt juſſiſſet ex piſcina ſua piſces capi, ſex millia occiſorum infantium capita a piſcatoribus extracta fuerint, quam cædem ex occultis fornicationibus & adulteriis Sacerdotum ortam intelligebat. Verum hæc tota fabella quam eſt ſine argumento! Epiſtola ſiquidem illa S. Udalrici Epiſcopi Auguſtani ad Nicolaum Pontificem, ex qua id illi afferunt, ſubdititia eſt. Namque ſcripta dicitur aut ad Nicolaum I. aut II. Ille annis amplius viginti deceſſit, antequam S. Uldaricus naſceretur, referente auctore vitæ S. Uldarici: hic vero non niſi anno primo & octogeſimo poſt mortem S. Uldarici Pontifex factus eſt. Gulielmus Cave, & Caſimirus Oudinus, duos comminiſcuntur Uldaricos Epiſcopos Auguſtanos, alterum Nicolao I. coævum, cui memoratam epiſtolam tribuunt, alterum Nicolai ætate poſteriorem. Sed nullam hujus commenti rationem, aut teſtem afferunt. Vide Baronium ad an. 591. §. 19. 21. Bonam lib. 1. Rer. Liturgic. cap. 25. §. 16 & Ludovicum Vincentium Gotti in colloquiis Theologico-Polemicis colloquio XI. ex iis, qui ſunt de cælibatu ſacrorum miniſtrorum, num. 6.

(7) Extrema epiſt. 26. alias 3. lib. 4 Hinc Gregorius in aliquorum reprehenſionem incurrit. Sed injuria. Etenim Concilia Oecumenica duo, Florentinum in decreto unionis Armenorum, & Tridentinum ſeſſ. 7. can. 3. *De Confirmatione* docent, *Confirmationis ordinarium miniſtrum eſſe ſolum Epiſcopum*. Ex quo Baronius ad an. 594. §. 15. & Bellarminus lib. 4. de Rom. Pont. cap. 10. concludunt, *poſſe extraordinarie etiam non Epiſcopum eſſe miniſtrum hujus Sacramenti*. Quem locum ſatis expreſſit Natalis Alexander Sæc. II. diſſertat. 10. §. 14. & 21.

tulum usurparet, acriter reprehendit, ejusque audaciam ac temeritatem non solum scripto, sed etiam exemplo increpavit. Nam rejecto *superstitioso Universalis* (8) *vocabulo*, se in epistolis *Servum servorum Dei* omnium primus inscripsit. Cyriacum quoque, qui Jejunatori successerat, ejusque vestigia ingressus *Oecumenici* nomen affectabat, in ordinem redigendum curavit. Anglos per Augustinum aliosque sanctos viros perduxit ad Catholicam Fidem. Ratum jussit esse baptisma ab hæreticis expresso Sanctissimæ Trinitatis nomine collatum. (9) Instituit Cantum Ecclesiasticum, quem ab eo dicimus *Gregorianum*. *In Canone apposuit*: Diesque nostros in tua pace dispone, atque ab æterna damnatione nos eripi, & in electorum tuorum jubeas grege numerari. (10) *Festum S. Pauli post festum*

Jo. Diaconus l. 2. c. 1.

Lib. 7. ep. 4

(8) Non *Pontificis*; quod scripsisse Joannem Diaconum dicunt ex dolo & mendacio compositi Magdeburgenses Cent. 6. cap. 7. §. *de consociatione* pag. 213.

Vide Monachorum S. Mauri præfationem in epistolas S. Gregorii §. 11. Launojum l. 1. epist. 4. & Bellarminum lib. 2. De Romano Pontifice cap. 31.

(9) Epist. 67. lib. 11. alias 61. lib. 9. ea de re consultus ab Episcopis Hiberniæ. Haud dissimilem quæstionem sæculo sexto decimo agitatam refert Maldonatus Disputat. De baptismo quæst. 4. *Merito*, inquit, *disputatum est a viris doctis de baptismo Calvinistarum, nec desunt qui putant non esse verum*. Deinde utriusque partis argumenta recenset. Controversiam diremit Pius V. pronuncians, eos, qui a Calvinistis baptizati sunt, verum Baptismi Sacramentum suscepisse.

(10) Joannes Diaconus in Vita S. Gregorii lib. 2. cap. 6. & 17. Id ipsum docet Beda lib. 2. Hist. Eccl. Gentis Anglorum cap. 1.

S. Aldhelmus De laudibus Virginitatis cap. 23. tom. 13. Bibl. Patr. pag. 44. *Quas* (Agatham, & Luciam) *præceptor noster Gregorius in canone quotidiano, quando Missarum solemnia celebrantur, pariter copulasse cognoscitur, hoc modo in catalogo Martyrum ponens*: Felicitate, Anastasia, Agatha, Lucia. *quatenus nequaquam litterarum serie sequestrentur, quæ con-*

stum S. Petri voluit observare. (11) Quatuor habitis Romæ Synodis confecit Ecclesiæ negotia, quæ plurimorum videbantur maturanda consilio. Viduas, pupillos, pauperes omnes juvit alacriter. (12) Ejus precibus liberatum ab gehenna Trajanum Imperatorem, tradidere Paulus & Joannes Diaconi. (13) Summa in ejus aula eluxit integritas. Namque

Bar. an. 604. §. 17. Pag. §. 2.

contribuli populo apud Siciliam genitæ, simul cælesti gloria gratulantur. Vide annotat. 6. ad Gelasium I.

Walafridus Strabo *De rebus Ecclesiasticis* cap. 22. tom. 15. Bibl. Patr. pag. 192. 193. *Traditur denique B. Gregorium, sicut ordinationem Missarum & Consecrationum; ita etiam cantilenæ disciplinam maxima ex parte in eam, quæ hactenus quasi decentissima observatur, dispositionem perduxisse, sicut & in capite Antiphonarii commemoratur.* Et paullo post: *Gregorius vero augmentavit in precatione Canonis:* Diesque nostros in tua pace disponas. *Ubi quidam volunt intelligi, totam ab eo loco Canonis consequentiam usque in finem per illum fuisse compositam. Cui sensui repugnare videtur, quod passio Domini, quam Alexander eidem precationi inseruit, post hos versus habetur. Unde nonnulli credunt, non amplius* Gregorium, *quam illas tres petitiones, id est pro pace temporum, & ereptione ab æternis suppliciis & consortio sanctorum obtinendo, prioribus superaddidisse statutis.*

Micrologus cap. 57. tom. 18. Bibl. Patr. pag. 489. *Major Litania a beato Gregorio Papa primo pro pestilentia ipsius temporis instituta est, qui & Joanni Episcopo Ravennati scribens diem Litaniæ tempus cineris & cilicii appellat.* Vide Bonam lib. 1. Rer. Liturgic. cap. 15. §. 20.

(11) Micrologus cap. 42. tom. 18. Bibl. Patr. pag. 485.

(12) Monachi Congregationis S. Mauri in vita S. Gregorii l. 3. c. 9. §. 6. *Cum multoties jam de effusa in omnes S. Gregorii liberalitate verba fecerimus, operæ pretium est, paucis ostendere, quæ tunc essent Ecclesiæ Romanæ opes, unde ad sumtus tantos & pene immensos hauriret. Multa & maxima jam a priscis temporibus latifundia possidebat in toto Orbe Christiano Ecclesia hæc cæterarum Princeps, quæ S. Petri patrimonia vocabantur. Nota sunt ex sancti Pontificis epistolis Africanum; Siculum multiplex, ut ex Epist. 44. lib. 1. & ex plurimis ad Siciliæ defensores & rectores missis manifestum est, Corsicum, Dalmaticum, Gallicanum.*

(13) Uterque in vita S. Gregorii, alter cap. 27. alter

cap.

que eos apud se esse minime patiebatur, quorum mores abhorrerent a suis. Sic se gerendo effecit, ut *talis esset tunc penes Urbem Romam Ecclesia, quam hanc fuisse sub Apostolis Lucas, & sub Marco Euangelista penes Alexandriam Philo commemorat. Postquam Sedem Catholicæ & Apostolicæ sanctæ Romanæ Ecclesiæ* annis tredecim, mensibus sex, & diebus decem, *doctrinis pariter ac operibus felicissimis illustravit*, anno 604. *quarto Iduum Martiarum a carnis corruptione*

Jo. Diac. l. 2. c. 12.

Idem lib. 4. c. 68.

cap. 44. libri 2. Uterque tamen falso. Gregorius enim lib. 4. Dialog cap. 44. & lib. 34. Moralium cap. 16. docet, pœnas inferni esse æternas, nullam esse in inferno redemtionem, nec orandum pro hominibus impiis, & sine baptismo vita functis. Talem constat fuisse Trajanum, Christianorum tortorem crudelissimum. Oratio autem *De iis, qui in fide dormierunt* apud S. Joan. Damascenum, in qua §. 16. invenitur mentio Trajani ex inferis liberati, subdititia est: idque ostendunt Bellarminus lib 2. De Purgatorio cap. 8. Nat. Alexander dissertat. 1. in Hist. Eccl. sæc. II. Michael le Quien dissertat. 5. ex iis, quas præposuit tomo I. Operum S. Joan. Damasceni. Vide Cardinalem Lambertinum De Serv. Dei Beatif. & Beat. Canoniz. lib 3. cap. 10. num. 6. & 7.

D. Thomas in Suppl. quæst. 71. art. 5. ad 5. *De facto Trajani potest probabiliter æstimari, quod precibus B. Gregorii ad vitam fuerit revocatus, & ita gratiam consecutus sit, per quam remissionem peccatorum habuit, & per consequens immunitatem a pœna: sicut etiam apparet in omnibus illis qui fuerunt miraculose a mortuis suscitati, quorum plures constat idololatras & damnatos fuisse. De omnibus talibus enim simpliciter dici oportet, quod non erant in inferno finaliter deputati, sed secundum præsentem propriorum meritorum justitiam. Secundum autem superiores caussas, quibus prævidebantur ad vitam revocandi, erat aliter de eis disponendum.*

Vel dicendum secundum quosdam, *quod anima Trajani non fuit simpliciter a reatu pœnæ æternæ absoluta, sed ejus pœna fuit suspensa ad tempus, scilicet usque ad diem judicii. Nec tamen oportet, quod hoc fiat communiter per suffragia, quia alia sunt, quæ lege communi accidunt, & alia, quæ singulariter ex privilegio aliquibus conceduntur, sicut* alii sunt humanarum limites rerum, alia divinarum signa virtutum, *ut Augustinus dicit in libro* De cura pro mortuis agenda.

ne subtractus est, incorruptionis perpetua gloria sublimandus. Ita enim, ut ait S. Ildefonsus Toletanus De Script. Eccl. cap. 1. *cunctorum meritorum claruit perfectione sublimis, ut exclusis omnibus illustrium virorum comparationibus, nihil illi simile demonstret antiquitas. Vicit enim sanctitate Antonium, eloquentia Cyprianum, sapientia Augustinum.* (14)

LXVII.

SABINIANUS.

ANNO CHRISTI 604.

PHOCÆ IMPERATORIS 3.

SABINIANUS Boni filius, Volaterranus, S. Gregorii Diaconus, & apud Mauricium Imperatorem Apocrisiarius, anno 604. Idibus Septembr. eidem Gregorio subrogatus est, referente Anastasio Bibliothecario, & Paulo Diacono de Gestis Langobardorum lib. 4. cap. 30. (1) Nicephorus Cal-

Bar. an. 593. S. 25. An. 604. S. 54. Pag. S. 3.4. Pag. 116.

(14) *Petrus Diaconus familiarissimus* Gregorii, *cum quo quatuor Dialogorum libros disputaverat*, apud Joan. Diaconum in vita ejusdem Gregorii lib. 4. cap. 69. dicit, *super ejus caput se Spiritum Sanctum in similitudine columbæ tractantis frequentissime perspexisse.*

(1) Cur Diaconis sæpius, quam Presbyteris Pontificatus traderetur, ea caussa fuisse dicitur, quia Diaconi res Ecclesiæ non temporales modo, sed etiam spirituales novorant supra ceteros, & cum omnia in potestate haberent, in universorum animos facile influebant. Num vero Diaconus Pontifex creatus prætermisso Presbyteratus Ordine consecraretur, ambigit Mabillonius cap. 18. Comment. in Ordinem Romanum tom. 2. Musei Italici pag. 119. *Quæ de Episcoporum*, inquit, *Ordinatione per saltum in superiori capite præmisimus, quoddam secundæ quæstionis præjudicium est, Romanæ Sedis electum, si quando ex Diaconis creabatur, prætermisso Presbyteri gradu Pontificem fuisse ordinatum. Id autem con-*

Callistus, qui multo post vixit, lib. 18. cap. 56. Gregorio Innocentium suggerit. Sabinianum *Cam-*

pa-

conjicitur ex altero libello nostro, in quo, ubi de Pontificis electione mentio fit, hæc leguntur. Eligitur unus de Cardinalibus, de qualicumque titulo fuerit: tantum ut a præcessore sit Pontifice ordinatus, aut Presbyter, aut Diaconus, nam Episcopus esse non poterit. *At vero in ejusdem electi consecratione nullum est discrimen electi Diaconi aut Presbyteri, sed una eademque pro utroque præscribitur Ordinatio. Hanc conjecturam roborat exemplum Constantini contra Stephanum* III. *aliis* IV. *pro Pontifice se gerentis, qui cum ex Laico a factiosis electus fuisset, a Georgio Episcopo Prænestine primum Clericus, deinde altero die Subdiaconus atque Diaconus, ac demum adveniente die Dominico* Pontifex ab eodem Georgio & aliis duobus Episcopis, Eustratio Albanensi, & Citonato Portuensi consecratus est, *ut tradit Anastasius, nulla Presbyterii commemoratione facta.* In eamdem sententiam Mabillonius *duo alia affert legitimorum Pontificum exempla, Valentini, & Nicolai* I.

Quod autem in his casibus consecratio in Presbyterum omissa fuerit, nulla alia reddi ratio potest, nisi conjectura Æneæ Episcopi Parisiensis, cujus hæc sunt verba in libro Adversus objectiones Græcorum cap. 219. apud Lucam Dacherium tom. 7. Spicilegii pag. 114. *Forte illi, qui istiusce Ordinationi assentiunt, hoc intelligi volunt, quia qui benedictione Pontificali perfungitur, reliquarum benedictionum honore decoratur: sive quia in consecratione Corporis Christi & Sanguinis officium Præsulis ac Presbyteri mystice unitur. Sicut enim in terrarum Rege diversæ dignitates adscribuntur: nam Imperatores ex Consulibus creati, propter regale commercium quondam non emittebant, nec mutabant Consulis & Patricii nomen: ita credi potest, quod in sublimitate majoris Pontificis consistat etiam honor minoris Sacerdotis. Forsitan* autem *illi, qui de Diacono ordinant Episcopum, prætermissa benedictione Presbyterali, assertioni B. Hieronymi in epistola loquentis ad Titum ex parte concredere videntur, qui officium Presbyteri in aliquo comparticipari affirmat ministerio Episcopali.*

Quo vero tempore, subjicit Mabillonius, *mos iste mutatus sit, non satis exploratum habetur. Jam contrarius ritus invaluerat sæculo undecimo, quo tempore Hildebrandus Archidiaconus, post Alexandri II. obitum electus*, infra hebdomadam Pentecostes in Presbyterum ordinatus est, & in natali Apostolorum in Romanum Pontificem consecratus. *Unde sub*

ini-

panarum usum invenisse, scribunt aliqui. (2) Sigebertus in Chronico narrat, eum ab decessore suo Gregorio per nocturnum visum ob illiberalitatem & avaritiam ter frustra objurgatum, quarta demum vice graviter in capite percussum, haud ita multo post expirasse. (3) Ego libens crediderim, eum naturalem mortem obiisse. Obiit autem anno 606. Bar. an. 605. §. 8. Pag. §. 3.

initio sæculi duodecimi Gelasius secundus ex Diacono item electus, non ante Pontifex consecratus fuit, quam Presbyter ordinatus. Rem narrat testis oculatus nomine Pandulphus in libro de Romanis Pontificibus.... Ex his manifestum est, Gelasium (quod de Gregorio etiam modo notabamus) seorsim accepisse Sacerdotii gradum ante Pontificatum: atque ita tempore intermedio Nicolaum I. inter & Gregorium VII. ordinationem per saltum abrogatam fuisse in Ecclesia Romana.

(2) Polydorus Vergilius lib. 6. De rerum inventoribus cap. 12. Genebrardus in Chron. ad an. 604. pag. 474. Panvinius in Epitome Rom. Pontificum pag. 27. quos sequitur Ciaconius. Sed nullo testimonio freti. Ab aliis creditum est, *Campanas* a S. Paulino Nolano Episcopo, qui initio sæculi V. floruit, Nolæ primum adinventas & usurpatas, ac proinde ab Urbe quidem Nola *Nolas*, a Campania autem Italiæ provincia, in qua ea Urbs est, *Campanas* dictas. At nullus antiquorum, qui de S. Paulino scripserunt, admirabilem hanc ejus inventionem, quod ego quidem sciam, laudavit. Et *Nola* pro tintinnabulo usurpari putatur a Quintiliano lib. 8. cap. 6. *In cubiculo nola*. Vixit autem Quintilianus sub Domitiano tribus fere sæculis ante Paulinum. Itaque nondum compertum est, a quo primum *Campanæ* inventæ, cujusve opera & auctoritate usui Ecclesiæ esse cœperint. Id tamen constat, *Campanas* sæculo nono in Ecclesia Occidentali usurpatas fuisse. Baronius enim ad an. 865. §. 101. ex Scriptoribus rerum Venetarum refert, Ursum Participatium Ducem Venetorum eodem anno 865. primum omnium dono misisse Michaeli Orientis Imperatori duodecim *Campanas*, quas in turri ad S. Sophiam collocavit. Vide Bonam lib. 1. Rer. Liturgic. cap. 22.

(3) *Nihil tale quisquam antiquorum de vita & miraculis S. Gregorii scribentium, ne quidem Joannes Diaconus, qui tamen finem lib. 4. ejusmodi vindictæ exemplis per 12. capita deductis impertit. Mirum proinde est, fabulæ isti a Sigeberto temere relatæ fidem adhibuisse Baronium.* Papebrochius in Conatu apud Bollandum tom. 8. Maji pag. 92.

606. VIII. Kal. Martias, cum *annum*, *menses quinque*, *& dies novem* Pontificatum gessisset.

LXVIII.

BONIFACIUS III.

ANNO CHRISTI 607.

PHOCÆ IMPERATORIS 6.

BONIFACIUS III. Romanus, patre Joanne Cataandioce natus, sanctæ Romanæ Ecclesiæ Diaconus, anno 607. XI. Kal. Martias Pontifex renunciatus est. Duo memorabilia hunc fecisse invenio: unum, quod habito in æde S. Petri duorum & septuaginta Episcoporum Concilio sub anathematis pœna cavit, ne agi liceret de successore Pontificis Romani, & cujusvis Episcopi, nisi post diem tertium ab ejus morte: alterum, quod obtinuit a Phoca Imperatore, ut nomen Episcopi *Oecumenici* seu *Universalis* esset unius Pontificis Romani, atque ita frangeret turbulentam Cyriaci Episcopi Constantinopolitani temeritatem, qui sibi tale nomen arrogabat. (1) Anno 607. IV.

Bar. an. 606 §. 1. 2. 8. Pag. §. 2. 4.

(1) Paulus Diaconus de Gestis Langobardorum lib. 4. cap. 37. *Hic* (Phocas) *regnante Papa Bonifacio*, *statuit*, *sedem Romanæ & Apostolicæ Ecclesiæ caput esse omnium Ecclesiarum*, *quia Ecclesia Constantinopolitana primam se omnium Ecclesiarum scribebat*. Baronius ad an. 606. §. 2. *Infensus Cyriaco Phocas id Imperiali edicto sancivit*: & §. 6. *Quod ergo expetiit a Mauricio Gregorius*, *& non obtinuit*, *ut vanum hominem*, *titulum sibi indebitum usurpantem compesceret*, *hoc a Phoca obtinuit Bonifacius*, *ut coerceret Cyriacum sibi inconcessa sumentem*. *Sic igitur edictum Phocæ non dedit primatum Ecclesiæ Romanæ*, *sed illi tantum jure competere nomen* Oecumenici *judicavit*. Eodem modo Bellarminus lib. 2. De Rom. Pont. cap. 17. *Phocas id sanxit declarando & asserendo*, *non instituendo aliquid novi*.

IV. Idus Novembris exiit e vita *mense Pontificatus octavo, die altero & vicesimo.*

LXIX.

S. BONIFACIUS IV.

ANNO CHRISTI 608.

PHOCÆ IMPERATORIS 7.

BONIFACIUS IV. Joannis Medici filius, ex Valeria Civitate Marsorum, anno 608. Bar. an. 607. §. 1. Pag. §. 2. 3.
VIII. Kal. Septembr. Bonifacio III. substitutus est. Is *Pantheon* in cultum Deorum omnium a M. Agrippa Augusti genero extructum, Phoca concedente, in honorem B. M. Virginis & omnium Martyrum Deo consecravit, *ut ubi quondam non Deorum, sed Dæmonum cultus erat, ibi deinceps omnium fieret memoria Sanctorum.* (1) Idem advocato Romæ Concilio compescuit Monachorum hostes, qui eos licet Sacerdotio initiatos arceri volebant ab Sacramentorum administratione. (2) Decessit Bar. an. 614. §. 1. Pag. § 2.
Nonis Maji anno Ch. 615. & *sexto, mense octavo, die duodecimo,* quam Pontifex creatus erat.

LXX.

(1) Paulus Diaconus De Gestis Langobardorum lib. 4. cap. 37.

Ecclesia hæc nunc quoque visitur Romæ, diciturque *Rotunda* ob ædificii formam.

Baronius in Martyrolog. Rom. Kal. Novembr. *Ut omnium simul Martyrum una eademque die celebritas ageretur, ex Bonifacii Papæ institutione Romæ est sumtum exordium. Postmodum vero, quod Romæ tantum peculiariter agebatur, Gregorius Papa IV. ceteris Occidentalis Orbis Ecclesiis faciendum præcepit.*

(2) Extat decretum apud Gratianum 16 quæst. 1. cap. *Sunt nonnulli* 25. & apud Labbeum tom. 5. Conc. pag. 1618.

LXX.

S. DEUSDEDIT.

ANNO CHRISTI *615.*

HERACLII IMPERATORIS *6.*

DEUSDEDIT Romanus anno *615.* XIV. Kal. Novembr. Bonifacium IV. excepit. Subdiaconus ne fuerit, an Subdiaconi filius, minus compertum est. (1) Eximiæ ejus sanctitatis, quia, scriptorum inopia, plura non possumus proferre testimonia, uno erimus contenti, quod ex eo conjici poterit, quam carus Deo fuerit. Cum enim elephantiase Romæ grassante ægrotos conveniret, nescio quem tali morbo laborantem osculo restituit incolumitati pristinæ. Laudatur etiam ab Auctore libri Pontificalis ejus in Clerum amor

Bar. an. 614. §. 1. Pag. §. 6.

Bar. an. 615. §. 1.

&

(1) Exemplar Anastasii, quo usus est Baronius ad an. 614. §. 1. ita habet: *Deusdedit filius Stephani ex Subdiacono sedit annos tres.* Quare ita subjungit auctor Eminentissimus: *Ut autem Subdiaconus Romanus Pontifex crearetur, nunc primum accidit absque majorum exemplo.* Sed illum Anastasii locum alii ita restituunt: *Deusdedit ex Patre Stephano Subdiacono*, atque ajunt, Deusdedit non fuisse Subdiaconum, sed Subdiaconi filium. Caussa, cur id asserant, ea est, quia habent pro certo, nullum hactenus Romanum Pontificem electum ex numero Subdiaconorum. Ast Liberatus Silverio æqualis cap. 22. Breviarii refert, eumdem *Silverium Subdiaconum* creatum fuisse Romanum Pontificem. Itaque adhuc incertum est, utra ex duabus illis lectionibus sit alteri præferenda. Fortasse licuit Subdiaconos eligere usque ad Stephanum III. qui anno *769.* habita Romæ Synodo, interdixit sub anathemate, *ne ullus umquam præsumat laicorum, neque ex alio ordine, nisi per distinctos gradus ascendens, Diaconus aut Presbyter Cardinalis factus fuerit, ad sacrum Pontificatus honorem promoveri*, ut est apud Anastasium in vita Stephani III. pag. 227.

& beneficentia, diciturque *secundam Missam in Clero constituisse*. (2) Mortuus est V. Idus Novembr. anno 618. Pontificatus *tertio*, *ac die vicesimo*. An. 617. S. 1. Pag. S. 2.

LXXI.

BONIFACIUS V.

ANNO CHRISTI 619.

HERACLII IMPERATORIS 10.

BONIFACIUS V. Joannis filius, Neapolitanus, anno 619. X. Kal. Januar. Pontificatum occepit, gessitque *annos quinque & menses decem*, mortuus anno 625. ante diem XI. Kal. Novembris. Hic ab Heterodoxis in eo est reprehensus, quod in epistola ad Eduinum Regem Anglorum, qua eum hortatur ad Fidem Christi suscipiendam, docuerit, Christum ab *solo* Originali peccato nos redemisse. Primum nego, vocem illam Bar. an. 617. S. 3. Pag. S. 3. Bar. an. 625. S 10. Pag. S. 14.

M

(2) Multo ante hunc Pontificem iterari consuevisse Missæ sacrificium, tradit Leo Magnus epist. 11. alias 81. ad Dioscorum Alexandrinum cap. 2. *Illud quoque volumus custodiri, ut cum solemnior quæque festivitas conventum populi numerosioris indixerit, & ea Fidelium multitudo convenerit, quam recipere Basilica simul una non possit, Sacrificii oblatio indubitanter iteretur: ne his tantum admissis ad hanc devotionem, qui primi advenerint, videantur hi, qui postmodum confluxerint, non recepti: cum plenum pietatis atque rationis sit, ut quoties Basilicam, in qua Agitur, præsentia nova plebis impleverit, toties Sacrificium subsequens offeratur*. Fortasse quod Leo necessitate urgente, id Deusdedit fieri permisit caussa pietatis in Deum.

Quesnellus in Notis ad citatam epistolam S. Leonis pag. 439. *Notanda hæc loquendi ratio:* In qua Agitur, *qua Sacrificium Missæ significatur*. Agere *enim & sacrificare idem sunt, unde &* Actio *dicitur ipsa consecratio in Canone*: infra Actionem, *&* Agenda *sæpe usurpatur pro Missa*. Vide Bonam lib. 1. Rer. Liturgic. cap. 14. §. 4.

lam *solo* in ea epistola exstare, (1) deinde si exstat, nego esse reprehendendam. Quod enim Bonifacius meminerit solius Originalis peccati, *non aliorum peccatorum, caussa fuit, quia peccatum Originale est principale, & propter quod delendum principaliter Christus mortuus est. Unde Joan. I. 29. legimus:* Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit *peccata mundi, Græce* τὴν ἁμαρτίαν τοῦ κόσμου, *id est* peccatum illud mundi, *hoc est peccatum Originale, quod solum est commune toti mundo. Nam plurimi nullum aliud habent, ut omnes pueri.* (2)

LXXII.

HONORIUS I.

ANNO CHRISTI *625.*

HERACLII IMPERATORIS *16.*

HONORIUS, Petronii viri Consularis filius, natione Campanus, anno *625.* VI. Kal. Novembr. Pontifex creatus inauguratusque est. (1) Ne Anglorum Ecclesiæ principiis deesset,

Bar. an. 626. §. 1. Pag. an. 625. §. 16.

(1) Exstat epistola apud Labbeum tom. V. Conc. pag. *1660.*

(2) Bellarminus De Rom. Pont. lib. 4. extremo cap. 10.

(1) Brevissimi hujus interregni caussa fuit, quod electionem Honorii approbavit non Heraclius Imperator jam tertio abhinc anno degens in Oriente, sed Exarchus Ravennas, qui Romæ obversabatur. Est enim vero simile, Heraclium, cum Isacium Exarchum misit in Italiam, eidem permisisse potestatem ratæ faciendæ Pontificiæ electionis, ne si Potificem mori contigisset se absente, Romana Ecclesia grave aliquod incommodum pateretur, novi Pontificis approbatione diutius expectata. Hæc scripsi secutus Pagios. Papebrochius in Conatu Chronico Historico apud Bolland. tom. 8. Maji pag. *99.* num. 2. existimat, jus confir-

ſet, Eduinum Regem per litteras hortatus eſt, ut in ſuſcepta Catholica religione perſeveraret. Scotos Paſcha celebrantes præter legem latam a Concilio Nicæno redarguit. Si enim quartadecima Luna Martii in diem Dominicum incidiſſet, eo die Paſcha agebant, nec in proximum Dominicum diem, quod jubet Nicæna Synodus, feſtum prorogabant. Laboravit etiam, ut Adalvaldus Rex Langobardorum Catholicus in regnum, a quo expulſus fuerat, ejecto Ariovaldo Ariano, imponeretur. Fortunatum Patriarcham Gradenſem hæreticum, & Reipublicæ proditorem amovit Epiſcopatu, & Primogenium Subdiaconum & Regionarium in ejus locum ſubſtituit. (2) Multas ſacras ædes Romæ extruxit, reſtituit, ornavit, ditavit. Sed laudatiſſimo Pontifici haud feliciter ceſſit ſtudium & providentia, qua uſus eſt ad extinguendam in ipſo ortu hæreſim Monothelitarum. (3) De conſilio enim Sergii Epiſcopi Conſtantinopolitani, occulte hæretici Monothelitæ, novæ exortæ contentionis, una ne, an duplex eſſet in Chriſto voluntas & operatio, mentionem memoriamque oppreſ-

Bar. an. 633. §. 67. Pag. §. 11. 12.

Bar. an. 626. §. 28.

An. 630. §. 11. 14.

An. 638. §. 1.

M 2 ſit,

firmandi electionem Pontificis Exarcho datum anno duntaxat 640. quo Joannes IV. Pontifex creatus eſt.

(2) Id conſtat ex ejus epiſtola ad Epiſcopos Venetiæ & Iſtriæ, apud Baronium ad an. 630. §. 14. & Labbeum tom. 5. Conc. pag. 1681. ex qua illud etiam patet, Venetam Rempublicam jam inde ab Honorii temporibus *Chriſtianiſſimæ* titulo decoratam a Pontificibus Romanis.

Quemadmodum erant Notarii & Diaconi *Regionarii* ſeptem, de quibus dictum eſt ſupra in Vita S. Clementis I. & S. Fabiani; ita ſeptem pariter erant Subdiaconi *Regionarii*. *Qui autem* Regionarii *dignitate & nomine augebantur, eiſdem patebat aditus, ut ad ſacra ſimul cum Pontifice convenirent*. Baronius ad an. 598. §. 16. Vide annotat. 1. ad S. Cajum.

(3) *Eutychianorum, ac Monophyſitarum ſectæ appendicula fuit Monothelitarum hæreſis, quæ unicam in Chriſto voluntatem, & ἐνέργειαν, id eſt* actionem *conſtituit*: Petavius tom. 4. Theologic. dogmat. De Incarnatione lib. 1. cap. 19.

sit, ne res, antea in disputationem numquam vocata, ad periculosum schisma excederet. Studio & providentia ad irritum cadente, factum est, ut
Bar.an.618. S. 1. Pag. S. 2. videretur favere Monothelitis, a quibus animo erat alieno. (4) Cum *annos duodecim, menses undecim,*

(4) Andreas Duvalius De infallibilitate Romani Pontificis quæst. 4. tom. 3. Bibliothecæ Pontificiæ Rocaberti pag. 479. Honorius *sua ad Sergium Constantinopolitanum epistola, de una aut duabus operationibus in Christo tacendum esse definivit, ne qui dicerent unam in Christo operationem fuisse, Eutycheti, unicam in Christo naturam asserenti favere viderentur: & qui duas statuerent, partes Nestorii, duas in Christo personas pugnaciter adstruentis, tueri viderentur: ideoque cum res nondum esset ab Ecclesia definita, & quorsum quisque hac in quæstione se verteret, ad alterutrius scopulos navem suam allideret, a nomine unius aut duarum operationum abstinendum esse prudenter decrevit....Adde, quod quamvis Honorius horum nominum* duarum aut unius operationum *mentionem fieri noluerit, re ipsa tamen duas in Christo operationes, divinam scilicet & humanam, agnovit, ut ex hoc solo manifeste constat, quod cum Sergius ex Secretario Honorii in celebri disputatione inter Maximum & Pyrrhum scripsisset, prædicare quosdam duas esse in Christo voluntates contrarias;* Nos rescripsimus, *inquit Secretarius*, Christum duas voluntates contrarias, unam carnis, alteram vero Spiritus non habuisse.

Josephus Cardinalis Aguirre in Defensione Cathedræ S. Petri contra Declarationem Cleri Gallicani disputat. 30. sect. 1. *Petavius in Rationario Temporum ad an. 680. ubi agens de Synodo sexta Generali sub S. Agathone Papa inquit:* In eo Concilio, quinque probatis Oecumenicis Synodis, decretum est, duas in *Christo* voluntates ac totidem actiones esse, quot in eo sunt naturæ, & qui secus docuerant, pro Hæreticis damnati *Sergius*, *Pyrrhus*, *Cyrus*, *Paulus*, aliique; quibus & *Honorius* in *Actis* adjungitur Romanus Pontifex. Verum hanc ab illo calumniam depellit Joannes IV. qui tertius ab eodem Pontificatum tenuit (Epist. 2. quæ exstat tom. 12. Bibl. Patr. pag. 835. & tom. 5. Conc. Lab. pag. 1758.) ubi Honorium docet Sergio de una in Christo voluntate subdole interroganti respondisse, duas non fuisse repugnantes & contrarias, cujusmodi in nobis experimur: ceterum naturas in illo duas ac voluntates totidem ab eo agnitas fuisse. *Hactenus ille. Credendum autem*

cim, *dies sexdecim* summo Pontificatui præfuisset, IV. Idûs Octobr. anno 638. vita emigravit.

tem potius est Joanni IV. *Papæ*, *qui tempore* Honorii *vivebat*, *& exacte inquirere ac scire rem potuit*, *quam nuperis scriptoribus quamlibet eruditis*. *Plura alia circa Honorium ipsum in hac parte vide apud* Bellarminum lib. 4. de Rom. Pont. cap. 11. *&* Hosium lib. 2. contra Brentium, *ac* Christianum Lupum in Notis ad VI. Synodum, *ubi pag.* 837. *ostendit*, *Honorium male incusari*, *veluti sectatorem* Sergii *Monothelitæ*: *deinde pag.* 790. 792. & 815. *demonstrat*, *eumdem nec hæreticum Monothelitam fuisse*, *nec cum iis collusisse*, *quamvis negligentiæ insimuletur in extinguenda ea hæresi*.

S. Leo II. epist. 2. ad Episcopos Hispaniæ apud Lab. tom. 6. Conc. pag. 1247. & apud Vincentium Ludovicum Gotti tom. 1. Veræ Ecclesiæ cap. 11. §. 2. num. 12. *Qui vero adversus Apostolicæ doctrinæ puritatem perduelles extiterant*, *abeuntes quidem æterna condemnatione mulctati sunt*, *idest Theodorus Pharanitanus*, *Cyrus Alexandrinus*, *Sergius*, *Pyrrhus*, *Paulus*, *Petrus Constantinopolitani cum* Honorio, *qui flammam hæretici dogmatis non*, *ut decuit Apostolicam auctoritatem*, *incipientem extinxit*, *sed negligendo confovit*. Qui plura desiderat, adeat Joan. Baptistam Tamagninum in Monothelitarum Historia atque Honorii controversia, Petavium Theologicorum Dogmatum tom. 4. lib. 1. cap. 21. Garnerium Dissertat. 2. ad Librum Diurnum Romanorum Pontificum §. 6. Nat. Alexandrum dissertat. 2. Sæc. VII. & alios, in quorum disceptationibus Honorius jactatur. Vide annotat. 2. ad Joannem IV.

LXXIII.

SEVERINUS.

ANNO CHRISTI 640.

HERACLII IMPERATORIS 31.

SEVERINUS Abieni filius, Romanus, anno 640. V. Kal. Junii Pontifex consecratus est. Pag. an. 638. §. 3. Tam diuturnum interregnum propterea fuit, quia Bar. an. Heraclius Severini electionem ratam habere recu- 639. §. 2. 3. Pag. §. 3. 4. savit, donec ille *Ecthesim* ab se promulgatam, & ad Isacium Exarchum transmissam approbaret. (1) Legati, qui pro Severino Roma Constantinopolim missi fuerant, cum didicissent ab Clero Constantinopolitano, non aliter exitum rei imponi posse, quam si promisissent, se effecturos, ut Pontifex *Ecthesi* subscriberet, id simulate polliciti sunt. Tali modo impetrarunt approbationem electionis Severini, quam petebant. Tantum vero abfuit, ut Pontifex reciperet edictum favens hæresi Monothelitarum, ut etiam anathemate damnaret. (2) Quare sive Heraclii impulsu, ut injuriam sibi illatam ulcisceretur, sive ministrorum ejus malitia factum est,

(1) Petavius tom. 4. Theolog. Dogmat. lib. 1. De Incarnatione cap. 19. §. 5. *Heraclius Imperator, auctore Sergio, Fidei* Ecthesim, *id est* expositionem, *promulgavit Indictione XII. hoc est anno Christi 639. quæ unicam Christi operationem & voluntatem asseveravit quidem, sed quasi aliud agendo: cum diserte ac palam constitueret, ne quis tam unam, quam duas operationes & voluntates nominaret in Christo*. Ecthesis exstat *Secretario* 3 Concilii Lateranensis celebrati a Martino I. apud Labbeum tom. 6. Conc. pag. 195. & apud Baronium ad an. 639. § 8.

(2) Docet id S. Martinus Pontifex in Concilio Lateranensi apud Labbeum tom. 6. Conc. pag. 210.

est, ut Lateranensis Ecclesiæ thesaurus ad eam diem sanctissimus ab Isacio Exarcho & Mauricio Chartulario diriperetur. Exinde Severinus ab Heraclii ministris vexatus haud diu superstes fuit. Nam anno eodem 640. Kal. Augusti interiit post *mensem secundum, & diem quartum*, quam ad Pontificatum evectus fuerat.

LXXIV.

JOANNES IV.

ANNO CHRISTI 640.

HERACLII IMPERATORIS 31.

JOANNES IV. Venantii Scholastici filius, Dalmata, anno 640. pridie diem Natalem Christi Domini consecratus est. Antequam consecraretur, datæ ab Episcopis & Presbyteris Scotiæ ad Severinum decessorem suum, sibique redditæ epistolæ respondens damnavit quosdam illius provinciæ incolas, Pascha celebrantes more Hebræorum, admonuitque reviviscentem in eadem regione Pelagii hæresim cavendam diligenter. (1) Pontificatu ini- Pag. an. 639. §. 6. 7. Bar. an. 640. §. 1. 3. 4. Pag. §. 2. 3.

(1) Epistola illa, quam recitat Labbeus tom. 5. Conc. pag. 1717. & Baronius ad an. 659. §. 6.

Pagius ad an. 590. §. 8. *Existimat Baronius* (ad an. eumdem 590. §. 10.) *post electionem Romani Pontificis* curam Romanæ Ecclesiæ non electum Pontificem solum gessisse, sed quatuor simul ejusdem Ecclesiæ ministros sacros, *quod colligit* ex epistola Romani Cleri ad Scotos reddita, cum sedes vacaret morte Severini Pontificis, electusque in locum ejus esset Joannes IV. sed nondum consecratus. *Ejus* (Epistolæ) *principium est:* Dilectissimis & Sanctissimis Thomiano &c. Hilarus Archipresbyter & Servans locum sanctæ Sedis Apostolicæ, Joannes Diaconus & in Dei nomine electus; item Joannes Primicerius, & Servans locum sanctæ Se-

inito habuit Romæ Concilium, in quo errorem Monothelitarum, atque errori faventem *Ecthesim* He-

Sedis Apostolicæ, & Joannes servus Dei, Consiliarius ejusdem Apostolicæ Sedis. *Verum rerum gerendarum potestas vacante Sede fuit penes* Archipresbyterum, Archidiaconum, & Primicerium Notariorum, *nisi contingeret, ut ex illis tribus unus eligeretur Pontifex: tunc enim quartus substituebatur, &* Archipresbyter, *aut* Archidiaconus, *qui nomine* Diaconi *sæpe exprimitur, suum locum servabant, ut liquet ex laudata epistola, in qua* Joannes IV. Diaconus *secundo tantum loco nominatur, licet Pontifex electus esset. Profecto si servare locum Sedis Apostolicæ jure electionis ei competiisset, primo loco nominatus fuisset. Electo itaque nihil fuit juris ad res gerendas, donec ordinaretur, ratione electionis suæ, nisi ante eam* inter Servantes locum Sedis Apostolicæ *connumeratus esset.*

Archipresbyter, Archidiaconus, *&* Primicerius Notariorum, *non tantum vacante Sede, sed etiam absente summo Pontifice Ecclesiam Romanam administrabant. Extat in capite 2. Libri Diurni Romanorum Pontificum, titulo I. formula litterarum ad Exarchum* De Transitu Pontificis *scribi solitarum, in qua hæc leguntur*: Superscriptio. Domino Excellentissimo atque præcellentissimo, & a Deo nobis longæviter in principalibus ministeriis feliciter conservando III Exconsuli, Patricio, & Exarcho Italiæ, III Archipresbyter, III Archidiaconus, III Primicerius Notariorum servantes locum sanctæ Sedis Apostolicæ: *ubi III idem est, quod hodie apud nos N, cum scilicet locus nominis indicatur.*

Garnerius in notis ad Librum Diurnum Romanorum Pontificum, cap 2. tit. 1. pag. 9. in memorata a Pagio *inscriptione* Epistolæ Romani Cleri *notat*, Joannem, *licet electum in Romanum Pontificem, secundo tamen post* Archipresbyterum *loco inscribi, unde quatuor constant*. Primum, *electo nihil fuisse juris ad res gerendas, donec ordinaretur*. Alterum, *quando ætate* Exarchorum, *atque etiam antea, cum* Gothi *regnarent, dicitur aliquandiu vacasse Apostolica Sedes, tempus non ab obitu Pontificis ad electionem successoris, sed ad ipsius ordinationem computandum: vix enim electio post triduum protracta est, cum schismata non fuerunt. Tertium peculiare fuisse privilegium* Gregorii Magni, *& consequentium nonnullorum, quod Clero annuente res administraverint ante Ordinationem*. Postremum, *tunc electum in litteris non se* Pontificem Romanum *inscripsisse, sed* Electum. Vide Mabillonium Comment. in Ordinem Romanum cap. 17. annotat. 1. ad Pelagium 1. & annotat. 2. ad Eugenium I.

Heraclii confixit anathemate. Doctrinam Honorii Pontificis, cujus epistolis abutebantur Monothelitæ ad defendendam hæresim suam, ostendit consentientem rectæ Fidei, eumque purgavit scripta ad Constantinum filium Heraclii atque successorem epistola: qua rogavit illud etiam, ut *Ecthesim* rescinderet. (2) Neque id petiit frustra. Namque mortuo Patre Constantino, Constans ejus filius *Ecthesim* igni tradidit. Anno 642. V. Idus Octobr. diem functus, *annum unum, menses novem, dies duodeviginti* Pontifex fuit. Bar. an. 641. S. 2. Pag. S. 4. 11.

LXXV.

(2) Joannes IV. in eadem epistola seu Apologia pro Honorio, apud Labbeum tom. 6. Conc. pag. 1759. *Sergius Patriarcha prædicto sanctæ recordationis Romanæ Urbis Pontifici (Honorio) significavit, quod quidam in Christo duas contrarias dicerent voluntates: quo præfatus Papa comperto rescripsit ei, quia redemtor noster sicut esset Deus perfectus, ita esset & homo perfectus, ut quam primus homo per prævaricationem amisit, sine aliquo peccato natus primæ imaginis nobilem originem renovaret.... Et idcirco unam voluntatem secundum primam formationem Adæ naturalem humanitatis suæ dominus noster Jesus Christus habere dignatus est, non duas contrarias, quemadmodum nunc nos habere dignoscimur, qui de peccato sumus Adæ geniti.... Prædictus ergo decessor meus docens de mysterio Incarnationis Christi dicebat non fuisse in eo, sicut in nobis peccatoribus, mentis & carnis contrarias voluntates: quod quidam ad proprium sensum convertentes, divinitatis ejus & humanitatis unam eum voluntatem docuisse suspicati sunt; quod veritati omnimodis est contrarium.*

LXXV.

THEODORUS I.

ANNO CHRISTI 642.

CONSTANTIS II. IMPERATORIS 2.

THEODORUS Græcus anno 642. ante diem octavum Kal. Decembr. in locum Joannis IV. subrogatur. Patrem Episcopum eodem, quo ipse est, nomine habuit. De *Ecthesi* abolenda plurimum laboravit, datis ad Paulum Episcopum Constantinopolitanum Synodicis litteris, quibus & Pyrrhi caussam examinari jussit. (1) Eumdem Pyrrhum Romam profectum, ejurataque hæresi Monothelitarum profitentem Catholicam Fidem recepit in communionem. Postea redeuntem ad ingenium, convocato Romam Concilio, anathematizavit, & anathematis sententiam scripsit intincto in Christi sanguinem calamo. (2) In eodem Concilio damnavit etiam

Pag. ar. 641. §. 12.

Pag. ar. 648 §. 10. & seqq. Pag. §. 14. 15. 17.

(1) Epist. 1. apud Labbeum tom. 5. Conc. pag. 1777.

(2) Theophanes in Chronographia pag. 219 edit. Venetæ: *Theodorus Papa, universo Ecclesiæ conventu convocato, ad Coryphæi Apostolorum sepulcrum astans, calice afferri jusso, ex vivifico Christi sanguine stillam excutiens, Pyrrhi ceterorumque, qui cum eo communicarent, abrogationem & condemnationem propria manu exaravit.* Auctor Historiæ Miscellæ lib. 18. tom. 1. Scriptor. Rer. Italic. pag. 132. *Papa Theodorus, plenitudine convocata Ecclesiæ, ad sepulcrum verticis Apostolorum accessit, & divino calice expostulato, ex vivifico sanguine in atramentum stillavit, & ita propria manu depositionem Pyrrhi excommunicari facit.*

Photii pariter damnationem calamis non simplici atramento, sed ipso etiam Christi sanguine tinctis conscriptam a Patribus Concilii Constantinopolitani IV. Oecum. VIII. tradit ex Niceta Baronius ad an. 869. §. 39. Pactionem quoque pacis inter Carolum Calvum & Bernardum Comitem To-

etiam Paulum Episcopum Constantinopolitanum, quo instigante Constans Imperator edictum promulgavit, *Typum* vulgo dictum, quo per speciem conciliandæ pacis inter Catholicos & Monothelitas, silentium indixit tum iis, qui unam, tum iis, qui duplicem in Christo voluntatem & operationem assererent. (3) E vivis excessit III. Idus Majas, anno 649. *sexennio, mense quinto, ac die duodevicesimo*, quam Pontifex factus fuerat. Pagius An. 649 §. 1.

LXXVI.

S. MARTINUS I.

ANNO CHRISTI 649.

CONSTANTIS II. IMPERATORIS 9.

MARTINUS Fabritii filius, Tuders, anno 649. III. Nonas Julii in Pontificale fastigium provectus est. Cura hunc opprimendi gliscentem in dies Monothelitarum hæresim maxime intentum habuit. Pontificatu inito, congregavit in Lateranensem Ædem centum & quinque Episcoporum Concilium, in quo Monothelitas, eorumque dogma, *Ecthesim* Heraclii, ac *Typum* Constantis diris de- Bar. an. 649 § 2. 3. Pag. § 2. 3.

Tolosanum factæ Christi sanguine confirmatam, scribit Mabillonius lib. 2. De re diplomatica cap. 22. §. 21. fretus testimonio Odonis Ariperti. Vide Franciscum Pagium in Vita hujus Pontificis §. 18.

(3) Extat *Typus* Secretario 4. Concilii Lateranensis celebrati sub Martino I. apud Labbeum tom. 6. Conc. pag. 231. & apud Baronium ad an. 649. §. 4 Hoc interest inter *Ecthesim* Heraclii, ac *Typum* Constantis, ut docet Petavius tom. 4. Theologic. Dogmat. lib. 1. de Incarnatione cap. 21. quod *Ecthesis* tam unam, quam duas in Christo operationes dici vetat, voluntatem tamen unam profitetur: *Typus* vero nec voluntatem nec operationem unam aut duas in Christo nominari patitur.

devovit. (1) Quamobrem cum in Constantis indi-
Bar. an. 650. §. 6. 17. 20. Pag. §. 6. 1. gnationem incurrisset, ejus jussu e Constantiniana Æde per Exarchum Theodorum Calliopam vi abductus, in Naxum insulam deportatus est. Annum ibi transegit continua ægritudine afflictus, & laboribus plurimis oppressus. Inde missus Constantino-
Bar. an. 651. §. 2. ad 25. Pag. §. 2. 3. polim. Eo cum pervenisset, e navi in carcerem conditus. Post dies tres & nonaginta raptus in jus ipso die Parasceves, falso illato crimine, ut damnatus majestatis in discrimen capitis veniret, reclamante nemine. Eductus e loco judicii, detractis insignibus, ferreis vinculis innexus, per Urbem tractus, detrusus deinde in carcerem, & mox in custodiam, quæ dicitur *Diomedis*, translatus tanta immanitate, ut nullum genus calamitatis contumeliæque non editum in eum fuerit. Tantam in se miserationem fecit, ut etiam minus proni in Pontificem Romanum averterent oculos ab illa deformatione tantæ majestatis. Ipse unus, tot oneratus atque obrutus malis, animum nihil flexit. Jam a-
ctum

(1) Tanta est hujus Concilii auctoritas, ut post quinque Oecumenicas Synodos insertum fuerit Professioni Fidei fieri solitæ a Romanis Pontificibus, ut est in Libro Diurno Romanorum Pontificum cap. 2. tit. 9. Habitum est eodem anno 619. Constat quinque *Secretariis*, seu consultationibus totidem dierum spatio absolutis. In postrema, ad veram de Incarnatione Verbi doctrinam exponendam, & labefactandas hæreses, sanciti canones viginti. Decimo octavo damnati cum antiqui Hæresiarchæ, tum impietatis Monotheliticæ auctores fautoresque, Theodorus Pharanitanus, Cyrus Alexandrinus, Sergius, Pyrrhus, & Paulus Constantinopolitani Patriarchæ, una cum eorum scriptis, *Ecthesi* Heraclii, ac *Typo* Constantis. Hujus Synodi actiones *Secretaria* dicuntur a loco, in quo habitæ sunt. *Secretarium* autem est *ædicula seu camera vice hexedræ templo seu ædi sacræ adjuncta, in qua sacra Ecclesiæ ministeria reconduntur, & in qua etiam Sacerdotes & Clerici, priusquam ad sacra procedant, vestes Ecclesiasticas induunt*, ut ait Ducangius in Glossario: qui subjungit, Conciliorum in Secretariis habitorum sessiones seu actiones *Secretaria* fere semper appellata.

ctum erat de eo, nisi Paulus Constantinopolitanus Patriarcha hæreticus Monothelita, simul viri sanctissimi misericordia captus, simul stimulatus conscientia, gladium ab cervice ejus depulisset. Necis periculo ereptus relegatur in Chersonesum Thraciam: ubi Ecclesiæ periclitantis dolore & ærumnis confectus, anno 655. XVI. Kal. Octobr. exiit e vita. Ejus Pontificatus intra *annos sex, menses duos, & dies duodecim* exactus est. Bar. an. 652. S. 1. An. 654. S. 14. Pag. S. 2.

LXXVII.

S. EUGENIUS I.

ANNO CHRISTI 654.

CONSTANTIS II. IMPERATORIS 14.

EUGENIO Rufiniani filio, Romano *Clerico a cunabulis*, seu Pontificiæ vicis fungendæ negotium, seu Pontificatus ipse anno 654. VI. Idus Septembr. traditus est. (1) Neutrum enim cur pro certo affirmem, habeo, successerit ne, Martino superstite, vicarius muneri ejus, an tamquam verus Pontifex Romanam Ecclesiam administraverit. Inter eos me in re dubia poni malo, qui dicunt, Eugenium ante Martini mortem vicarium ejus fuisse. (2) Illud certum affirmo, Eugenium benignita- Pag. an. 652. S. 3. An. 654. S. 4.

(1) Edemundus Martene De Antiquis Ecclesiæ ritibus lib. 1. c. 8. art. 3. n. 2. *Minores Ordines infantibus ipsis conferri potuisse, testantur Siricii Papæ epistola I. & Zosimi item Papæ epistola I. Re vera autem collatos fuisse constat ex Libro Pontificali, in quo Eugenius Papa* I Clericus a cunabulis *legitur*.

(2) Martino I. anno 653. XIII. Kal. Jul. in Græciam deportato, Archidiaconus, Archipresbyter, & Primicerius Notariorum Romanam Ecclesiam administrandam susceperunt.

tate, mansuetudine, affabilitate, munificentia in pauperes, aliisque virtutibus eluxisse, *nec tantum Sedis, sed etiam Sanctitatis D. Martini successorem* exsti-

runt. Hoc testatur Martinus idem Epist. 15. apud Labbeum tom. 6. Conc. pag. 65. *Jussio a Calliopa porrecta est Presbyteris & Diaconibus, in qua humilitatis meæ abjectio continebatur, quod irregulariter & sine lege Episcopatum surripuissem, & non essem in Apostolica Sede dignus institui, sed omnimodis in hanc Regiam Urbem transmitti, subrogato in loco meo Episcopo: quod necdum factum est, & spero, quod nec aliquando fieri habeo, quia in absentia Pontificis Archidiaconus, & Archipresbyter, & Primicerius locum præsentant Pontificis*. Epistola hæc scripta est post diem 17. Septembris an 654. quo die Martinus Constantinopolim appulit. Eo autem tempore ipsum latebat Electio Eugenii, alioquin non scripsisset, numquam contigisse, ut in locum Pontificis absentis alius subrogaretur, & sperare se, numquam id factum iri. Ast audito, Romanum Clerum ab Exarcho Calliopa vi compulsum fuisse ad eligendum novum Pontificem, eaque de caussa Eugenium sibi substitutum; ne cui Monothelitarum fautori Pontificatus traderetur ab Imperatore, statim eam electionem se non improbare professus est epist. 17. quæ exstat apud Labbeum tom. 6. Conc. pag. 76. & apud Baronium ad an. 652. §. 7. *Verumtamen Deus per intercessionem S. Petri stabiliat corda eorum in Orthodoxa Fide, & confirmet contra omnem hæreticorum & adversariorum Ecclesiæ nostræ personam, & immobiles custodiat, præcipue Pastorem, quem eis nunc præesse monstratur*. Ex his colligunt nonnulli, Eugenium fuisse Pontificem etiam Martino vivo. Baronius ad an. 652. §. 11. & ad an. 654. §. 6. existimat, Eugenium Martino superstite vicarium fuisse, & duntaxat post Martini obitum, novo accedente consensu Cleri, esse cœpisse verum Pontificem. Nam quid vetat, quominus dicamus, ideirco Eugenium tum Pontificem designatum, ut ipse unus, id postulante Ecclesiæ necessitate, pro Archidiacono, Archipresbytero, & Primicerio, gereret vices Pontificis exulantis, ideoque appellatum Romanæ Ecclesiæ *Pastorem* a Martino, quod absentis legitimi *Pastoris* officio fungeretur? At enim jamdiu moris erat, ut mortuo, vel absente Pontifice, a tribus memoratis viris Ecclesia regeretur, non autem Vicarius ei præficeretur. Quid postea? Non ne moris etiam erat, ut absente, ac nondum vita defuncto Pontifice, alius Pontifex non crearetur? Deinde nulla ne res nova in-

sti-

stitisse, ut ait Baronius in annotat. ad Martyrologium IV. Nonas Jun. quo die anno 657. moriens æternam beatitatem consecutus est, cum Pontificatum gessisset a tempore quidem electionis suæ *annos duos, menses octo, dies viginti quatuor*, ab exitu autem Martini *annum unum, menses octo, dies quindecim*. Bar. an. 655. § 1. Pag. § 2.

LXXVIII.

S. VITALIANUS.

ANNO CHRISTI 657.

CONSTANTIS II. IMPERATORIS 17.

VITALIANUS Anastasio *Pontratio*, ut Ciaconius dicit, Signiæ in Campania natus, anno 657. III. Idus Augusti Pontificatum obtinuit. Clericorum, a quibus cooptatus fuerat, cœtu vix dimisso, legavit *Responsales suos*, ut ait Anastasius, ad Constantem & Constantinum cognomento *Pogonatum* (1) ejus filium, factum consortem Imperii, cum *Synodica*, qua significabat, se Pontificem designatum, simulque annitebatur Constantem alienare a Monothelitis. Idem Constans per eosdem legatos dono misit D. Petro librum Euangeliorum au- Bar. an. 655. § 2. 3. Pag. § 2. 3. 6. Pag. 131.

stitui debet, & quod nondum est factum, id, ne si utile quidem ac necessarium sit, fieri oportet? Quid tam utile ac necessarium, quam ut a Clero Romano eligeretur, qui personam sustineret Pontificis, & periculum ab Imperatore Monothelita metuendum averteret?

(1) *Quia Byzantio solvens tenera adhuc lanugine fuerat, e Sicilia vero promissam barbam retulerat*, Pogonati *cognomen accepit a Civibus*. Zonaras lib. 14. Annalium pag. 70. edit. Venetæ Πώγων enim *barba* est.

Responsales *Nuntii, interdum & Apocrisiarii, & qui Responsa, seu negotia Ecclesiastica peragebant*: Ducangius in Glossario. Vide Annotation. 5. ad S. Agapetum.

auro gemmisque ornatum. Quod munus, licet Imperatoris adhuc hæretici, Vitalianus accepit libenti animo: quin eidem venienti Romam obviam ad sextum lapidem egressus est amplissimo pompæ genere, ut illum sibi, & Ecclesiæ faceret benevolum. Constans dies duodecim in Urbe moratus, & munificus fuit, & rapax. Multa Basilicis obtulit, multa abstulit Urbis ornamenta, nec tegulis æreis augustissimi Templi, quod *Pantheon* appellant, pepercit. (2) Quinto post mortem Constantis anno, Christi 672. VI. Kal. Februar. e vivis abiit Vitalianus, quem *Organis* uti cœpisse, Platina scribit. (3) Pontifex fuit *annos quatuordecim, menses sex, dies decem septemque*.

Bar. an. 663. §. 1. 2. Pag. §. 2.

Bar. an. 669. §. 1. Pag. §. 2. Pag. 74.

LXXIX.

ADEODATUS.

ANNO CHRISTI 672.

CONSTANTINI POGONATI 5.

ADEODATUS Jobiniani filius, Romanus, Monachus, X. Kal. Majas anno 672. Pontifex factus est. Hic *instituendi eligendique Ducis Apostolica auctoritate jus Venetis perpetuo confirmavit*. (1) Ratum etiam habuit privilegium a Crotperto Turonensi Episcopo concessum monasterio S. Martini. Ejus privilegii summa erat, ut Episcopo Turo-

Bar. an. 669. §. 3. Pag. §. 4.

Bar. an. 676. §. 1. 2. Pag §. 2. 3.

(2) Vide annotat. 1. ad Bonifacium IV.

(3) Nonnulli apud Ludovicum Cresollium lib. 3. Mystagogi cap. 27. ajunt, *Organa* in Ecclesiis audiri cœpta, permissu Damasi Pontificis. Bona De divina Psalmodia cap. 17. §. 2. num. 5. Platinæ sententiam magis probat. Multa in hanc rem Stephanus Durantus lib. 1. De ritibus Eccl. Cath. cap. 13.

(1) Petrus Justinianus lib. 1. Rerum Venetarum pag. 6.

ronensi, in cujus Diæcesi erat Monasterium illud, jus tantum esset initiandi Monachos Ordinibus sacris, confectumque ab se chrisma illis concedendi. (2) Obiit VI. Kal. Jul. anni 676. post *annum quartum, mensem secundum, & diem quintum*, quam Pontificatum gerere cœperat.

LXXX.

DONUS I.

ANNO CHRISTI 676.

CONSTANTINI POGONATI 9.

DONUS, Mauricii filius, Romanus, anno 676. Kal. Novembr. in Petri Sede collocatur. (1) Huic Ravennatem Ecclesiam subjecit Archiepiscopus Reparatus, cujus decessor proximus Maurus, Exarchorum potentia fretus, Romani Pon- Bar. an. 676. §. 7. Pag. §. 2.

N

(2) *Hoc privilegium suspectæ fidei esse videtur* Joanni Launojo *Assertione in privilegium S. Medardi* part. 3. cap. 20. Pro vero ac legitimo habet Radulphus Monsnyerus in libro De juribus Ecclesiæ S. Martini Turonensis, & ea refellit, quæ in contrarium affert Launojus. Carolus Cointius in Annalibus Ecclesiæ Francorum ad an. 674. §. 33. 99. rationibus utriusque partis examinate perpensis, accedens Monsnyero ita concludit. *Privilegium igitur, quod Crotpertus Turonensis Episcopus Monasterio S. Martini concessit, & Adeodatus Romanus Pontifex Apostolica post auctoritate confirmavit, nec supposititium, nec subreptitium putamus, cum nihil in eo legatur, quod illorum temporum consuetudini, formulæque privilegiorum tunc usitatæ repugnet. In eadem sententia versatur Joannes Maan, Turonensis Ecclesiæ Canonicus ac Præcentor, in Historia Turonensi*, ubi *in assertionis suæ testes allegat, quos supra in eadem caussa Papyrium Massonum, & Cæsarem Baronium laudavimus*. Ab his non dissentit Mabillonius lib. 1. De Re Diplomatica cap. 3. §. 9.

(1) Alii *Domnum, vel Domnionem, alii Conum sive Cunonem appellant:* Baronius ad an. 676. §. 7.

Pontificis obedientiam abjecerat, Vitaliano regnante. (2) Eidem epiſtolam ſcripſit de indicendo Concilio generali, idque eo fecit, *ut ſancta Dei Eccleſia diſſidium ubique paſſa a temporibus Heraclii Imperatoris proavi ſui, & vaſani Sergii & Pyrrhi, qui Conſtantinopolitano throno indigne præfecti, unam voluntatem, unamque item actionem in Domino & Deo & Salvatore noſtro Jeſu Chriſto docebant, in unionem atque concordiam revocaret*. (3) Epiſtolam non accepit Donus præreptus morte, ſed Agatho, qui proximus poſt ipſum Pontifex fuit. Mortuus autem eſt anno 678. III. Idus April. cum *annum unum, menſes quinque, & dies decem* Pontificis ſummi munere functus eſſet.

Bar. an. 678. S. 1. 3. 11. Pag. S. 2.

LXXXI.

S. AGATHO.

ANNO CHRISTI 678.

CONSTANTINI POGONATI 11.

AGATHO, Siculus, Monachus, anno 678. ante diem V. Kal. Jul. Pontifex conſtituitur, qui poſtquam de indicendo univerſali Concilio egit cum Imperatore Conſtantino, Romæ centum viginti quinque Epiſcoporum conventum habuit contra Monothelitas. Electi in eo legati Conſtantinopolim mittendi ad generalem Synodum: ſcripta item ad Conſtantinum, ejuſque fratres Auguſtos, ab Agathone epiſtola duplex, altera quidem ſuo, altera autem & ſuo, & Synodi nomine, quibus veram ſanamque Catholicorum

Bar. an. 678. S. 11. Pag. S. 2. Bar. an. 680. S. 1. 4.

(2) Hieronymus Rubeus Hiſt. Ravenn. lib. 4. pag. 208.

(3) Theophanes in Chronographia pag. 238. edit. Venetæ.

rum doctrinam exposuit adversus errorem Monothelitarum. Abjecta Romano hoc Concilio, aliisque jussu Agathonis alibi celebratis Monothelitica hæresis, quæ cum annos amplius quadraginta Orientalem Ecclesiam divexasset, ab Synodo demum generali validiore ictu percussa concidit. (1) Est præterea aliud hujus Pontificis illustre factum. An. 681. S. 55.

N 2 Nam-

(1) Est Oecumenica VI. Constantinopolitana III. quam piissimus Imperator Constantinus Pogonatus, consilio cum Agathone communicato, anno 680. edixit Constantinopolim, ad damnandos Monothelitas contendentes, unam esse in Christo voluntatem, unamque operationem, quam *Theandricam* seu *Deivirilem* appellabant. Locus Concilii Secretarium sacri Palatii, cui *Trullo* cognomen a forma tecti in rotundam concamerationem constructi. Numerus Episcoporum, qui Concilio interfuerunt, haud facile iniri potest. Ducentos undenonaginta invenio in annalibus Græcorum, tam apud Cedrenum, quam apud Theophanem: Theodorus Balsamon 171. numerat: Photius in lib. de Synodis 170. Paulus Diaconus De gestis Langobardorum lib. 6. cap. 4. Beda lib. de sex ætatibus, Anastasius in Leone II. aliique non plus 150. Subscriptiones exhibent Episcopos 166. una cum Legatis, Presbyteris, & Diaconis. *Tria genera Legatorum Apostolicæ Sedis interfuerunt: quorum alii Vicarii Agathonis Papæ dicebantur, alii Legati totius Concilii Apostolicæ Sedis, alii vero Legati Apostolicæ Sedis, scilicet Episcopi Thessalonicæ & Corinthi*, ut ait Petrus de Marca lib 5. De Concordia Sacerd. & Imp. cap. 6. §. 4. Quæ est etiam Baronii sententia ad an. 680. § 4. Agathonis Legati Theodorus & Gregorius Presbyteri & Joannes Diaconus: Concilii Joannes Portuensis, Joannes Regiensis, & Abundantius Paternensis Episcopi. Præfuerunt Legati Agathonis. Concil. Oecum. VI.

Concilium duodeviginti actionibus intra menses paullo amplius tredecim perfectum est. Tribus primis lecta sunt acta trium generalium Synodorum Ephesinæ Oecum. III. Chalcedonensis Oecum. IV. & Constantinopolitanæ II. Oecum. V. Actione quarta recitatæ duæ Agathonis & Romani Concilii Epistolæ, ex Latino in Græcum sermonem translatæ, quibus Catholicum dogma geminæ in Christo voluntatis & operationis explanabatur. Actionibus V. & VI. Macarius Antiochenus Patriarcha, Monothelitarum pervicacissimus,

Namque eo petente Constantinus per *Divalem jussionem*, ut ait Anastasius, remisit pecuniæ summam
Pag. 140. ab Pontificibus recens electis pendi solitam ad obtinendam confirmationem electionis. (2) Insignis prorsus sanctimonia vitæ fuit. Decedens anno

simus, jussu Imperatoris protulit nonnulla Patrum testimonia, quibus jactabat unam in Christo voluntatem probari. Sed Apostolicæ Sedis Legati & cœtus omnis, vitiata illa esse & corrupta, demonstrarunt. Actione VII. allatæ Patrum auctoritates, quæ duas in Christo voluntates & operationes probabant. Reliquis Actionibus, præter Monothelitarum hæresim, & scripta, Heraclii *Ecthesim* ac *Typum* Constantis, damnatæ etiam personæ. Et quidem ex iis, qui jam decesserant, sceleris principes Theodorus Pharanitanus, Cyrus Alexandrinus, Sergius, Pyrrhus, Paulus, & Petrus Constantinopolitani Episcopi: ex iis autem, qui adhuc erant in vivis, Macarius Antiochenus Patriarcha, Stephanus ejus discipulus, aliique. Decretum est postea, ut habetur apud Labbeum tom. 6. Conc. pag. 1025, *duas naturales voluntates in eo* (Christo) *& duas naturales operationes indivise, inconvertibiliter, inconfuse secundum Sanctorum Patrum doctrinam adæque prædicandas: & duas naturales voluntates non contrarias, juxta quod impii asseruerunt Hæretici, sed sequentem ejus humanam, & non resistentem, vel reluctantem, sed potius & subjectam divinæ ejus atque omnipotenti voluntati*. Huic Concilio Patres Concilii Toletani XIV. can. 7. quintum inter Concilia Oecumenica locum tribuunt. Ejus rei caussam fuisse, refert Baronius ad an. 684. §. 6, quod illas tantum Synodos numeraverint, in quibus de Fide Catholica disceptatum est, omissa Synodo quinta, in qua actum est de personis tantum. Vide annotat. 7. & 8. ad Vigilium.

(2) Petrus de Marca lib. 8. De Concordia Sacerd. & Imp. cap 9. §. 10. *Constantinus quidem Pogonatus post Concilium sextum indulsit petitionibus Joannis Episcopi Portuensis, ut libera esset Ecclesia Romana a solutione quantitatis, quæ solvenda erat pro confirmatione Pontificis Romani. Sed confirmationis necessitas tunc non est sublata. Quin potius additum fuit illi Divali jussioni, teste Anastasio*, in vita Agathonis pag. 140. quod non debeat ordinari, qui electus fuerit, nisi prius decretum generale introducatur in regiam Urbem, secundum antiquam consuetudinem, & cum eorum conscientia

no 682. IV. Idus Januar. in Beatorum numerum receptus est, cum Romanam Ecclesiam rexisset *annos tres, menses sex, & dies quatuordecim.* Bar. An. 682. §. 1. Pag. §. 2.

LXXXII.

S. LEO II.

ANNO CHRISTI 682.

CONSTANTINI POGONATI 15.

LEO II. Pauli filius, Siculus, XVI. Kal. Septembr. anno 682. *ordinatus est a tribus Episcopis, id est Andrea Ostiensi, Joanne Portuensi, & Placentino Veliternensi, pro eo quod Albanensis Ecclesia Episcopum minime habuit.* (1) Fuit disertus, divina- Pag. an. 682 §. 3. & an. 683. §. 2. Bar. an. 683. §. 1.

N 3 rum

tia & jussione debeat ordinatio provenire. *Idem Princeps postea concessit Benedicto secundo petenti ut absque mora post electionem fieret ordinatio Pontificis. Quod locum habuit in electione Joannis quinti. Sed successoris Cononis electio missa fuit ad Theodorum Exarchum*, ut mos est, *inqnit Anastasius. Unde inferri potest, liberatos fuisse Romanos ab onere mittendi decreti Constantinopolim, sed obnoxios fuisse Exarchorum examini, donec ipsi tandem Exarchi defecere.*

(1) Anastasius Bibliothecarius in Vita Leonis II. pag. 243. cujus auctoritate refelluntur, qui putant, ante Leonem II. consuevisse Romanum Pontificem ab uno tantum Ostiensi Episcopo consecrari. Cum enim dicat Anastasius, ideo in locum Episcopi Albanensis subrogatum Veliterniensem, quod Albanensis Ecclesia Episcopo careret, id argumento est, moris antea fuisse, ut simul cum Ostiensi & Portuensi etiam Episcopus Albanensis Ordinationi Romani Pontificis ministraret. Quam sententiam confirmat Mabillonius cap. 18. Commentarii in Ordinem Romanum tom. 2. Musei Italici pag. 118. ac postea subjicit in hunc modum: *Certe ordinationes Episcoporum a tribus Episcopis, etiam ante Nicænum Concilium, Romæ factas fuisse, colligimus ex facto Novati, qui accitos Romam tres Episcopos temulentos, hora decima inclusos, adumbrata quadam & inani manuum impositione episcopatum* *sibi*

rum Scripturarum peritus, Græce & Latine doctus: cumque ipse paupertatem amaret, aliorum inopiam solicite sublevabat. ***Sanctum sextum Concilium***, cujus acta Legati Romam detulerant, prioribus quinque Oecumenicis Synodis ***digne connumerari, tamquam una*** *& æquali Dei gratia congregatum*, *decrevit*, (2) atque *de Græco in Latinum transtulit*.

Bar. an. 683. §. 16. Pag. §. 8. (3) Ejus exemplum misit in Hispaniam, deque re ea ad Hispaniarum Episcopos, Regemque Eruigium epistolas dedit. Utramque suppositititiam putant aliqui, quod in utraque Honorius Pontifex cum Monothelitis anathemate percussus legatur. At ille non damnatur propter hæresim, sed propter negligentiam in hæresi extinguenda. (4) Leonis, opinor, hortatu Constantinus decrevit, *ut defuncto* (Ravennate) *Archiepiscopo, qui electus fuerit, juxta antiquam consuetudinem in Civitatem Romanam veniret ordinandus*. (5) Anno 683. V. Nonas Jul. decessit, post *menses decem*, *& dies septemdecim*, quam in Petri sede fuerat collocatus.

Bar. an. 684. §. 1.

Pag. an. 684. §. 2.

LXXXIII.

sibi tradere coegit, scribente Cornelio Papa in epistola ad Fabianum Antiochenum apud Eusebium in lib. 6. cap. 43. unico contentus quidem futurus, si unus ad consecrandum Romanum Antistitem tunc suffecisset.

(2) Leo II. epist. ad Constantinum Imperatorem apud Labbeum tom 6. Conc. pag. 1116.

(3) Sigebertus De Scriptor. Ecclef. cap. 59. Trithemius cap. 236. apud Fabricium in Bibliotheca Ecclesiastica, qui hanc subdit annotationem: *Ceterum Acta* Sextæ Synodi *a Leone* II. *versa esse Latine, incertum, qua fide Trithemius affirmet*.

(4) Leo II. epist. ad Eruigium apud Labbeum tom. 6. Conc. pag. 1252. *Honorius Romanus, qui immaculatam Apostolicæ traditionis regulam, quam a prædecessoribus suis accepit, maculari consensit*. Vide annotat 4. ad Honorium.

(5) Anastasius Bibliothecarius pag. 142.

LXXXIII.

S. BENEDICTUS II.

ANNO CHRISTI 684.

CONSTANTINI POGONATI 17.

BENEDICTUS II. Joannis filius, Romanus. Nondum Pontifex inauguratus epistolam scripsit ad Petrum Notarium Regionarium, a Leone II. missum in Hispaniam cum decretis Synodi sextæ, monens illum, ut datum sibi negotium conficeret, & ea, quæ a sexto Oecumenico Concilio statuta fuerant, ab Hispaniæ Episcopis approbanda curaret. (1) Pontificatu VI. Kal. Jul. anno 684. initiatus accepit litteras Hispanorum datas e Concilio Toletano XIV. quibus significabant, se decreta Synodi sextæ recipere ac venerari. In his cum reperisset, *tres in Christo affirmari inesse substantias, subdividendo humanam in corpus & animam; veritus, ne secundum numerum substantiarum tres etiam statuerent*

Bar. an. 684. S. 2. 3. 7. Pag. S. 1.

Bar. an. 685. S. 4. 7. Pag. S. 5.

(1) Ex inscriptione memoratæ epistolæ, quæ talis est apud Lab. tom. 6. Conc. pag. 1278. *Benedictus Presbyter & in Dei nomine Electus sanctæ Sedis Apostolicæ, Petro Notario Regionario*, intelligi potest vel in ipsius Benedicti II. electione, vel paullo ante desiisse morem illum, de quo dictum est annotat. 1. ad Joannem IV. nimirum tam Apostolica Sede vacante, quam Pontifice absente, regimen Ecclesiæ fuisse penes Archipresbyterum, Archidiaconum, & Primicerium Notariorum. Viri enim illi tres duntaxat epistolis vacante Sede Pontificia scriptis præponebant nomen suum, nec electi Pontificis nomen adiiciebatur, nisi esset ex eorum numero. Cum igitur in hac epistola solus *Benedictus Electus* inscriptus sit, id est argumento, Ecclesiæ regimen fuisse penes ipsum, licet nondum initiatum, ideoque aut exolevisse, aut abrogatum fuisse veterem morem. Vide annotat. 5. ad Nicolaum II.

rent in Domino voluntates, divinam, rationalem, & sensualem, ne quid novi vel in verbis assereretur, cito occurrendum putavit. Rursum vero cum in eisdem litteris offendisset vocem hanc: *Voluntas genuit voluntatem, sicut & sapientia sapientiam*, hoc similiter, *ne eodem modo duæ dici a Catholicis voluntates ab aliquo vel suspicari posset, elucidatione indigere significavit.* (2) Idem tanto in honore atque existimatione a Constantino Pogonato habitus est, ut ei, tamquam Parenti, filios suos Justinianum & Heraclium enixe commendaret, (3) decedensque de jure confirmandi electionem Pontificis permitteret eum consecrari sine ullo Imperatoris aut Exarchi consensu. (4)

(2) Baronius ad an. 685. §. 7.
Rodericus Toletanus Archiepiscopus parum in Romanum Pontificem æquus fuit, scribens, apud Baronium ad an. 685. §. 5. Hispanorum Episcoporum epistolam seu librum De tribus substantiis, *minus caute tractando Benedictum Papam indixisse reprobandum*. Non enim prolatas in eo libro sententias Benedictus reprobavit, sed explanari voluit ad tollendam ambiguitatem. Quod biennio post in Concilio Toletano XV. obedienter factum est.

(3) Baronius ad an. 684. §. 7. *Anastasius narrat his verbis:* Hic, *Benedictus scilicet*, una cum Clero & exercitu suscepit mallones capillorum dominorum Justiniani & Heraclii, filiorum clementissimi Principis, simul & ejus jussionem, per quam significabat eosdem capillos direxisse. *Hæc Anastasius per mallones cirros intelligens capillorum: μαλλὸς enim Græce, idem quod Latine vellus. Quid autem hoc significaretur symbolo, ex Pauli Diaconi loco possumus intelligere, qui hæc ait:* Circa hæc tempora Carolus Princeps Francorum Pippinum filium suum ad Luitprandum direxit, ut ejus juxta morem capillum susciperet. Qui ejus cæsariem incidens, ei pater effectus est, multisque eum ditatum regiis muneribus genitori remisit. *Hæc ipse, ex quibus eam his temporibus videas consuetudinem viguisse, ut per ejusmodi exhibitionem capillorum quis alicui offerretur in filium, & qui eos acciperet, patris nomen consequeretur. Sic igitur pius Imperator voluit, ut filii sui scirent, se Romanum Pontificem peculiarem habere parentem, cujus monitis impensius parere deberent, eumdemque ut patrem diligere, ac revereri.*

(4) Mortuus est anno 685. Nonis Maji, *mense decimo & die duodecimo* post initum Pontificatum.

LXXXIV.

JOANNES V.

ANNO CHRISTI 685.

JUSTINIANI II. IMPERATORIS 1.

JOANNES V. natione Syrus, patria Antiochenus, Cyriaci filius, & Agathonis ad Synodum Oecumenicam sextam Legatus. Unde colligas, nec pietatem, nec prudentiam, nec eruditionem ei defuisse. *Hic post multorum Pontificum tempora, vel annorum juxta priscam consuetudinem a generalitate in Ecclesia Salvatoris, qua appellatur Constantiniana, electus est*, & X. Kal. Augusti anno 685. Pontifex *consecratus a tribus Episcopis Ostiensi, Portuensi, Veliterniensi, sicut prædecessor ejus Leo Papa.* (1) Ex his apparet, Albanensem Ecclesiam Episcopo adhuc caruisse. Nullam rem gessit magnam memoratu Pontificatus tempore, quod intra *annum unum & dies novem* exactum est. Diutino enim morbo laboravit, & Kal. Augusti anno 686. diem obiit supremum.

Bar. an. 685. §. 10. Pag. §. 7.

Bar. an. 686. § 1. Pag. §. 2.

LXXXV.

(4) *Itaque sanctio Constantini IV. non fuit circa potestatem Papæ, ut Lutherus putavit, sed circa electionem tantum:* Bellarminus lib. 2. de Rom. Pont. cap. 17. Vide Thomassinum De vet. & nova Ecclesiæ disciplina part. 2. lib. 2. cap. 16. §. 10. & annotat. 2. ad S. Agathonem.

(1) Anastasius in vita hujus Pontificis pag. 145. Binius apud Labbeum tom. 6. Conc. pag. 1286. *Joannes V. primus inexpectata Constantinopolitani Imperatoris auctoritate, in Romanum Pontificem consecratus est.*

LXXXV.

CONON.

ANNO CHRISTI *686.*

JUSTINIANI II. IMPERATORIS 2.

NOVI Pontificis lectionem contentio distulit. Clerus enim Petro Archipresbytero suffragabatur: Judices vero, & principes exercitus Theodoro Presbytero. Cum diu certatum nequicquam esset, pacis studio Clericorum oculi conjecti in Cononem, virum moribus, eruditione, & ætate jam exacta verendum. Ad hunc, concordibus totius Cleri suffragiis Pontificem creatum, etiam adversariæ factionis duces paucis post diebus haud gravate acclinarunt, & legatos utrique de communi consilio ad Theodorum Exarchum, *ut mos est, direxerunt.* (1) Conon igitur, genere Thrax, in Sicilia educatus, & Romanæ Ecclesiæ Presbyter, anno 686. XII. Kal. Novembris summo Sacerdotio præfectus est. (2) Cui cum *menses undecim* adversa con-

Bar. an. 686. §. 2. Pag. §. 2.

Bar. an. 687. §. 1. Pag. §. 2.

(1) Anastasius in vita hujus Pontificis pag. 147.
Thomassinus De vet & nova Ecclesiæ disciplina part. 3. l. 2. cap. 16. §. 10. *Non ait*, ut mos erat, *tunc enim tantum cæpta, vel innovata ea est consuetudo, ut non crearetur Pontifex absque Exarchi consensu, dum scilicet per militares copias ipse faceret, ut non alius, quam qui sibi cordi esset, Romanus Pontifex crearetur: ex quo & illud obortum est malum, ut ambientes Pontificatum per Exarchi ministerium illum consequi conarentur, sive muneribus, sive aliis officiis hominem demerentes. Factum est, ut Clero Romano in contrarium annitente, sæpe Schismata conflarentur, prout hic contigisse vidimus, & in ejus successoris electione.* Baronius ad an. 686. §. 3. Vide annotat. 2. ad Agathonem.

(2) Mabillonius Comment. in Ordinem Romanum cap. 18,

conflictatus valetudine præfuisset, anno insequente XI. Kal. Octobris mortem oppetiit.

LXXXVI.

S. SERGIUS I.

ANNO CHRISTI 687.

JUSTINIANI II. IMPERATORIS 3.

SERGIUM Tiberii filium Antiochenum, Panormi in Sicilia educatum, S. R. E. Presbyterum Cleri pars major, & Judicum ac exercitus principes Catholicæ Ecclesiæ administrandæ præfecerunt. Hac ratione diremtum est certamen de Pontificatu ortum inter Theodorum Archipresbyterum & Paschalem Archidiaconum, quibus eodem tempore Sacerdotium summum deferebat populus di-

Bar. an. 687. §. 2. 4. 6. Pag. §. 3.

18. tom. 2. Musei Italici pag. 116. *In Cononis creatione hæc Anastasius commemorat, Cononem* Sacerdotes & Clerus unanimiter *apud Lateranum* elegerunt. *Mox* omnes judices una cum Primatibus exercitus ad ejus salutationem venientes, in ejus laudes acclamaverunt. Videns exercitus unanimitatem Cleri & populi, *electioni factæ* consenserunt, atque in ejus decreto *cum eisdem* subscripserunt. *Demum iidem una cum Clero & populo* Missos suos ad Exarchum, ut mos est, direxerunt. *Electio itaque primo fiebat per Clerum: deinde salutatio & acclamatio per Judices & Primates. Sequebatur consensus exercitus: omnium denique subscriptio in Decreto, quod ad Exarchum, & ad Imperatorem mittebatur.*

Quænam fuerit novo Pontifici facta salutatio, signantius explicat idem Auctor, ubi de Valentini *electione agit in Palatio Lateranensi facta. Electus* condignis gloriæ laudibus & honoris amplitudine ad Lateranense Patriarchium deductus *memoratur*, & in Pontificali positus throno, *ejusque pedes* omnis Romanorum Senatus osculatus est: *quod etiam in Leone IV. servatum juxta* morem antiquum. *Id vero* salutationis *nomine appellat Anastasius*. Vide Pagium ad an. 686. §. 4. 5. 6.

distractus in factiones duas. Sergius itaque anno 687. XVIII. Kal. Januar. Pontifex inauguratus est. Hic

Bar. an.688. §. 5.

factam ab Episcopis Hispaniarum in Concilio Toletano XV. expositionem earum sententiarum, quas Benedictus II. jusserat clarius explanari, per legatos missam ad se comprobavit. Contra vero nullis

An. 692. §. 34. 35. Pag. §. 15.

Justiniani precibus, nullis minis perduci potuit, ut Canonibus Synodi Constantinopolitanæ in Trullo celebratæ præberet assensum suum. (1) Quare elatus

Synodus Quinisexta

(1) Synodus hæc appellatur Πενθέκτη, *Quinisexta*, quod auctore Justiniano II. cui *Rhinotmeto* cognomen nares præcisæ fecerunt, indicta sit ad supplendas quintam & sextam Synodos Oecumenicas, quæ nullos canones ediderant ad Ecclesiasticam disciplinam stabiliendam, & mores regendos. *Erratica* vocatur a Beda in libro De sex ætatibus mundi pag. 116. Dicitur etiam *Trullana*, quod in *Trullo* magni Palatii, eodem videlicet loco, ubi Sexta Oecumenica, habita sit. Celebrata autem est anno 691, vel insequente. Numerus Episcoporum, qui interfuerunt, varius est. Alibi 240, alibi 227, alibi 211. invenio. Nec de Præside satis constat. Sunt, qui Callinicum Pauli Constantinopolitani Patriarchæ successorem, nec desunt, qui Paulum ipsum Concilio præfuisse scribant. Paulus sane canonibus subscripsit, ut antiquorum Codicum testimonio ostendit Matthæus Blastares in Nomocanonis præfatione. Legati Sedis Apostolicæ, quos huic Concilio interfuisse, ac *deceptos subscripsisse*, narrat Anastasius, pag. 151, fuerunt *Apocrisiarii* seu *Responsales*, apud Imperatorem negotia universalis Ecclesiæ, tum ad Fidem, tum ad Disciplinam pertinentia, procurare soliti, quibus Romani Pontifices liberum de re aliqua decernendi arbitrium non permittebant. Neque enim Legati ab Sergio cum liberis mandatis ad hoc Concilium missi, ut a Baronio ad an. 692. §. 10. & Petro de Marca lib. 5. De Concordia cap. 18. ostensum est contra Balsamonem, qui contendit, conventum istum *Trullanum* habere auctoritatem Synodi Oecumenicæ, quod instructus fuerit Legatis Sedis Apostolicæ. Quod etiamsi verum esset, id tamen nihil momenti faceret. *Nisi enim*, ut addit Baronius §. 13, *quæ in Synodis a Legatis sunt gesta, ea confirmentur a Romano Pontifice, subscriptioneque roborentur, nullius esse roboris convincuntur*. Hinc centum & duo canones ab hac Synodo conditi, qui ab Romano Pontifice ap-

tus ita Cæsar, *misso Zacharia Protospatario suo* (2) (Pontificem) *jussit Constantinopolim deportari. Sed militia Ravennæ vicinarumque partium jussa Principis nefanda contemnens, eumdem Zachariam cum contumeliis ab Urbe Roma & injuriis pepulit.* (3) Ejusdem Pontificis consilio & prudentia factum, ut Aquilejensis Ecclesia, jamdiu ab Romana, aliisque omnibus, quæ *Tria Capitula* damnaverant, dissociata, in pristinam cum iisdem communionem rediret, atque ita demum schisma Istricum extingueretur. (4) Fuit etiam rebus divinis regendis intentus. Namque *statuit, ut tempore confractionis Dominici corporis* Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, misere-

Bar. an. 698. §. 14.

An. 701. §. 1. 7. Pag. §. 1.

approbati non sunt, vim omnino nullam a Synodo habent, quamvis omnes fere pertineant ad revocandos veteres ac probos mores. Gregorius II. & Hadrianus I. & Septima Oecumenica Synodus aliquos ex his canonibus usurparunt, seu quia Græcos, contra quos agebant, telis suis configere voluerunt, seu quia *Quidquid verum a quocumque dicitur, a Spiritu Sancto dicitur*, ut ait S. Ambrosius, seu alius auctor Commentarii in Epist. 1. ad Cor. cap. 12. Vide Baronium ad an. 692. §. 15. usque ad 34.

(2) Cedrenus in Compendio Historiarum pag. 134. edit. Venetæ: *Spatarius est corporis custos*. Protospatarius est primus ac princeps Spatariorum.

(3) Paulus Diaconus De gestis Langobardorum lib. 6. cap. 11. tom. 1. scriptor. Rer. Italic. pag. 414.

Ciacconius in vita hujus Pontificis: Hæc *prima vis Italicæ gentis pro Pontificibus Romanis adversus impotentem Cæsarum dominationem fuit*.

(4) Beda in libro De sex ætatibus mundi pag. 116. *Synodus Aquilejæ facta ob imperitiam Fidei, quintum universale Concilium suscipere diffidit, donec salutaribus beati Papæ Sergii monitis instructa, & ipsa huic cum ceteris Christi Ecclesiis annuere consentit*. Eadem habet Paulus Diaconus lib. 6. De gestis Langobardorum cap. 14. eadem fere Anastasius in vita Sergii pag. 154. Vide Norisium in dissertat. De Synodo quinta cap. 9. §. 6. & Pagium ad an. 698. §. 13. & 14. ubi ita concludit: *Sub Sergio finem accepit controversia illa, sedente Vigilio Papa, exorta*.

rere nobis, *a Clero & populo decantaretur*. (5) Instituit præterea, ut supplicationes seu *Litaniæ* quotannis haberentur *diebus Annuntiationis*, *Nativitatis*, *& Dormitionis sanctæ Dei Genitricis*, *semperque Virginis Mariæ*, *ac Santi Simeonis*, *quam* Hypapantem *Græci appellant*. (6) Cum *annos tredecim*, *menses octo*, *dies tres & viginti* Pontifex fuisset, decessit anno 701. VII. Idus Septembris. Huic in Martyrologio

(5) Anastasius Bibliothecarius in Vita hujus Pontificis pag. 154.

Walafridus Strabo De Reb. Eccl. cap. 22. Bibl. Patr. tom. 15. pag. 193. *Agnus Dei in confractione Corporis Domini a Clero & populo decantari Sergius constituit*, *ut dum præparatur ad dispensandum corpus Dominicum*, *rogent accepturi*, *quatenus ille*, *qui pro eis oblatus est innocens* , *faciat eos salubriter pignora salutis æternæ percipere*.

Bona lib. 2. Rer. Liturgic. cap. 16. §. 5.

Sergius quidem instituit ter dici Miserere nobis , *sed multis postea ingruentibus Ecclesiæ adversitatibus* , *ut ait* Innocentius lib. 6. de mysteriis Missæ cap. 6. *sive ad tollendum schisma*, *ut alii scribunt*, *statutum fuit* , *ut in tertio diceretur* , Dona nobis pacem: *qui ritus ubique receptus est* , *excepta Basilica Lateranensi*, *in qua adhuc servatur antiqua forma dicendi ter*: Miserere nobis . *In antiquis Missalibus ante annum millesimum scriptis*, *hæc oratio tertio reperitur cum clausula*: Miserere nobis: *ex quo apparet prædictam mutationem post eum annum contigisse*. *A quo Pontifice statuta fuerit* , *nusquam memini me legisse*. *At si verax est Robertus Abbas Montensis in Supplemento Chronici Sigeberti* , *hanc pacis postulationem attulit e Cælo B. Virgo*.

Joannes Diaconus De Basilica Lateranensi cap. 6. apud Mabillonium tom. 2. Musei Italici pag. 566. *In hac Ecclesia*, *quia typum gerit Cælestis Ecclesiæ*, *die noctuque in Matutinis & Missa seu Vesperis quotidie festive pulsatur*. *Inde est*, *quod in ea non cantatur ad Missas* Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, dona nobis pacem , *quoniam ibi summa pax justorum ipse Christus erit*, *ubi perfecta & consummata in electis* , *nec postulatione opus erit*, *nec augmento*.

(6) Anastasius Bibliothecarius pag. 154. qui utitur *Dormitionis* vocabulo, apud Græcos usitatissimo , ad significandam B. Mariæ Virginis *Assumtionem*. Vide nostram Historiam Familiæ Sacræ, ubi agitur De Maria Virgine , extremo cap. 5. & 7.

gio Romano V. Idus ejusdem mensis, quo die corpus ejus sepulturæ mandatum est, habetur honos.

LXXXVII.

JOANNES VI.

ANNO CHRISTI 701.

TIBERII APSIMARI 4.

PROXIMUS post Sergium I. Pontifex fuit Joannes VI. Græcus, anno 701. V. Kal. Novembr. consecratus. De hujus electione ubi nuntiatum est Constantinopolim, actutum Tiberius Apsimarus Imperator Romam misit Theophylactum Patricium & Exarchum, qui eum quæsito prætextu vexaret. At qui paullo ante pro Sergio, idem pro Joanne exercitus stetit, & quidem tanto animorum ardore, ut necesse fuerit Pontificis jussu milites excludi, ne fœdum aliquod facinus committerent in Exarchum. (1) *Triennium, menses duos, ac dies duodecim* Pontificatum gessit. Mortuus enim est anno 705. V. Idus Januarii.

Bar. an. 701. §. 9. Pag. §. 1.

Bar. an. 705. §. 1. Pag. §. 1.

LXXXVIII.

(1) Baronius ad an. 701. §. 10. *Ex his omnibus plane conspicitur, consilio Dei factum, ut cum insurgerent in Romanos Pontifices Imperatores, Italiæ milites in eos rebellarent, malentes pro salute Pontificum in discrimen adduci, quam Græcorum manibus ipsos relinquere indefensos. Ex hoc tempore Exarchorum vires admodum tenues reddi cœpere: contra vero Romanis Pontificibus, pro quibus milites starent, aucta sunt.... Porro his favoribus militumque præsidiis nequaquam se se Pontifices extulere arripientes (quod facile factum erat) tyrannidem, sed semper (ut vidisti tum in Sergio, tum in Joanne) pro Exarchis ipsis apud milites intercessere.*

LXXXVIII.

JOANNES VII.

ANNO CHRISTI 705.

JUSTINIANI II. ITERUM IMPERATORIS 1.

JOANNI VI. anno 705. Kal. Martii sufficitur Joannes VII. & ipse Græcus, Platonis filius. (1) Hic per Legatos ab Justiniano II. in Imperium restituto rogatus est, ut canones Synodi Qui-

Bar. an. 705. §. 1. 5. Pag. §. 2.

(1) Baronius ad an. 705. §. 2. & 3. *Incredibiles perspicias fuisse Græcorum artes, quibus nisi sunt sibi subjicere (si licuisset) Romanam Ecclesiam. Quod enim confirmationi Romani Pontificis sibi tyrannice usurpatæ tandem renunciassent Imperatores, studuernnt alia via eidem Romanæ Ecclesiæ dominari, agentes nimirum, ut in collegium S. Rom. Eccl. Cardinalium allegerentur Orientales, qui etiam, opera Exarchorum annitente, crearentur Romani Pontifices. Hinc videas post Benedictum Pontificem, Joannem quintum Syrum natione creatum successorem, deinde Cononem Thracem, postea Sergium Syrum, Joannem deinde Græcum pariter ordine sextum dictum, inde hunc, de quo agimus, Joannem septimum itidem Græcum, postea Sisinnium Syrum, & post eum Constantinum pariter Syrum, itidemque Gregorium tertium Syrum etiam, nec non post eum Zachariam Græcum: ut appareat inter hos omnes vix unum Gregorium secundum intercalatum Romanum natione Pontificem.*

Sed quid accidit? utique tamquam miraculum a Deo, ut in collegium iidem cooptati S. Rom. Eccl. Cardinalium, & creati Pontifices Apostolicæ Sedis, spiritum pariter hereditarint Apostolicum, steterintque adversus omnes conatus Imperatorum & Orientalium Episcoporum, restiterintque, ac ne minimum quidem cesserint. Videas pariter hac de caussa ad eludendum eumdem conatum Imperatorum fuisse ordinationes Cardinalium Rom. Ecclesiæ infrequentes, quo necessitatem vitarent iidem Romani Pontifices Imperatorum obsequendi voluntati. Sic igitur semper ipsi elusi remanserunt Imperatores, cum suos Græcos, sive alios

Quinisextæ *congregato Concilio examinaret, & quos consentientes reperisset Catholicæ disciplinæ, probaret confirmaretque, ceteros vero pro arbitrio refutaret. Verum etsi justa hæc petitio videretur: tamen quod non deceret majestatem Apostolicæ Sedis, vel quid minimum comprobare, quod non in legitima Synodo sancitum esset, eos Joannes nec ex parte voluit comprobasse: ceterum (quod ab eo fieri expectabatur) nec voluit condemnasse, ne commoveret animum Imperatoris. Hinc est quod Anastasius subdit*: Sed Joannes humana fragilitate timidus, hos nequaquam emendans per suprafatos Metropolitanos direxit ad Principem: *Hæc ipse. Verum eos non recepisse, videri poterat condemnasse.* (2) Eodem regnante *Aripertus Rex Langobardorum donationem Patrimonii Alpium Cottiarum, quæ quondam ad jus pertinuerant Apostolicæ Sedis, sed a Langobardis multo tempore fuerant ablatæ, restituit, & hanc donationem aureis exaratam litteris Romam direxit.* (3) Quam restitutionem Luitprandus Ansprandi filius & successor, postea *Romanæ Ecclesiæ confir-*

O *ma-*

lios Orientales creatos Romanos Pontifices suis ipsorum petitionibus acerrimos adversarios reperirent, quos putabant in omnibus, gentilibus suis fore concordes: ut de ipso (de quo est sermo) Joanne Septimo accidisse probatur.

(2) Baronius ad an. 705. §. 5.

Christianus Lupus Dissertat. De Synodi Trullanæ caussa, tempore, loco, Episcopis, auctoritate: *Joannem septimum Anastasius arguit, quod noluerit cribrare canones, & triticum a palea separare. Nec sine fundamento. Vere enim de hac Synodo ait adductus libellus Synodicus*: Omissos in quinta & sexta synodo Canones edidit, & ab omni Græca, *id est gentili*, atque Judaica, quin & hæretica traditione Ecclesias purgavit. *Habes bona mixta malis; Et utile ab inutili non vitiatur.*

(3) Paulus Diaconus De gestis Langobardorum lib. 6. cap. 28 inter Scriptores Rer. Italic. tom. 1. pag. 499.

Thomassinus De vet. & nova Ecclesiæ disciplina part. 3. lib. 1. cap 27. §. 17 *Eo patrimonio continebatur Genua, & tota ejus ora maritima usque ad fines Galliæ.*

Bar. an. 707. §. 1. Pag. §. 1. *mavit*. (4) Regnavit autem Joannes VII. *annos duos, menses septem, & dies septemdecim*, anno 707. XVI. Kal. Novembr. vita defunctus.

LXXXIX.

SISINNIUS.

ANNO CHRISTI 708.

JUSTINIANI II. ITERUM IMPERATORIS 4.

SISINNIUS Joannis filius, Syrus XV. Kal. Februar. anno 708. Pontifex factus est. Vicesimus ab electione dies, septimus Februarii finis vitæ ejus fuit, cum de Urbis mœnibus ac Templis reficiendis cogitaret. Magnos enim animos in corpore arthritide confecto gerebat.

Bar. an. 708. §. 1. Pag. §. 1.

XC.

CONSTANTINUS.

ANNO CHRISTI 708.

JUSTINIANI II. ITERUM IMPERATORIS 4.

CONSTANTINUS Joannis filius, Syrus, anno 708. VIII. Kal. April. Pontificatum iniit. Constantinopolim anno 710. ab Justiniano arcessitus, IV. Nonas Octobr. solvens a portu Romano Hy-

Bar. an. 708. §. 1. Pag. §. 1.

(4) Idem Paulus Diaconus De gestis Langobardorum lib. 6. cap. 43. pag. 504

Anastasius in vita Gregorii II. pag. 164. *Eo tempore Luitprandus Rex donationem patrimonii Alpium Cottiarum, quam Aripertus Rex fecerat, hicque repetierat, admonitione tanti viri vel increpatione redditam confirmavit.*

Hydrunti hyemare compellitur. Inde navigans Vere ineunte, ubique habitus magnifice jussu Imperatoris, pervenit in Urbem Regiam, a Tiberio Justiniani filio Augusto, Cyro Patriarcha, totoque Senatu ac populo exceptus omni genere honoris. Justinianus, qui tum Nicææ in Bithynia degebat, audito adventu ejus Constantinopolim, perfusus gaudio ingenti grates eidem per epistolam egit, quantas potuit maximas, eumque invitavit Nicomediam. Venienti occurrit ipse, & in humilitatem adorantium se submittens, magna omnium admiratione capite coronam gestans ejus pedes osculatus est. Quid inter ipsos actum, conjectare cuique licet. (1) Tribus post mensibus, quam Constantinus Nicomedia digressus Romam redierat, Justinianum occisum, nuntius attulit. Imperium occupavit cædis auctor Philippicus Bardanes. Huic, quod numerosissimo advocato Constantinopolim Concilio damnasset sextam Synodum, & conatus

Bar. an 710. §. 1. 2. 3. Pag. §. 1. 2.

Bar. an. 711. §. 8. 9. 11. Pag. §. 1.

Bar. an. 712. §. 1. 4.

O 2 esset

(1) Anastasius in vita Gregorii II. pag. 163. ita scribit de eo adhuc Romanæ Ecclesiæ Diacono: *Et cum Viro sancto Constantino Pontifice ad regiam profectus est Urbem, atque a Justiniano Principe inquisitus de quibusdam capitulis, optima responsione unamquamque solvit quæstionem:* quam responsionem aut latere aut periisse, dolendum est. Nihilominus cum *his temporibus*, ut ait Baronius ad an. 710. §. 3. *nulla alia verteretur Quæstio inter Orientales & Occidentales, nisi de capitibus additis ad Quintam & Sextam Synodum; satis intelligere possumus, de his Constantinopoli cum eodem Romano Pontifice esse tractatum, de his conventus habitos, atque inter utramque partem diutius altercatum, sed primas retulisse Pontificem, Gregorio Diacono constitutionum antiquorum Patrum acerrimo defensore.*

Christianus vero Lupus in dissertat. *De Synodi Trullanæ caussa, tempore, loco, Episcopis, auctoritate*, colligit, Constantinum fuisse primum ex Romanis Pontificibus, qui probaverit canones Synodi Quinisextæ, minime adversantes decretis Romanæ Ecclesiæ, & Justinianum II, quod petierat ab Joanne VII, id impetrasse ab Constantino, eamque ob rem confirmasse privilegia Sedis Apostolicæ.

esset restituere hæresim Monothelitarum, restitit Pontifex, ejusque hæreticam Fidei professionem missam ad se rejecit. E contrario Anastasii II, qui post brevem Philippici tyrannidem Imperator salutatus fuerat, epistolam, qua Catholicam Fidem profitebatur, libens suscepit, & Michaelem Presbyterum misit Constantinopolim, ut Episcopos, qui Synodi Sextæ damnationi suffragati fuerant, Ecclesiæ reconciliaret. Cum *annos septem & dies quindecim* summo Sacerdotio functus esset, anno 715. VI. Idus April. excessit e vivis.

Bar. An. 713. §. 4.

Pag. an. 714. §. 1.

XCI.

S. GREGORIUS II.

ANNO CHRISTI 715.

ANASTASII II. IMPERATORIS 3.

GREGORIUS II. Marcelli filius, Diaconus, S. R. E. *Bibliothecarius*, eruditione, sanctimonia, & rerum pro Ecclesia gestarum fama clarus, summo omnium consensu anno 715. XIV. Kal. Jun. Pontifex dictus est. Pontificatus initio consilium cepit de mœnibus Urbis restaurandis. Sed impedimento operi fuere Langobardi, qui Cumanum oppidum occuparant. Totam enim curam in ejus recuperationem intendit, illudque Ducis ac populi Neapolitani auxilio recepit. Extinxit Anglicanum 150. annorum schisma, in quo perseverantes Scoti & Britones, Luna quarta decima, si in diem dominicum incidisset, Pascha celebrabant. Laboravit etiam *totos quinque annos*, ut Leonem Isaurum, inferentem bellum imaginibus sacris, earumque cultoribus, revocaret ad bonam frugem. (1) Ast omnia

Bar. an. 714. §. 1. 2. Pag. §. 1.

Bar. an. 715. §. 2.

(1) Cælestinus Sfondratus in Gallia Vindicata dissertat. 2.

mnia nequicquam expertus, cum *Synodico anathemate obstrinxit*, (2) *ac mox Italiæ populos sacramenti, quo se illi obligaverant, religione exsolvit, & ne ei aut tributum darent, aut alia ratione obedirent, indixit.* (3) *Sic dignum posteris reliquit exemplum, ne in Ecclesia Christi regnare sinerentur heretici Principes, si sæpe moniti in errore persistere obstinato animo invenirentur.* (4) Consultus de variis quæstionibus a Bonifacio Episcopo, quem Euangelii promulgandi caussa miserat in Germaniam, data epistola respondit ad singulas. (5) Contra Langobardos sibi infestos opem imploravit Caroli Martelli Præfecti domus Regiæ Francorum. Interim Luitprandus Rex, icto fœ-

Bar. An. 730. §. 4. 5.

Pagius an. 726. §. 15. 16.

2. §. 2. num. 2. pag. 399. ubi Scriptorum in id testimonia recitat ex ordine.

Petavius tom. 5. Theologic. Dogmat. De Incarnatione l. 15. cap. 11. §. 1. Iconomachi *sub professione Christianæ religionis nefas arbitrabantur imagines ullas quoquo modo expressas habere Christi atque Sanctorum*. Et §. 3. *Primus palam aperteque bellum sacris imaginibus indixit Leo*, Isauricus *a patria cognominatus, qui* Conon *antea dicebatur, obscuro genere natus, ac vili opificio vitam exercens, uti Theophanes, Zonaras, Cedrenus, & complures alii testantur. Hic ab Judæis impostoribus & magis certa imperii spe accepta, ubi compos ejus est factus, quod stipulantibus illis receperat, Christi ac B. Virginis, & Sanctorum effigies abolere instituit.*

(2) Zonaras lib. 15. Annalium pag. 82. edit. Venetæ.

(3) Sigonius lib. 3. De Regno Italiæ ad an. 726. pag. 120.

Huic narrationi contradicunt Magdeburgenses cent. 8. cap. 10. & Natalis Alexander dissertat. 1. in Hist. Eccl. sæc. VIII. Illi concedunt quidem, id ab Gregorio factum, negant autem, jure fieri potuisse: hic nec factum, nec fieri potuisse contendit. Vide Cælestinum Sfondratum loco citato, & nostram dissertationem 7.

(4) Baronius ad an. 730. §. 5.

(5) Epistola hæc, quæ apud Labbeum tom. VI. Conc. pag. 1448. est tertia decima, perperam Gregorio III. tribuitur a Gratiano 32. quæst. 7. cap. *Quod proposuisti* 18. quem sequitur Bellarminus lib. 2. de Rom. Pont. cap. 12. Vide Melchiorem Canum lib. 6. de locis Theologicis cap. 8. ad 8.

fœdere cum Eutychio Exarcho, junctis copiis & Romam capere, & ipsum de medio tollere decrevit. Utrique cum exercitu ad Urbem properanti obviam factus, ita Langobardum sua auctoritate flexit, ut ad pedes ejus provolutus, arma & coronam auream, crucemque argenteam D. Petro consecraret. Inde factum est, ut Luitprandi rogatu etiam cum Exarcho pacem haberet. Quod attinet ad res sacras, præcepit, ut tempore Quadragesimæ qualibet feria quinta jejunium, hoc est Statio, & Sacrificium fieret. (6) Anno 731. Pontificatus *decimo quinto, mense octavo, die quarto & vicesimo*, III. Idus Februar. evolavit ad superos, & Idibus ejusdem mensis ejus Natalis dies in Martyrologio Romano celebratur.

Bar. an. 731. §. 1. Pag. §. 1.

XCII.

(6) Bona lib. 1. Rer. Liturg. cap. 18. §. 2. *Apud Græcos dies* Aliturgici *erant, & hodie item sunt omnes dies Quadragesimæ, quibus Missa* Præsanctificatorum *utuntur, exceptis Sabbato, Dominica, & die Annuntiationis Diem Sabbati Alexandriæ & Romæ liturgia olim caruisse, testatur* Socrates lib. 5. Hist. Eccl. cap. 21. *Socrati adstipulatur eisdem fere verbis Nicephorus Callistus* lib. 12. cap. 43. *Ecclesia Mediolanensis sextas quasque ferias Quadragesimæ sine sacrificio transigit, ut supra dictum est cap.* 10. *In eadem Quadragesima officio Missæ caruit feria quinta usque ad Gregorium II, cujus vitam scribens Anastasius ait:* Hic Quadragesimali tempore, ut in quinta feria jejunium, atque Missarum celebritas fieret in Ecclesiis, quod non agebatur, instituit.

Mabillonius Comment in Ord. Rom. cap. 5. pag. 33. illam Anastasii vocem *jejunium* sumit pro *statione*, ita ut Gregorius II. stationes assignaverit etiam feriis quintis Quadragesimæ, quod non fecerat Gregorius Magnus.

XCII.

S. GREGORIUS III.

ANNO CHRISTI 731.

LEONIS ISAURI IMPERATORIS 15.

GREGORIUS III. Joannis filius, Syrus, diebus quinque post mortem decessoris sui Bar. an. 731. S. 1. 2 & Pag. S. 1. electus, XV. Kal. April. anno 731. Pontifex consecratus est, quod electionis confirmatio ab Exarcho Ravennate expectanda esset. Ab defensione sa- Bar. an. 732. S. 4. & 7. crarum imaginum ordiens Pontificatum legationibus, epistolis, Synodis restitit Imperatori Iconomacho: qui propterea eo processit iræ, ut antiquissima Ecclesiæ Romanæ patrimonia in Sicilia & Calabria redigeret in publicum. (1) Nec satis habuit scriptis atque decretis hæresim oppugnare, factis etiam delere annixus est. Imagines enim Salvatoris & Apostolorum in altera parte Basilicæ S. Petri, Deiparæ vero & sanctarum Virginum in altera collocavit. Eodem in Templo ædiculam construxit, in qua sacras reliquias undique conquisitas condidit ad cultum. (2) De nonnullis quæstionibus consultus a S. Bonifacio Germanorum Apo-

O 4 sto-

(1) Theophanes in Chronographia pag. 273. edit. Venet. *Patrimonia vero quæ dicuntur sanctorum & Coryphæorum Apostolorum, qui in veteri Roma coluntur, tria nimirum cum medio auri talenta, eorum Ecclesiis ab antiquo assignata & pensa, in publicum ærarium conferri jussit.* Petrus de Marca lib. 3. de Concordia cap. 11. §. 4. *Sciunt omnes, patrimonia illa Calabriæ & Siciliæ latifundia fuisse, quæ per Defensores eo missos summi Pontifices curabant, ut patet ex variis epistolis Gregorii Magni, vel, ut loquitur Nicolaus*, disponendo per familiares suos regere studebant.

(2) Vide Bonam lib. 2. Rer. Liturgic. cap. 11. §. 2.

stolo, per epistolam respondit ad interrogata.
Bar. An. 740. §. 20. 23. Pag. §. 4. 11. (3) Legatos cum litteris ad Carolum Martellum patrem Pippini semel atque iterum misit, rogatum auxilium non solum contra Langobardos, qui res S. Petri in Exarchatu Ravennate, ac Ducatu Romano diripiebant, Romamque cinxerant obsidione; sed etiam contra Imperatorem, qui Regem Langobardorum adversus Ecclesiam Romanam concitaverat. (4) Quid legationibus & litteris responderit Carolus, apud veteres non reperio. Eas fuisse Carolo gratissimas, scribit Fredegarius. (5) Quare nullus relinquitur dubitandi locus, quin Luitprandus Carolo petente quam primum excesserit Romana ditione, ac Ticinum, unde venerat,
Pag. 182. regressus sit, retentis tamen, ut tradit Anastasius in vita Zachariæ, oppidis quatuor, Hameria, Horta, Polimartio, Blera, quæ postea Zachariæ
Bar. an. 741. §. 7. Pag. §. 9. restituta sunt. Similiter auxilia se missurum promisisse, quis ambigat? Sed anno 741. morte inter-
ce-

(3) Exstat apud Labbeum tom. 6. Conc. pag. 1475. Inter cetera decernit, non esse rebaptizandos, qui baptizati sunt ab Ethnicis expresso sanctissimæ Trinitatis nomine, sed recipiendos per manus duntaxat impositionem, & sacri chrismatis unctionem. Qua de re olim addubitatum est, teste D. Augustino l. 7. de baptis. contra Donatistas cap. 53. & l. 2. cont. epist. Parmen. cap. 13. *Alia quæstio, utrum & ab iis, qui numquam Christiani fuerunt, possit baptismus dari: nec aliquid temere inde affirmandum est sine auctoritate tanti Concilii, quantum tantæ rei sufficit.*

(4) In ea epistola, quæ est apud Baronium ad an. 740. §. 20. & apud Lab. tom 6. Conc. pag 1472. Gregorius Carolum Martellum appellat *Christianissimum*. Quem titulum ut *hereditarium* Regum Francorum agnoscit Pius II. epist. 385. ad Carolum VII. licet eum in Epistolæ inscriptione *illustrem* dicat veteri more. Itaque fallitur Raynaldus scribens ad an. 1496. §. 25. *Christianissimi nomen Ludovico XI. cum Pragmaticam sanctionem convulsisset, a Pio II. inditum*. Mabillonius lib. 2. de re diplomat. cap. 3. num. 5. pag 70. & lib. 5. tabula 22. pag. 384.

(5) Cap. 110. inter Scriptores Historiæ Francorum Duchesnii tom. 1. pag. 772.

ceptus promissa facere non potuit. Eodem anno IV. Kal. Decembris moriens etiam Gregorius, *sanctitate*, ut Romani Martyrologii verbis utar, *praeclarus migravit in Cælum*, cum *annos decem*, *menses octo*, *& dies decem* vigilantissimus Pontifex fuisset. (6)

XCIII.

S. ZACHARIAS.

ANNO CHRISTI 741.

CONSTANTINI COPRONYMI 1.

ZACHARIAS Polychronii filius, Græcus, pridie Kal. Decembr. anno 741. in locum Gregorii III. Pontifex inauguratus est. (1) Hic de Bar. an. 741. §. 11. Pagius § 9.

(6) Walafridus Strabo De rebus Ecclesiasticis cap. 25. tom. 15. Bibl. Patr. pag. 195. *De Gregorio III. velut inauditum quiddam & novum refertur, quod omnes Psalmos memoriter tenuerit. Ubi intelligi datur, paucos priorum ita Psalterium didicisse.*

Inas Rex Occidentalium Saxonum hoc circiter tempore *Regnum suum*, ut scribit Polydorus Vergilius lib. 4. Histor. Anglicæ pag. 118. *Romano Pontifici vectigale fecit, singulis argenteis nummis, quos denarios vocant, in singulas domos impositis. Fecit idem ejus exemplo, ut opinor, ductus Offa Merciorum Rex, qui non multo post id tempus regnavit. Fuit is annus salutis circiter 740. Hoc vectigal auxit Athulphus Rex, qui totius fere insulæ imperium obtinuit. Omnis Anglia hoc tempore istuc vectigal pietatis & religionis caussa Romano Pontifici pendit domesticatim collatum, & nummi illi argentei vocantur vulgo* Denarii D. Petri, *quos Pontificius quæstor, quem non inscienter Collectorem nuncupant, exigit. Nos hanc olim quæsturam aliquot per annos gessimus, ejusque muneris obeundi caussa, primum in Angliam venimus. Hæc ipse*, ut addit Baronius ad an. 740. §. 15. *scribens ad Henricum* VIII. *tunc Regem anno Redemtoris 1533. cum Londini esset.*

(1) Brevissimum hoc interregnum ostendit, nec petitam,

de Langobardis, qui Italiam omnem infestam habebant, auctoritate magis triumphavit, quam armis. Namque Luitprandum eorum Regem, bellum contra Romanum Ducatum enixe parantem, per Legatos avertit ab incœpto, eumdemque ab se

Bar. an. 742. S. 30. 31. Interamnæ conventum perpulit, ut memorata superius oppida Ameriam, Hortam, Polimartium, Bleram restitueret Romanæ Ecclesiæ. Adjicit Ana-

Pag. 154. stasius, Regem ultro reddidisse etiam Patrimonium Sabinense, triginta ferme ante annis ereptum, insuper Narniense, Auximanum, Anconitanum, Numatense, & vallem agri Sutrini, cui *Magna* nomen, & pace cum Romano Ducatu confirmata in annos viginti, captivos omnes redonasse Pontifici. Quare cum Luitprandus anno insequente

Bar. An. 743. S. 12. 13. 14. fines Exarchatus ita infeste ingressus esset, ut videretur obsessurus Ravennam, Eutychius Exarchus, Joannes Archiepiscopus, & populus Ravennas, atque Pentapolis, (2) & Æmiliæ Civitates Zachariam rogarunt, ut afflictis rebus suppetias ferret. Ea de caussa Legatos cum muneribus ad Regem misit, petens, ut Cæsenam Ravennatibus redderet. Legatione irrita, ipse Ravennam contendit, Urbis cura Stephano Patricio ac Duci demandata: inde Ticinum, ubi ei a Luitprando datum est, quod petebat. Illustriorem de Rachisio,

An. 750. S. 1. 2. qui Luitprando successerat, victoriam reportavit. Veniens enim ad hunc, qui, nulla habita ratione pacis vicennalis, prædabundus invaserat in Pentapolim, Perusiamque in obsidione tenebat, non modo tenuit, ut Perusiæ oppugnatione desisteret, & occupata Pentapolis oppida restitueret, sed etiam

tam, nec expectatam ab Exarcho Ravennate confirmationem Pontificiæ electionis, & Romanam Ecclesiam demum vindicatam in libertatem. Cujus rei indicio sunt electiones quoque eorum, qui Pontifices fuerunt post Zachariam.

(2) Pentapolis Italicæ Urbes sunt Ariminum, Pisaurum, Fanum, Auximum, & Ancona.

iam tantum ipsi fastidium rerum terrenarum indidit hortationibus sacris, ut Regno se abdicaret, & monasticum S. Benedicti institutum cum uxore Thesia & filia Rattruda profiteretur, ille in Casinensi monasterio, hæ in Virginum Cœnobio, quod non longe ab Casino ædificaverant sumtibus suis. Idem Pontifex indulsit, ut Casinense *Monasterium ab omnium Episcoporum ditione esset liberum, ita ut nullius juri subjaceret, nisi solius Romani Pontificis* (3) Idem respondens ad interrogationem S. Bonifacii, Bar. an.
ratum esse jussit Baptisma collatum verbis his: 744. §. 2.
Baptizo te in nomine Patria, & Filia, & Spiritu Sancta. (4) Ad hæc *Regem Francorum*, (Childericum An. 751. §.
III. Merovingorum stirpem ultimam) *quod tantæ* 1.
potestati non erat utilis, a Regno deposuit, & Pippinum Caroli Magni Imperatoris Patrem in ejus locum substituit, omnesque Francigenas juramento fidelitatis, quod illi fecerant, absolvit. (5) Idem libros Dialogorum S.

(3) Leo Ostiensis lib. 1. Chron. Casin. extremo cap. 4. Et lib. 2. cap. 96. Victor II. *usum illi* (Federico Abbati Casinensi) *sandaliorum, ceterorumque insignium, juxta quod Sanctus Papa Leo dudum concesserat Abbati Richerio, eadem auctoritate concessit*.

(4) Epistola 6. apud Labbeum tom. 6. Conc. pag. 1505. ex qua decretum recitat Gratianus *de consecrat.* dist. 4. cap. *retulerunt nuntii* 86. Zachariæ sententiam secutus est Stephanus II, qui responso 14. apud eumdem Labbeum pag. 1652. ratum habuit Baptisma ab imperito Sacerdote administratum his verbis. *In nomine Patris mergo, & Filii mergo, & Spiritus Sancti mergo*.

(5) S. Gregorius VII. lib. 8. epist. 21. apud Labbeum tom. 10. Concil. pag. 270.

Annales Francorum Fuldenses ad an. 752. inter Scriptores Rerum Germanicarum Freheri tom. 1. pag. 7. *Zacharias Papa ex auctoritate S. Petri Apostoli mandat populo Francorum, ut Pippinus, qui potestate Regia utebatur, regni totius & nominis quoque dignitate frueretur. Ita Hyldricus Rex, qui ultimus Merovingorum Francis imperavit, depositus & in monasterium missus est. Pippinus vero in Civitate Suessionum a S. Bonifacio Archiepiscopo in Regem unctus, Regni honore subli-*

S. Gregorii *Magni* e Latino in Græcum convertit.

Bar. An. 752. §. 2. Pagius §. 11. (6) Post *annum decimum, mensem tertium, & diem decimum quartum*, quam Pontificatum acceperat, anno 752. pridie Idus Martii mortuus est, & ipsis Idibus sepultus, quo die ejus nomen Martyrologio Romano inscribitur.

XCIV.

blimatus est. Eodem modo est in vetusti scriptoris libello De Majoribus Domus Regiæ, eodem in Annalibus Francorum Tilianis, Loiselianis, Eginhardi, & Bertinianis ad an. 749. apud Duchesnium tom. 2. pag. 2. 12. 25. 234. & tom. 3. pag. 151.

Bellarminus lib. 2. De Rom. Pont. cap. 17. *Quod Zacharias juste ac legitime deposuerit Childericum Regem, & creari jusserit Pippinum, affirmant omnes quotquot hanc historiam scribunt, tam Græci, quam Latini, exceptis Magdeburgensibus, & Calvino.* Tum Græcos, tum Latinos scriptores recenset Sfondratus in Gallia Vindicata dissertat. 2. §. 2. num. 3. Cointius vero ad an. 752. §. 5. & Natalis Alexander in Hist. Eccles. sæc. 8. dissertat. 2. ait, *nec Zachariæ nec Stephani III. Romanorum Pontificum auctoritate Regnum Francorum a Childerico III. ad Pippinum translatum*. Non dissentiunt ab Alexandro Dupinus De antiqua Ecclesiæ disciplina dissertat. 7. cap. 3. §. 3. & Launojus lib. 7. epist. 9. *Sed horum confidentiam*, ut scribit Fontaninus in Vindiciis diplomatum lib. 2. cap. 9. §. 7. *penitus jugulat Codicis MS. Gregorii Turonensis clausula de Pippini, cujus temporibus Codex scriptus est, in Francorum Regem consecratione, post Childericum solio detrusum* per auctoritatem & imperium sanctæ recordationis Domni Zachariæ Papæ, & unctionem Sancti chrismatis per manus beatorum Sacerdotum Galliarum. Vide dissertationem nostram octavam, & annotat. 5. ad Leonem III.

(6) Joannes Diaconus in vita S. Gregorii lib. 4. cap 75. Photius in Bibliotheca Cod. 252. pag. 1399. Ordericus Vitalis lib. 2. Hist. Eccl. pag. 453. inter Scriptores Normannicos Duchesnii.

XCIV.

STEPHANUS II.

ANNO CHRISTI 752.

CONSTANTINI COPRONYMI 12.

SACERDOS summus in locum Zachariæ anno 752. VII. Kal. April. creatus est Stephanus II. aliis III. filius Constantini, Romanus, & Romanæ Ecclesiæ Diaconus. (1) Aistulphum Regem Langobardorum Ducatui Romano inferentem arma, atque excidium Urbi minitantem placare muneribus tentavit. At non perinde, ut sperabat, ipsi successit. Itaque Legatos misit ad Constantinum Copronymum rogantes, ut Urbem a Langobardorum furore tutaretur. (2) Hac quoque spe de-

Bar. an. 752. §. 9. 13. Pag. §. 15. 16.

Bar. an. 753 §. 1. 2. 12. Pag. §. 1. 2. 4.

(1) Ego secutus Anastasium & Flodoardum in Fragmentis De Pontificibus Romanis omitto Stephanum nescio quem Presbyterum Romanum, qui decessit tertio post die, quam electus fuerat. Primus omnium illum Romanis Pontificibus annumerasse dicitur Panvinius in Chronico Ecclesiastico pag 37. Ejus vestigiis institere Baronius, aliique. Sed *opinio illa*, ut ait Pagius ad an. 886. §. 7. *omnes antiquos scriptores contrarios habet, omnesque Pontificum Romanorum Catalogos, in quorum nullo nomen Stephani Presbyteri, quia nempe tantum electus fuit, legitur*. Quamobrem qui aliis Stephanus III. est, mihi dicitur II, quem alii IV. ego III facio, & sic deinceps usque ad Stephanum IX. qui ab aliis X. appellatur.

(2) Κόπρος *stercus* est, & ὄνομα *nomen*. Pudendi cognominis originem refert Zonaras lib. 15. Annal. pag. 80. edit. Venetæ: *Natus est Leoni catulus Patre crudelior, cujus matrem Mariam diademate ornavit, & puerum in magna Ecclesia baptizavit, Constantini nomine indito: qui cum in sacrosancta illa aqua mergeretur, fertur excrevisse stercus, unde* Copronymus *est cognominatus*. Eodem modo Theophanes in Chronographia pag. 266. edit. Venetæ. Vide Baronium ad an. 719. §. 20. & ad an. 775. §. 3.

dejectus, ad Pippinum confugit in Galliam, ubi magnus ei honos habitus est. Tunc, cum in Carisiaco villa ad Isaram prope Noviodunum in Britaniaco monasterio degeret, Gallicanæ Ecclesiæ Antistitibus dedisse undeviginti responsa fertur, a Sirmondo primum edita: inter quæ supposititium est undecimum illud *De Presbytero, qui, cum deesset aqua, periclitantem infantem vino baptizavit*. (3)
An. 754. S. 1. 2. 14. Pagius S. 5. 8. Tunc etiam Pippinum cum filiis Carolo & Carolomanno sacri olei unctione inauguravit Regem, ac fœdus juxta pacta inter Gregorium III. & Carolum Martellum conventa sancivit, ut Pontifex Pippinum ejusque successores collata *Patriciatus* dignitate constitueret Patronos ac Defensores Sedis Apostolicæ: (4) Pippinus vero

(3) Ipsa responsi verba hæc sunt apud Lab. tom. 6. Conc. pag. 1652. & apud Harduinum tom. 3. pag. 1987. *Si in vino quis, propterea quod aquam non inveniebat, omnino periclitantem infantem baptizavit, nulla ei exinde adscribitur culpa. Infantes sic permaneant in ipso baptismo. Nam si aqua adfuit præsens, ille presbyter excommunicetur, & pœnitentiæ submittatur, quia contra Canonum sententiam agere præsumsit.* Hoc responsum datum a Stephano II, ut consuleret necessitati, aliqui existimarunt. Hos refellit Harduinus Quæst. De baptismo in vino. *Nam qua lege sancitum est, baptismus ut suscipiatur, si quidem consultum saluti nostræ cupimus; eadem nominatim excipitur, quemadmodum rite tradatur, ex aqua nimirum: ipso legem statuente Domino*: Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non potest introire in Regnum Dei.... *Hinc Augustinus, cujus tot passim occurrunt de Baptismi natura ac dotibus præclaræ voces atque sententiæ, idem de materia affirmate quidem ac præcise; sed tamen vere pronunciat* tract. 15. in Joan. *Tolle aquam, non est baptismus*. Postea idem Harduinus, rejecta etiam eorum sententia, qui dicunt, responsum illud esse mendosum, multis argumentis concludit esse subdititium, & *ab imperito aliquo consarcinatore, nec satis provido assutam hanc infeliciter laciniam Stephani responsis; & ab eodem pari arte atque fallacia Siricio quoque ipsi attributam sub Gratiani monachi tempora*.

(4) Petrus de Marca lib. 1. de Concordia cap. 12. §. 3. *Hic*

ro atque alii post ipsum Reges Francorum, quoniam Orientis Imperatores omnem Ecclesiæ defenden-

Hic (Stephanus II.) *dum Aistulphi Langobardorum regis armis undique premeretur (qui quidem post Exarchatus & provinciæ Romanæ civitates, depulsis inde Constantinopolitanorum præsidiis, valido exercitu occupatas, patrimonia Ecclesiæ Romanæ usurpaverat) ad Gallias magno procerum Romanorum comitatu stipatus accessit; ubi fœdus cum Pippino Rege pepigit iis conditionibus, ut Rex ejusque filii Patricii Romanorum dicerentur, & Ravennæ Exarchatus, a Langobardis armorum vi repetitus, donatione Pippini in Romanam Ecclesiam transferretur. Hæc conventa liquidius ostendi non possunt, quam ipsissmet Stephani verbis: qui cum denuo ab Aistulpho fœderibus infractis Romæ obsidionem pateretur, pacta illa Pippino refricat:* Dum vestris mellifluis obtutibus præsentati sumus, omnes caussas Principis Apostolorum in vestris manibus commendavimus. Quoniam quidem inspirati a Deo aurem petitionibus nostris accommodare dignati estis, & vos beato Petro polliciti estis, ejus justitiam exigere, & defensionem sanctæ Dei Ecclesiæ procurare. *Patricii vero dignitatem Stephanum Pippino Regi & ejus filiis contulisse, fidem facit epistola Stephani tertia, cujus inscriptio hæc est:* Dominis Excellentissimis Pippino Regi & nostro spirituali compatri, seu Carolo & Carolomanno item Regibus, & utrisque Patriciis Romanorum Stephanus Papa.

Porro *Patricii nomen duo quædam complectebatur, & jurisdictionem, qua Reges in Urbe ex consensu Pontificis & populi Romani potiebantur, & protectionem seu defensionem, quam Romanæ Ecclesiæ polliciti erant*. Dicit *jurisdictionem*, non *dominium*, quod *Patriciatus* vocabulo significari arbitrantur obtrectatores Romanæ Ecclesiæ: nec dicit, Francorum Reges jurisdictionem illam habuisse ipsos per se, tamquam supremos Principes ac Dominos, sed delatam eis fuisse *ex consensu Pontificis*, quicum conjungitur populus Romanus juxta phrasim Anastasii: *Sanctus Petrus, & Respublica Romanorum*. Vide Pagium ad an. 789. §. 9.

Ludovicus Thomassinus De vet. & nova Ecclesiæ disciplina tom. 3. lib. 1. cap. 29. §. 8. *Nulli hinc suspicionum fomites, nulli æmulationis aculei in Republica vel Civitate Romana, ut quæ in unum cum Ecclesia B. Petri corpus jamdiu concrevisset, non alio multis sæculis defensore usa, non alio capite conspicua, quam Pontifice Romano. Ideo & cum Desiderius Aistulpho successisset, & Rachis repudiata veste Monastica regnum*

dendæ curam abjecissent, tenerentur illam adversus quoscumque Langobardorum & Græcorum impetus tueri atque defendere. Quare Pippinus bis cum exercitu Italiam ingressus, fœdifragum Aistulphum coegit restituere Exarchatum, quem occuparat, pulso Eutychio Exarchorum postremo. Recuperatas ditiones Apostolicæ Sedi omnes concessit, atque ita Pontificis Romani Principatum instituit. (5) Aistulpho mortuo, orta inter Langobardos

Bar. an. 755. §. 24. 26. Pagius §. 5. 6.

gnum repeteret, ille Reipublicæ, Reipublicæ se redditurum professus, *hoc est Ecclesiæ, Ducatum Ferrariensem reddidit cum aliis Urbibus, ea conditione, ut Pontifex Rachisem compelleret in suum se Cœnobium rursus abdere, quod & fecit.*

(5) Quot urbes complecteretur donatio Pippini, quæ Anastasii ætate servabatur in tabulario Romanæ Ecclesiæ, parum convenit. Nam Leo Ostiensis lib. 1. Chron. Casin. cap. 8. eam donationem extendit præter fines Urbium, quas Anastasius recenset. Antonio Pagio ad an. 755. §. 6. *certum videtur, ab hoc tempore plenam in rebus civilibus administrationem Pontifices tam Romæ, quam in Exarchatu Ravennatensi exercuisse, nisi rebellionum motibus aliquando impedirentur. Romani enim*, ait idem Pagius ad an. 796. §. 11, *anno 754, quo Pippinus Exarchatum Ravennæ Principi Apostolorum ejusque successoribus concessis, Constantini Copronymi Imperatoris hæretici, qui eos adversus Langobardos defendere non poterat, dominationem penitus excussere, & Rempublicam instituere, cujus caput Romanus Pontifex, Defensor vero ac Protector Pippinus Galliarum Rex dicti sunt. Hinc quando Stephanus II in suis litteris de Aistulpho Langobardorum Rege, & de vexatione Urbis Romanæ sermonem habet, nusquam meminit Imperatoris, Romanosque populum suum appellat*, ut videre est in ejus Epistolis 3. 4. & 6. ad Pippinum Regem. Eodem modo loquitur Paulus Stephani successor, & Hadrianus I. ille in epistolis 2. & 7. ad Pippinum, hic epistola 4. ad Carolum Magnum, scripta anno 775. Nec refert, quod memoratæ epistolæ, ut subjicit idem Pagius §. 14. *dicantur datæ* imperante Domino piissimo Augusto Constantino a Deo coronato, Magno Imperatore anno XXXII, *vel aliquo alio ejusdem Imperatoris*. Nam *præfati Pontifices Romani iis formulis tunc usi sunt, tamquam notis temporariis, quæ nullam subjectionem inferebant. In Concilio Romano anno 743. habito legitur, ut ibidem apud Baronium num. 17. videre est:*

dos de successore certamina. Stephanus Desiderium Langobardorum in Tuscia Ducem juvit auxiliis Francorum ad Regnum obtinendum, lege ea, ut Urbes redderet a Pippino Romanæ Ecclesiæ donatas, & contra pactum ab Aistulpho retentas, Faventiam videlicet, Forum Cornelii, Ferrariam, Auximum, Anconam, Humanum, & Bononiam. Ex his Faventiam duntaxat, & ut ait Anastasius, *universum Ducatum Ferrariæ in integrum* Pontifex recepit, quod Desiderius Regnum adeptus non stetisset in fide. (6) Nec interim animo minus intento rebus sacris curandis fuit. Damnavit enim impium conventiculum jussu Constantini Copronymi habitum Constantinopoli contra imagines sacras, (7) eumdemque Copronymum studuit ab scelere re-

Bar. an. 755. §. 2-5.

Bar. an. 754. §. 36.

P

est: Factum est hoc Concilium anno secundo Artabasdi Imperatoris, nec non Luitprandi Regis anno trigesimo secundo, indictione duodecima: *Sed inde non sequitur, Romam Luitprando Langobardorum Regi subditam fuisse; alioquin uno eodemque tempore duos supremos Dominos agnovisset, Artabasdum nempe Imperatorem, & Luitprandum Regem; cum tamen certum sit, Luitprandum numquam in Urbem Romanam dominationem exercuisse.* Vide annotat. 3. ad Leonem III.

(6) Quid sibi velint verba hæc Anastasii, explicat Anastasius ipse in vita Hadriani I. pag. 235. scribens, Desiderium sibi usurpasse *Civitatem Faventiam, & Ducatum Ferrariæ seu Comaclum de Exarchatu Ravennate, quas sanctæ memoriæ Pippinus Rex, & ejus filii Carolus & Carolomannus Excellentissimi Reges Francorum & Patricii Romanorum Beato Petro concedentes obtulerunt;*

(7) Theophanes in Chronographia pag. 285. edit. Venetæ: *Eodem anno (754) impius Constantinus adversus sanctas & venerandas imagines illegitimum trecentorum triginta & octo Episcoporum in Hieriæ Palatio coegit conciliabulum.* In eo definitum, sacras imagines idola esse, & qui eas colerent, *idololatras*: damnatique anathemate, qui honorem illis haberent: decretum insuper, ut hæc sceleratorum hominum coitio *Septima Oecumenica Synodus* diceretur. Hujus Acta inserta sunt Actioni VI. veræ ac legitimæ Synodi Oecumenicæ VII. & ibidem refutata ac rescissa. Quidam tradunt, hanc

Pseudosynodus VII.

revocare. Ingentibus pro Ecclesia laboribus perfunctus, anno 757. VIII. Kal. Maji obiit, cum Pontificem se gessisset *annos quinque, & dies undetriginta*.

Bar. An. 757. §. 1. Pag. § 1.

XCV.

S. PAULUS I.

ANNO CHRISTI 757.

CONSTANTINI COPRONYMI 17.

STEPHANO II. substituitur Paulus ejus frater, ipse quoque Romanæ Ecclesiæ Diaconus. (1) Vix Pontifex factus, antequam consecraretur (con-

Bar. an. 757. §. 2. 3. 4.

hanc Iconomachorum turbam eo impietatis provectam, ut edito canone negaverit, Deiparam Virginem, & Sanctos posse precibus suis ac patrocinio Deum nobis propitium reddere, caussamque nostram adjuvare. Quod falsum est. Nam apud Labbeum tom. 7. Conc. pag. 871. & 872. ita in eo conventiculo statutum reperio: *Si quis non confitetur, sanctam semper Virginem Mariam proprie & vere Deiparam, quavis visibili & invisibili creatura superiorem, & cum sincera fide ejus intercessiones, tamquam quæ libertatem apud eum, qui ex se genitus est, Deum habeat, non postulaverit, anathema*. Et paullo post: *Si quis non confitetur, omnes, qui a sæculo huc usque & ante legem, & in lege, & in gratia a Deo dati fuerunt, Sanctos venerandos esse coram Deo & anima & corpore, & horum intercessiones non petierit, utpote qui libertatem apud Deum habeant pro mundo secundum Ecclesiasticam traditionem intervenire, anathema*. Nec *aliud*, ut ait Nat. Alexander in Hist. Eccl. sæc. VIII. cap. 2. art. 1. § 2. *colligi potest ex Actis* S. Stephani Junioris, *laudatis a Cardinali* Baronio: *quæ blasphemiæ quidem meminere ab Iconomachorum Antistitibus verbo tenus in beatam Virginem prolatæ, non autem canone sancitæ*.

(1) Nunc primum duo fratres alius protinus post alium Pontifices facti. Post hos sæculo XI. Benedictus VIII. & Joannes XIX.

(consecratus autem est IV. Kal. Jun. anno 757.) Pag. 5 1 2. epistolam dedit ad Pippinum Regem Francorum petens, ut pergeret juxta fœdus præsidio esse Romanis. (2) Anno Pontificatus quarto, data ad eumdem Pippinum alia epistola, rogavit, ut Desiderium Regem Langobardorum urgeret, donec *omnes justitias beati Petri Apostolorum Principis, omnia videlicet patrimonia, jura etiam & loca, atque fines, & territoria diversarum Civitatum suarum Reipublicæ Romanorum sibi plenissime restitueret.* (3) Copronymum vero, qui non modo sacris imaginibus pertinaciter infestus erat, sed etiam sæviebat in Monachos, legationibus & litteris conatus est ab impietate avocare. Multa Sanctorum corpora e cœmete- Bar. an. 758. §. 2. riis,

P 2

(2) Epistola illa apud Labbeum tom. 6. Conc. pag. 1675. prima dicitur, in Codice autem Carolino est tertia decima. Porro Codex Carolinus ita dictus est, quod jussu Caroli Magni compositus fuerit. Continet novem & nonaginta epistolas a summis Pontificibus Gregorio III. Zacharia, Stephano II Paulo I. Stephano III. Hadriano, & Pseudopapa Constantino scriptas ad Carolum Martellum, Pippinum, Carolomannum, & Carolum Magnum de rebus *temporalibus* ad Apostolicam Sedem pertinentibus. Codicem hunc a Sebastiano Tengnagelio Bibliothecæ Cæsareæ Vindobonensi Præfecto acceptum, referente Petro Lambecio lib. 2. Bibliothecæ Cæsareæ cap 5. pag 322. anno 1613. in lucem edidit Jacobus Gretserus ad refellendas calumnias Centuriatorum Magdeburgensium contra *temporale* Romani Pontificis dominium. Vide Muratorii monitum in Epistolas Codicis Carolini tom. 3. part. 2. Script. Rer. Italic. pag. 73.

(3) Cointius in Annal. Eccl. Franc ad an. 760. § 6. ex memorata epistola, quæ apud Lab. tom. 6. Conc. pag. 1679. est tertia, & Codicis Carolini 21. *Patrimonia distingue a juribus, locis, finibus, ac territoriis Civitatum. Nam jura, loca, fines, ac territoria Civitatum pertinent ad donationem Pippinianam, partemque constituunt Principatus a Pippino Rege Pontifici Romano collati. Patrimonia vero cum intra, tum extra donationem Pippinianam consistunt* pro subsidio tantum & alimento pauperum Christi, seu luminarium concinnatione, *ut Gregorius tertius Papa in litteris ad Carolum Majorem-Domus, patrem Pippini Regis loquitur* apud Baronium ad an. 740. §. 20.

riis, quæ Langobardorum incursionibus exposita magnas fecerant ruinas, transtulit in Urbem, & in locis decentioribus collocavit. In his etiam corpus S. Petronillæ filiæ B. Petri. (4) *Annos decem*
Bar. An. 767. §. 4. 5. *& mensem unum* summo Sacerdotio præfuit. Cessit
Pag. §. 3. e vita IV. Kal. Jul. anno 767. quo die, haud expectata ejus morte, Constantinus nondum Clericus, potentia fratris sui Totonis Ducis Nepesini invasit Pontificatum, ac per *annum & mensem* tenuit.

XCVI.

STEPHANUS III.

ANNO CHRISTI 768.

CONSTANTINI COPRONYMI 28.

E*JECTO Constantino Pseudopapa, ubi sedisset* annum unum, mensem unum, *& qui subrogatus est præter jus fasque, Philippo pariter cessare jusso,*
Bar. an. 768. §. 1. Pag. §. 1. *legitime riteque ex sacrorum canonum præscripto creatur Stephanus Nonis Augusti mensis, hujus nominis quartus, dictus a nonnullis tertius,* (1) Olivi filius, Siculus. Is accitis ex Gallia atque Italia Episcopis,
Bar. an. 769. §. 1. 4. 7. Pag. §. 1. Concilium Romæ anno insequente habuit, in quo anathemate perculsus est falsus Pontifex Constantinus; sancitumque decretum coercendis affectantibus Pontificatum. *Tunc allatis sacratissimis canonibus, eisque liquido perscrutatis, prolata est sententia ab eodem Sacerdotali Concilio sub anathematis interdicto, ne ullus umquam præsumat Laicorum, neque ex alio ordine,* *nisi*

(4) Vide Historiam nostram Apostolicam, ubi de Apostolis in universum.

(1) Baronius ad an. 768. §. 1. Vide annotat. 1. ad Sabinianum, & ad Valentinum.

tiis per distinctos gradus ascendens, Diaconus, aut Presbyter Cardinalis factus fuerit, ad sacrum Pontificatus honorem promoveri. (2) *De Episcopis vero atque Presbyteris & Diaconibus, quos ipse Constantinus consecraverat, ita in eodem Concilio promulgatum est, ut Episcopi illi, si aliquis eorum Presbyter, aut Diaconus fuerit, in pristinum honoris sui gradum reverteretur. Et si placabiles fuissent coram populo civitatis suæ, denuo facto decreto electionis, more solito cum Clero & plebe ad Apostolicam advenissent sedem, & ab eodem sanctissimo Stephano Papa benedictionis susciperent consecrationem. Presbyteri vero illi, ac Diaconi ab eodem Constantino consecrati, simili modo in eo, quo prius existebant, habitu reverterentur. Et postmodum si qui eorum placabiles extitissent, antefatus beatissimus Pontifex Presbyteros eos aut Diaconos consecraret. Statuens, ne hi, qui ex eis consecrandi erant, nequaquam ad potiorem honorem ascenderent, nec ad Pontificatus promoverentur culmen.* Postea *in eodem Concilio statutum est, ut omnia, quæ idem Constantinus in Ecclesiasticis Sacramentis ac divino cultu egit, iterata fuissent,* seu, ut legunt alii, *iteranda essent, præter sacrum Baptisma, atque sanctum Chrisma.* (3) Damnata quoque Pseudosynodus

 Con-

(2) Ex Anastasio decretum recitat Gratianus dist. 79. cap. 4. unde colligi videtur, solis Presbyteris & Diaconis Cardinalibus summum Pontificatum fuisse reservatum, cum antea etiam Subdiaconi Pontifices crearentur, ut dictum est annotat. 1. ad vitam Deusdedit.

(3) Anastasius Bibliothecarius in vita hujus Pontificis pag. 227. & 228.

Natalis Alexander in Hist. Eccl. sæc. VIII. cap. 1. art. 8. *Ex Anastasii narratione difficultas oritur gravissima de Sacrarum Ordinationum iteratione. Videtur enim iterum ordinasse Episcopos, quos Antipapa Constantinus consecraverat. Sed respondemus*, Sacramentum Benedictionis *vocari ab Anastasio, quod Sacramentale duntaxat quoddam fuit, ritusque sacer, quo antiquitus depositi, & gradu suo dejecti, Pontificiæ reconciliationis beneficio ad pristinos honores iterum promovebantur, & pristinos in gradus restituebantur. Ritum etiam illum* Consecrationem

Constantinopolitana adversus imagines sacras, cultusque earum probatus. Concilio dimisso, Stephanus *statuit, ut omni Dominico die a septem Episcopis,* *Car-*

nem *appellavit Anastasius, quia cum Ordinum suorum insignia reciperent coram Altari, & Benedictione Episcopi reconciliarentur, ac potestatem obeundi munia Ordinum, quos illegitime susceperant, ejus indulgentia consequerentur, videbantur quasi de novo consecrari. Alio modo respondet Auxilius lib. 2.* De Ordinationibus Formosi Papæ *cap.* 4. Numquam exemplum a malis esse sumendum.... Quocirca Constantinus, qui Neophytus, armisque circumseptus Apostolicam sibi Cathedram usurpavit, jure damnatus atque dejectus est. Jam vero quod eum oculis privarunt, non Apostolicum, sed Apostaticum est. Ordinationem quoque ejus non rectitudinis intuitu, sed invidiæ zelo, contra Sanctorum Patrum sanctiones, in pristinos deposuerunt gradus. *Et infra:* Bene quod Neophytum ab Apostolica celsitudine projecerunt. Sed manifeste in eis peccaverunt, qui secundum canones ordinati fuerant, & eos deponere non formidarunt, eosque nefario ausu iterum in eadem ordinatione consecrandos esse statuerunt. Alioqui frustra Sanctissimus Leo Papa consuluit, ut Pseudoepiscopi abjiciantur, & eorum Ordinatio rata consistere possit. Frustra enim Papa Anastasius præfixit, ut Ordinationes Acacii nulla portio læsionis attingeret. *Verum multo verisimilius est, Stephanum & Episcopos, qui in Romana Synodo cum ipso sederunt, non ita fuisse Traditionis nescios, ut ordinatos a Constantino, qui vere, etsi non legitime & canonice, consecratus erat Episcopus, iterum ordinandos censerent. Ut enim alia omittam, non ignorabant celebre illud S.* Gregorii Magni *responsum lib. 2. epist. 32. ad Joannem Episcopum Ravennatem data:* Illud autem quod dicitis, ut is, qui ordinatus est, iterum ordinetur, valde ridiculum est, & ab ingenii vestri consideratione extraneum: nisi forte quod exemplum ad medium deducitur, de quo ille judicandus est, qui tale aliquid fecisse perhibetur. Absit autem de Fraternitate vestra sic sapere: sicut enim baptizatus semel, iterum baptizari non debet: ita qui ordinatus est semel, in eodem Ordine iterum consecrari non debet. Sed siquis forsitan cum levi culpa ad Sacerdotium venit, pro culpa pœnitentia indici debet, & tamen Ordo servari. *Non ignorabant decretum Concilii Capuani, quo Bonosi hæretici Ordinationes probatæ sunt: nec Synodi Carthaginiensis tertiæ sanctionem, qua Concilii Capuani senten-* *tia*

Cardinalibus hebdomadariis, qui in Ecclesia Salvatoris observabant Missarum solemnia, super Altare Beati Petri celebraretur, & Gloria in excelsis Deo, *diceretur.* (4) Obiit Kal. Februarii anno 772. cum *annos* Bar. an. 772. §. 1. Pag. §. 1.

P 4 *tres,*

sia confirmata est. Non ignorabant, S. Augustinum Lib. 1. De Baptismo contra Donatistas *cap. 1. probare, non esse iterandum hæreticorum baptisma, quia nec Sacramentum dandi baptismi, id est Ordinatio in eis iteratur. Non est igitur existimandum, eruditum Pontificem, ceterosque Præsules, præcipue Gallicanos, qui sacra eruditione erant conspicui, a Traditione defecisse, & sanxisse Ordinatos a* Constantino *Antipapa iterum esse ordinandos.* Sentit hoc etiam Baronius ad an. *769. §. 6.* Contra vero Joannes Morinus in Comment. De Sacris Ordinationibus part. 3. Exercitat. 5. cap. 5. asserit, Ordinatos a Constantino, utpote qui nullum Sacramenti Ordinis characterem recepissent, iterum initiatos fuisse Ordinibus sacris.

(4) Anastasius Bibliothecarius pag. 230.

Baronius ad an. *769.* §. 12. *Hic prima mentio de septem Episcopis Cardinalibus reperitur, illis scilicet, qui proximos Urbi habentes Episcopatus assisterent Pontifici, eidem sanctæ Romanæ Ecclesiæ annexi cardini. Quorum septem civilia nomina,* ut scribit Joannes Diaconus in lib. De Ecclesia Lateranensi cap. 8. apud Mabillonium tom. 2. Musei Italici pag. 566. hæc sunt: *Episcopus Hostiensis, qui debet consecrare & benedicere Apostolicum, præ omnibus aliis; Episcopus S. Rufinæ secundus; Episcopus Portuensis tertius; Episcopus Albanensis quartus; Episcopus Tusculanensis quintus; Episcopus Sabinensis sextus; Episcopus Prænestinensis septimus.*

Martene lib. 1. de antiquis Ecclesiæ ritibus cap. 3. art. 8. §. 3. pag. 327. *Quo ex loco discimus, septem Episcopos Cardinales olim in Ecclesia Lateranensi hebdomadatim missarum solemnia persolvisse: quam, ob hanc prærogativam, laudat & extollit Petrus Damiani lib. 2. epist. 1. ad sanctos Episcopos Lateranensis Ecclesiæ Cardinales. De hac consuetudine ita scribit Joannes Diaconus in lib.* De Eccl. Lateranensi *cap.* 8. Ad hoc igitur tam solemne sacrosanctum Altare....nullus ad sacrificandum audet accedere præter Domnum Apostolicum, & septem Cardinales Episcopos ejusdem Ecclesiæ hebdomadarios, qui Missam in hac sacrosancta Basilica celebrant per hebdomadas suas.

Bona lib. 2. rer. Liturgic. cap. 4. §. 5. *Ratio hujus edicti est, quia olim a solo Episcopo* (Gloria in excelsis) *dici poterat,*

tres, menses quinque, dies septem & viginti in Pontificatu fuisset. (5)

XCVII.

HADRIANUS I.

ANNO CHRISTI 772.

CONSTANTINI COPRONYMI 32.

HADRIANUS Theodori filius, Romanus, Diaconus Cardinalis vitæ sanctimonia & eruditione insignis, anno 772. V. Idus Februar. Pontifex creatus est. Altero mense Pontificatus nondum exacto, Desiderium Ecclesiasticæ ditioni infestum cernens, verensque minitantem Urbi, per Legatos rogavit Carolum Magnum, ut exemplo Patris Pippini succursum vellet Ecclesiæ, atque Exarchatui, & Regem compelleret ad restituendas Urbes occupatas contra fœdus. Ille Romanæ Ecclesiæ subsidio veniens, Desiderio Ticini obsesso, ac demum capto, & Langobardis in deditionem acceptis,

Bar. an. 772. S. 3. 8. Pag. S. 1.

Bar. an. 773. S. 111. 12.

An. 774. S. 6. 7. Pag. S. 1. 13.

rat, a Presbyteris vero in solo die Paschatis dicebatur; ut initio libri Sacramentorum S. Gregorii legimus: non quia ad Episcopos maxime pertineat Missam celebrare, ut explicat Suarez tom. 3. in 3. p. disput. 83. sect. 1. *sed quia re vera sic ferebat mos priscus Ecclesiæ, ut soli Episcopi hunc hymnum dicerent, sicut soli in prima populi salutatione dicunt* Pax vobis *iis diebus, quibus* Gloria in excelsis *dici solet*. Vide annotat. 3. ad Telesphorum & 7. ad Symmachum.

(5) Ambrosius Autpertus in epist. ad hunc Pontificem, quam præponit libris suis in Apocalypsim S. Joannis tom. 13. Bibl. Patr. pag. 404. *Peto ut vestro etiam decreto professuri firmi maneant: quod videlicet nullum ante me alium tractatorem fecisse reperio*. Ex his verbis Mabillonius Præfat. in Part. 2. sæc. 4. Benedict. num. 177. colligit. Autpertum *existimasse, nullum ante se exstitisse* Tractatorem, *qui libris suis approbatorii decreti auctoritatem a Papa flagitaverit*.

ptis, eorum in Italia Regno finem imposuit anno 774. cum stetisset annos sex supra ducentos. (1) Obsidionis tempore Carolum ad Pascha celebrandum Romam profectum cum omni honore suscepit Hadrianus, tenuitque ab eo, ut donationes & restitutiones a Pippino factas non solum confirmaret, sed etiam augeret. (2) Vix in Galliam reversum Romam rursum Hadrianus accivit adversus Ecclesiæ hostes. Eo, quoniam expeditionem susceperat contra Saxones rebellantes, anno duntaxat 781. cum uxore filiisque Pippino & Ludovico iterum venit; quorum utrumque Pontifex inauguravit, alterum majorem natu Regem Langobardorum, alterum Aquitaniæ. Tum Carolus territorium Sabinense Hadriano ejusque successoribus concessit. Eumdem Carolum reversum in Italiam ad reprimendam audaciam Arigisi Ducis Beneventani, qui rebellaverat, idem Pontifex tertiò Romæ excepit anno 787. Mire lætum Francorum Principum mu-

Bar. an. 781. §. 1. 2. Pag. §. 1.

Bar. an. 787. §. 64. Pag. §. 6.

(1) Langobardi *in Italiam ingressi sunt anno 568. ideoque Regnum Langobardicum duravit tantum annos* 206. Pagius ad an. 774. §. 7.

(2) Vide Petrum de Marca lib. 3. De Concordia Sacerdotii & Imperii cap. 10. §. 5.

Sigebertus in Chron. ad an. 773. inter Scriptores Rer. Germanic. Pistorii tom. 1. pag 780. memoriæ prodidit, Carolum Magnum, post captum Ticinum, Romam iterum concessisse, & Synodo 153. Episcoporum & Abbatum celebratæ ab Hadriano interfuisse: in eaque Hadrianum *dedisse* Carolo *jus eligendi Romanum Pontificem, & insuper Archiepiscopos, & Episcopos per singulas provincias ab eo investituram accipere definivisse*. At Synodum illam esse commentitiam ostendunt Baronius ad an. 774. §. 10 & ad an. 964. §. 22. Victorellus in Addit. ad Ciaconium in Vita Hadriani I. Petrus de Marca lib. 8. De Concordia cap. 12 §. 9. Ludovicus Thomassinus De vetere & nova Ecclesiæ disciplina Part. 2. lib. 2. cap. 20. & 25. & Nicolaus Alemannus De Lateranensibus Parietinis cap. 10. pag. 82. Horum sententiam secutus sum dissertat. 9. unde ea sumes, quæ ad hunc locum pertinent.

munificentia ac patrocinio Hadrianum, multo lætiorem reddidit Constantini VI. & Irenes matris religio, quorum opera Orientali Ecclesiæ pax restituta est. Leone enim IV, Copronymi Patris haud absimili, vita defuncto, filius ejus Constantinus decennis puer, cum Irene matre sanctissima femina Imperium adepti, proscriptam Catholicam Fidem revocarunt. Quam deinde ut stabilirent, anno 787. Hadriani voluntate Concilium generale indixerunt adversus Iconomachos, qui hactenus Orientalem Ecclesiam divexaverant. (3) Suos ad con-

Bar. an. 785. §. 2.

(3) Oecumenicum VII. Nicænum II. Constantinopoli anno 787. inchoatum, ac deinde Nicæam Bithyniæ translatum, ideoque *utriusque Urbis nomine a Scriptoribus*, ut ait Petrus de Marca lib. 2. De Concordia cap. 17. §. 2. *Constantinopolitanum, vel Nicænum dictum*. Absolutum est eodem anno. Numerus Episcoporum, qui interfuerunt, incertus. Non plus quinquaginta supra trecentos fuisse, magis credo. Præfuerunt Hadriani Legati Petrus Archipresbyter Ecclesiæ S. Petri, & Petrus Monachus atque Abbas S. Sabæ. Quod si Tarasius Episcopus Constantinopolitanus habita oratione Concilium inchoavit, & interlocutionibus direxit, id fecit permissu Legatorum. Hi siquidem contenti primum consessus locum tenere, negotium ei dederunt, utpote Græcæ linguæ peritissimo, atque exercitatissimo in iis rebus, de quibus agendum erat. Ceterum *eos in præcipuo capite, de quo erat controversia, jus suum usurpasse, sententiam a Patriarchis & ceteris Episcopis exigendo*, observat Petrus de Marca lib. 5. de Concordia cap. 14. §. 5. Concilium actionibus septem perfectum est. Græci Codices octavam adjiciunt, eam videlicet, quæ habita est Constantinopoli, quo Constantinus & Irene revocarunt Episcopos, ut ab ipsis audirent ea, quæ Nicææ statuta fuerant. Tria in his actionibus notanda sunt. Primum quod Tarasius act. 5. ex Joanne Thessalonicensi asseruit, Angelos *tenui corpore præditos & aereo sive igneo*, id examinatum non fuisse a Concilio, tum quia nonnulli ex antiquis Patribus tam Græcis, quam Latinis ejus sententiæ fuerunt, tum maxime quia de alia doctrina disceptabatur. Alterum, quod act. 6. legitur, Iconomachos, licet Eucharistiam vocarent imaginem Corporis Christi, non tamen negasse, in ea contineri

Conc. Oecum. VII.

conventum hunc Legatos misit Hadrianus, quemadmodum anno 794. ad Synodum a Carolo Magno, se pariter consentiente, indictam Francofurtum. (4) Idem libros Carolinos confutasse dicitur:

(5)

ri verum Christi corpus, ac proinde hæreticos *Protestantes* non solum ab hac VII. Synodo, sed etiam a Pseudoseptima fuisse prædamnatos, eosdemque mentiri impudentissime, cum dicunt, Iconomachos negasse ipsum Domini corpus esse in Sacramento Eucharistiæ. Tertium denique, act. 7. recitatum fuisse Symbolum inserta voce hac: *Qui a Patre, Filioque procedit. Quod*, ut ait Baronius ad an. 787. §. 39. *Iconoclastarum prima fuit illa reprehensio, ne diceretur Spiritus* a Patre Filioque *procedere*. Quod attinet ad cultum imaginum sacrarum, damnati sunt tum ii, qui eas perinde atque idola execrabantur, quique asserebant ornamenti, non venerationis caussa in Templis esse collocandas: tum ii, qui e contrario volebant honorem *Latriæ* illis haberi: adeo falsum est, quod tradunt recentiores Heterodoxi, adorationem *Latriæ*, unius Dei propriam, ab hac Synodo adjudicatam imaginibus Sanctorum.

De imaginibus divinarum personarum nihil decretum. Ex consuetudine usque ab Apostolis deducta Deus Pater senis specie ac figura pingi solet, viri Filius, Spiritus Sanctus Columbæ & ignis. Canones duo & viginti ad Ecclesiæ disciplinam regendam sanciti sunt. Synodum Hadrianus confirmavit.

(4) Adfuerunt huic Concilio trecenti circiter Episcopi ex Italia, Gallia, Germania, atque Britannia, & duo Legati Hadriani, Theophylactus & Stephanus Episcopi. Quare, ut ait Baronius ad an. 794. §. 1. *ob numerositatem Episcoporum præsentiamque Apostolicæ Sedis Legatorum* Plenarium *reperitur nominatum*. Præcipuam convocationis caussam præbuit error Elipandi Archiepiscopi Toletani, & Felicis Urgellitani Antistitis, qui Christum non verum, sed adoptivum Dei filium asserebant. Canones sex & quinquaginta conditi. Canone secundo damnatam Synodum Nicænam II. Oecumenicam VII. falso ajunt recentiores Iconomachi. Etenim canone illo damnatur doctrina ejus Synodi, *in qua scriptum habebatur, ut qui imaginibus Sanctorum ita ut Deificæ Trinitati servitium, aut adorationem non impenderent, anathema judicarentur*. Quod Nicæna II. Synodus nec decrevit, nec dixit: imo *salutationem & honorariam adorationem*, quam tribuit imaginibus sacris, distinguit a cultu *Latriæ*,

qui

(5) idemque litteras Pontificias, quæ cera primum signabantur, plumbo muniendas decrevisse. (6) Exitu anni 795. VIII. Kal. Januar. decessit, cum *an-*

Bar. An. 795. § 1. n. Pag. § 1.

nos

qui debetur soli Deo, & postrema act. 7. statuit, *honorariam his* (imaginibus) *adorationem tribuendam, non tamen veram* Latriam, *quæ secundum fidem est, quæque solam divinam naturam decet.*

(5) Epistola ad Carolum Magnum, quæ exstat apud Labbeum tom. 7. Conc. pag. 915. apud Harduinum tom. 4. Conc. pag. 773.

Petavius tom. 5. Theologic. Dogmat. lib. 15. cap. 12. *Per idem tempus editum est sub Caroli M. Francorum Regis nomine Opus quoddam in quatuor libros distributum ..... Est autem Carolinum opus illud impendio virulentum & acerbum contra Synodum VII, & eos, qui in illa sententiam dixerunt: quos identidem mordacibus dictis & aculeatis configit .... Prodiit in lucem anno Christi 1549. ab nescio quo editum, qui & præfationem scripsit, primis nominis sui syllabis præfixis* Eli, Phili: *Hunc vero perspicuum est e Lutheri secta fuisse capitalem hominem, qui adversus Imaginum cultum & Catholicam partem rabiosum ac virulentum stilum exercuit .... Ceterum de Carolino hoc Opere non sine caussa queritur, an ad Hadrianum Papam Romam sit a Carolo missum, eique responderit Hadrianus. Neminem legi hactenus de hoc argumento disputantem, qui non pro certo illud habuerit, Carolum Magnum quatuor istos libros per Engilbertum Abbatem Romam destinasse, & eos ab Hadriano confutatos esse. Sed cur ab illis dissentiam; his potissimum rationibus adducor.* Et rationibus allatis, ita concludit. *Mea porro hæc opinio est, non ab Carolo ipso, sed ejus nomine elaboratum illud opus esse una cum Præfatione ab Episcopo aliquo, vel etiam pluribus, hortatu, quantum licet conjicere, Caroli ipsius, qui tamen Opus ipsum neque legerit, neque probaverit.* Petavio in hoc accedit Nat. Alexander in Hist. Eccl. sæc. 8. dissertat. 6. §. 6. ubi contra Bellarminum, qui tum lib. 2. De Conciliis cap. 8. tum lib. 2. de imaginibus cap. 15. libros illos Carolo penitus abjudicat, eos dicit *vel a Carolo Magno, vel eo jubente ab alio Regio ejus nomine compositos & vulgatos.*

(6) Pontifices sigilla plumbo imprimere cœpisse circa tempora Stephani III. & Hadriani I. tradit Polydorus Vergilius lib. 8. de rerum inventoribus cap. 20. Thomas Stubbius, qui vixit sub annum 1360. id refert ad Gregorium I. Dominicus Raynaldus Bibliothecæ Vaticanæ custos, apud

Alla-

nos tres & viginti, menses decem, dies decem septemque in Pontificatu confecisset, ita Carolo Magno carus, ut audita ejus morte non temperaverit a lacrimis, teste Eginhardo in vita ejusdem Caroli cap. 19.

XCVIII.

Allatium lib. 1. De Ecclesiæ Occidental. & Oriental. consensione, cap. 6. §. 2. ad Silvestrum I. Momenta rationum, quæ a singulis afferuntur, expendit Mabillonius lib. 2. de re diplomatica cap. 14. Nunc sigilla Pontificum sunt capita D. Petri & Pauli impressa plumbo. Petrus lævam, Paulus dexteram tenet, *sive quod in sacris potior locus semper sinister sit habitus, dexter vero posterior*, ut ait Baronius ad an. 325. § 58. sive quod *scalptores & cælatores*, ut conjicit Antonius Carracciolus apud memoratum Allatium §. 3 *ex hallucinatione vitioque in scalptis a se formis sigillisque Petrum dextra, Paulum sinistra cælarunt: quod sane contra fecisse oportuit, ut suum quisque locum expressus in plumbo haberet. Ea enim natura est cælaturæ, ut quæ in typo formaque dextra sunt, evadant expressa sinistra, & e contrario.... Primus, qui ejusmodi levi & perturbati ordinis meminerit, fuit Petrus Damiani, qui post Christi millesimum vixit, scripsit.*

Anulus *Piscatorius* solam exhibet imaginem D. Petri habitu piscantis e navicula. Hunc *Brevibus* Pontificiis sæculo XV. appositum fuisse, tradit Mabillonius laudatus, cum antea Pontifices eo uterentur ad obsignandas privatas epistolas, quas nunc obsignant symbolis gentilitiis.

Brevia, ut ait idem Mabillonius, *dicuntur, quod brevi via seu manu, remotis omnibus ambagibus, absolvuntur; quippe quæ a Pontifice, ut plurimum, sponte & absque rei longa discussione conficiuntur. Bullæ vero ea de caussa fiunt, ut diuturniores sint, & illæ potissimum, quæ Cardinalium subscriptione firmatæ, & Consistoriales dicuntur*. Vide Cardinalem Petram Proem. in Comment. ad Constitutiones Apostolicas §. 1. & 2. & annotat. 3. ad Clementem IV.

XCVIII.

LEO III.

ANNO CHRISTI 795.

CONSTANTINI VI. PORPHYROGENITI SOLIUS 6.

Bar. an. 795. §. 40. Pag. §. 1. An. 796. §. 16. 17. Pag. §. 3. 4.

POSTRIDIE obitum Hadriani, eo ipso die, quo sepulturæ mandatus est, in ejus locum Leonem III. Azupii filium, Romanum, & Romanæ Ecclesiæ Presbyterum, *in Scripturis tam divinis, quam sæcularibus valde eruditum, morum quoque & vita sanctimonia clarissimum* (1) Clerus populusque legerunt. Hic VI. Kal. Januar. Pontifex consecratus, statim Legatos de electione sua misit ad Carolum Francorum Regem, petens, ut perseveraret Romanam Ecclesiam tueri. Ille vicissim per Angilbertum Abbatem Romam missum rogavit Leonem, ut affirmaret sibi Patriciatum, cujus jure arma sumeret pro Ecclesiæ defensione. Leo itaque *misit Legatos cum muneribus ad Regem, claves etiam Confessionis S. Petri, & vexillum Romanæ Urbis eidem direxit.* (2) *Quorum insignium duorum altero quidem Civilis, altero vero Ecclesiasticæ rei defendendæ facultas Carolo deferebatur.* (3) Officio suo non defuit Carolus. Nam ex-

(1) Trithemius De Scriptoribus Ecclesiasticis cap. 256. apud Joan. Albertum Fabricium in Bibliotheca Ecclesiastica pag. 69.

(2) Annales Francorum Loiseliani ad an. 796. apud Duchesnium tom. 2. pag. 39.

(3) Nicolaus Alemannus De Lateranensibus Parietinis cap. 14. in Thesauro Antiquitatum & Historiarum Italiæ tom. 8. part. 4. pag. 54. & 55.

Andreas Victorellus in Addit. ad Ciaconium in Vita Leo-

excitatas factionibus improborum turbas contra Leonem, quarta vice Romam veniens sedavit. (4) Tum Leo, ut Principem de Romana Ecclesia optime meritum ad ejusdem defensionem, cui Impe- Bar. an. 100. §. 1. 6. §. 12. Pagius §. 9. 10.

pe-

Leonis III. Alemannum secutus conjicit, Claves Confessionis S. Petri a Leone missas ad Carolum non fuisse *thecas Reliquiis refertas*, ut visum est Bellarmino De Translat. Imp. lib 1. cap. 13 & Baronio ad an. 796. §. 16. *sed veras Claves, quæ Vaticanæ Basilicæ fores claudebant & reserabant, vel monumenti Principis Apostolorum penetralia servabant. Id enim fecit Gregorius* III. *cum Carolo Martello Urbanam obtulit præfecturam, petiitque ab eo, ut Romanæ Ecclesiæ susciperet defensionem: indicabat autem ea re Gregorius se Carolo Martello defendendæ Ecclesiæ negotium tribuere; & nihil tam Sanctum Romæ reperiri, quod sub ejus tutela & præsidio esse, non exoptaret.*

Abrahamus Bzovius De Rom. Pont. apud Rocabertum tom. 1. Bibliothecæ Pontificiæ pag. 19 *Falsi Novatores, qui ex eo quod Leo* III. *Carolo Magno claves aureas ex Sepulcro S. Petri de more acceptas, & vexillum Romanæ Urbis miserit, per claves Carolum in possessionem Romanæ Ecclesiæ, & per vexillum Romanæ Urbis immissum affirmant, ignorantes miseri, vexillum tamquam Defensori Ecclesiæ, Claves autem velut religioso reliquiarum cultori missas ritu prisco esse: cum ea non tantum Imperatoribus, verum & aliis Principibus Christianis, quibus nihil juris in Ecclesiam Romanam est, temporibus Gregorii caussa devotionis mitterentur.* Eadem ante Bzovium scripserat Baronius ad an. 796. §. 16. Eodem modo loquitur Pagius ad an. eumd. § 4. qui §. 6. hæc de numismate Leonis III, de quo dictum est in vita Leonis I, scribit contra Petrum de Marca: *Verum ante* Leonem III. *similia numismata cudere potuit* Stephanus II, *& ejus successores, quia ii non minus, quam* Leo III. *supremi Urbis Domini fuere, quod non video in posterum in dubium revocari posse.* Hoc Pagii testimonio refelles ea, quæ alibi his contraria eidem Pagio imprudenti exciderunt. Vide annotat. 9. ad Leonem I. & 5. ad Stephanum II.

(4) Monachus Sangalensis apud Duchesnium tom. 2. pag. 118. Leo vexatus a Romanis, id *clanculo per familiares suos Michaeli Imperatori Constantinopoleos indicari fecit: & ille omne auxilium ab eo retraxit dicens: Ille Papa Regnum habet per se, & nostro præstantius, ipse se per se ipsum vindicet de adversariis suis.*

peratores Orientis jampridem renunciasse videbantur, novo beneficio incitaret, ipso Natali Christi Domini die in Vaticana S. Petri æde nihil tale cogitantem appellavit Imperatorem Romanorum, & decoratum corona inunxit oleo sacro. (5) *Quem ergo antea Patricium defensorem Ecclesiæ quæsiverant Pontifices, eumdem Cæsarem Ecclesiæ defensorem Leo postmodum habuit, rituque solemni publice renuntiavit.* (6)

(5) Eginhardus, seu Eginarthus Caroli Magni Cancellarius De Vita ejus cap. 28. *Imperatoris & Augusti nomen accepit, quod primo tantum aversatus est, ut affirmaret, se eo die, quamvis præcipua festivitas esset, Ecclesiam non intraturum fuisse, si Pontificis consilium præscire potuisset.* Carolus *deinde, omisso Patricii nomine, Imperator & Augustus appellatus est*, ut habetur in Annalibus Laureshamensibus, qui memoratum Eginhardum auctorem præferunt, apud Duchesnium tom. 2. pag. 251. Consentiunt Annales Bertiniani ad an. 801. tom. 2. Scriptorum Rer. Italic. pag. 505.

Idem Carolus Magnus primus Imperatorum Occidentis a Leone III. solemni ritu inauguratus est. Ejus exemplo Ludovicus Pius a Stephano IV, Lotharius ejus filius a Paschali I. anno 823, Ludovicus II. Lothario genitus, anno 850. a Leone IV. & deinde alii. Non enim Francorum Reges se Imperatoris nomine appellarunt, antequam Romæ a summo Pontifice inungerentur oleo sacro. Ludovicus II. in epist. ad Basilium Macedonem, Græcorum Imperatorem, apud Baronium ad an. 871. §. 59 *Matrem omnium Ecclesiarum Dei defendendam, atque sublimandam suscepimus, ex qua & regnandi prius, & postmodum imperandi auctoritatem prosapiæ nostræ seminarium sumsit. Nam Francorum Principes primo Reges, deinde vero Imperatores dicti sunt ii duntaxat, qui a Romano Pontifice ad hoc oleo Sancto perfusi sunt.* Germani postea Imperatores semel, iterum, ac tertio inaugurari consueverunt. Siquidem Aquisgrani primum imponitur ipsis corona argentea, tamquam Germaniæ Regibus: deinde Modoetiæ vel Mediolani ferrea, ut Regibus Langobardorum: postremo aurea Romæ, ut Imperatoribus. Ritus & ceremonias describit Ludovicus Antonius Muratorius in Commentario De Corona ferrea cap. 16. Vide annotat. 4. ad S. Joannem I.

(6) Tali modo instauravit Romanum in Occidente Imperium, quod ante trecentos amplius annos cum Momyllo Augustulo defecerat. (7) Cum Carolus Imperator Roma digressus Spoleti degeret, terra ingenti concussa motu tectum Basilicæ S. Pauli Romæ excussit, quarumdam Urbium Italiæ partes prostravit, montes etiam proruit. *Ob id, institutum est a Leone, ut præcedentibus tribus Ascensionem diebus supplicationes ad diversa templa haberentur: quam rem Mamertus Episcopus Viennensis in Ecclesiam suam primus intulerat, seque pariter ingentis quondam terræmotus periculo liberaverat*. (8) De sanguine Chri- Bar. an. 801. §. 1. Pagius §. 2.

Q

(6) Nicolaus Alemannus cit. cap. 14. ubi hæc etiam habet: *Principio pono, quod est verissimum, Romanum hoc est Christianorum Imperium duo in primis complecti, summam inter Christianos omnes Principes dignitatem, a quibus Cæsar quasi Pater patriæ suspicitur; & Ecclesiæ defensionem, quam illi quidem ceu Primipili, Cæsar vero tamquam Legionum Imperator suscipere tenetur*.

(7) De instauratione Imperii Occidentalis facta a Leone III. dixi summatim dissertat. 10. fuse dixit Cardinalis Sfondratus in Gallia Vindicata dissertat. 2. §. 2. num. 7. Bellarminus De translatione Imperii a Græcis ad Francos, & Cardinalis Petra Comment. ad Constitut. Apostol. tom. 3. pag. 123. num. 7. Vide annotat. 4. ad S. Simplicium.

(8) Sigonius lib. 4. De Regno Italiæ ad an. 801. pag. 160.

Ordericus Vitalis lib. 2. Hist. Eccl. pag. 454. inter Scriptores Historiæ Normannorum Duchesnii: *Post hæc Indictione IX II. Kal. Maji terræmotus magnus factus est, & totam Ecclesiam S. Pauli Apostoli diruit, quam Leo Papa optime reparavit. Litanias quoque idem Præsul tribus diebus ante Ascensionem Domini jussit celebrari. Nullus prædecessorum ejus in Ecclesiis Sanctorum & ornamentis vel aliis necessariis rebus plusquam ille operatus est*.

Luitprandus Ticinensis Diaconus De vitis Rom. Pont. seu alius ejus libri auctor, in vita Leonis III. *Hic constituit, ut tres dies ante Dominicam Ascensionem Litaniæ celebrarentur*.

Sidonius Apollinaris lib. 5. epist. 14. *Quarum*, videlicet Rogationum, *nobis solemnitatem primus Mamertus Pater & Pon-*

Bar. an. 804. §. 1. 3. Pag. §. 2. 4. Christi, ut fama erat, Mantuæ reperto quæsiturus, illuc Caroli Magni rogatu se contulit, compertamque rei veritatem ipse in Galliam profectus nunciavit. (9) Inde, Imperatore comite, processit in Germaniam, eoque petente, si vana narrantibus credere velis, solemnibus ceremoniis decrevit B. Suit-

Pontifex reverentissimo exemplo, utilissimo experimento invenit, instituit, invexit. Jac. Sirmondus ad hunc locum: *De institutis a Mamerto Viennensi Episcopo rogationibus exstat homilia Alcimi Aviti ejusdem Ecclesiæ Antistitis; & consentiunt antiqui omnes Scriptores. Quare frustra laborant, qui propterea quod Litanias, supplicationesque ante Mamertum in Ecclesia exstitisse legunt, ideo illum rogationum non primum auctorem. sed restauratorem dici volunt. Frustra inquam. Neque enim quæstio est, an primus Litaniarum usum in Ecclesiam invexerit, quem constat multo antiquiorem fuisse: sed an eas instituerit, quæ ante Ascensionem Domini celebrantur, Rogationesque propria jam voce nuncupantur. In quo, ut dixi, consentiunt omnes, & Sidonii verba* invenit, instituit, invexit, *dubitari non sinunt. Rogationum ergo primus auctor Mamertus.*

Micrologus cap. 57. tom. 18. Bibl. Patr. pag. 489. *Triduana Litania ante Ascensionem Domini non Romanæ, sed Gallicanæ sunt, quia illas S. Mamertus Viennensis Episcopus instituisse legitur: quas sancti Patres non equitando, non vestibus pretiosis utendo, sed in cinere & cilicio, sicut & Majorem Litaniam, observari statuerunt.* Vide Hugonem Menardum in observat. ad Librum Sacramentorum S. Gregorii pag. 393. Mabillonium De Liturgia Gallicana pag. 152. & Edemundum Martene De divinis Officiis cap. 27.

(9) Lege Eminentissimum Auctorem Lambertinum De Serv. Dei Beatif. & Beat. Canoniz. lib. 4. part. 2. cap. 7. Vide etiam Bolland. die 15. Martii pag. 378. num. 12. & Honoratum a S. Maria tom. 3. Animadversionum in regulas & usum Critices lib. 5. dissertat. 5. §. 1. Uterque recitat versus Joannis Baptistæ Mantuani ex libro 3. Fastorum ita canentis de S Longini corpore una cum Christi sanguine translato Cæsarea Mantuam:

Sacula post aliquot tua sunt translata per undas
Corpora in Italiam Christi cum sanguine sacro.
Ad Crucis excelsæ quondam vestigia lectio,
Atque in vase brevi tecum post fata sepulto,
Ultima divino sedes sibi Mantua nutu
Hospitiumque fuit.... Hic requiescis adhuc.

Suitbertum habendum esse in numero Sanctorum. (10) Post discessum Leonis Romam, in Concilio, ab Carolo indicto Aquisgranum, de processione Spiritus Sancti *a Filio* disceptatum est, tandemque eo descensum, ut Legati mitterentur ad Leonem petentes, ut controversiam ipse dijudicaret, & vocem *Filioque* ab Gallis & Hispanis Episcopis Constantinopolitano Symbolo recte insertam responderet. At nihil actum legatione ea, Leone additamentum non probante. Simul enim ut ostenderet se custodem antiquitatis, simul ut repelleret calumnias Græcorum conquerentium, non magni fieri a Latinis auctoritatem Concilii Nicæni & Constantinopolitani, Symbolum prout a 150. Patribus Constantinopoli editum fuerat, in duabus argenteis tabulis, in altera Græcis, in altera Latinis litteris incisum, in S. Petri æde proposuit. (11) Cum *annos viginti, menses quinque, & dies sexdecim* regnasset, anno 816. III. Idus Junii, clarus vitæ sanctimonia decessit: quem *una die septies vel novies Missarum solemnia sæpius celebrasse, fidelium relatione virorum tradit* Walafridus Strabo De rebus Ecclesiasticis cap. 21. (12)

Bar. an. 809. §. 52. 53. 62. Pag. §. 3. 4. 5. 7.

Bar. an. 816. §. 41. 54. Pag. §. 6.

(10) Qui putant, hanc fuisse primam solemnem canonizationem, decepti sunt epistola S. Ludgeri Episcopi Monasteriensis, quam refert Baronius ad an. 804. §. 2. Siquidem epistolam illam, seu narrationem vitæ S. Suitberti subdititiam esse, ostendit Cardinalis Lambertinus De Serv. Dei Beat. & Beat. Canoniz. lib. 1. cap. 7. num. 13. & cap. 8. num. 2. pluribus auctoribus affirmat, *primam Canonizationem a summo Pontifice solemniter factam non esse eam S. Suitberti, quæ facta dicitur a Leone III, sed eam S. Udalrici* Episcopi Augustani *factam a Joanne XV.*

(11) Vide annotat. 7. ad S. Damasum I.

(12) Bona lib. 5. Rer. Liturgic. cap. 18. §. 5. multa recenset Sanctorum virorum exempla, qui pluries uno die sacrificium peragebant, nulla etiam urgente necessitate, ex sola pietate in Deum: quia nimirum ea erat illorum temporum consuetudo, quam postea abrogavit Alexander II. ut demonstratum est annotat. 5. ad ejus vitam.

XCIX.

STEPHANUS IV.

ANNO CHRISTI 816.

LUDOVICI PII 3. LEONIS ARMENI 4.

STEPHANUS IV. Marini filius, Romanus, anno 816. X. Kal. Jul. *post* Leonem III. *successit. Qui statim postquam Pontificatum suscepit, jussit, omnem populum Romanum fidelitatem cum juramento promittere Ludovico* Pio Caroli Magni filio: (1) *idque ea de caussa, ut tumultuari soliti Romani in Romanum Pontificem, (ut vidimus in Leone) eo saltem modo coerceri possent.* (2) Paullo post concessit in Galliam, eumdem Ludovicum cum Irmingarda ejus conjuge consecraturus. Gratissimus ejus adventus fuit, tantoque honore Remis exceptus, quantum Pontifici summo haberi decet a Principe Christianissimo. Ludovicus, ut alia omittam, Stephano Remos accedenti obviam egressus, ter se ad pedes ejus prostravit *omni corpore*, antequam ipsum alloqui auderet. Pontifex *proxima die Dominica, in Ecclesia, ante Missarum solemnia, coram Clero & omni populo consecravit eum & unxit ad Imperatorem, & coronam auream mira pulchritudinis, & pretiosissimis gemmis ornatam, quam secum apportaverat, posuit supra caput ejus. Et Irmingardam Reginam appel-*

Bar. An. 816. §. 99. 100. Pag. §. 8. 9.

Bar. an. 817. §. 1. Pag. §. 1.

(1) Theganus *scriptor hujus ætatis, Chorepiscopus Trevirensis*, ut ait Baronius ad an. 813. § 12. in Annalibus de gestis Ludovici Pii cap. 16. inter Scriptores Historiæ Francorum Duchesnii tom. 2. pag. 278.

(2) Baronius ad an. 816. §. 99.

Pagius ad an. 789. §. 9. *Senatus, Populusque se fideles profitentur Pippino* (ad eumdem modum Ludovico) *tamquam suo Defensori*. Vide annotat. 3. ad Sergium II.

pellavit Augustam, & posuit coronam auream super caput ejus. (3) Novembre inito rediit Romam, & IX. Kal. Februar. anni insequentis 817. obiit, post *mensem septimum*, quam Pontifex factus fuerat. (4)

Q 3 C.

(3) Theganus citatus cap. 17. apud Duchesnium tom. 2. pag. 278.

(4) Apud Gratianum dist. 63. cap. *Quia sancta* 28. exstat decretum inscriptum nomine Stephani Papæ, quo statuitur, ut Pontifex *electus præsentibus Legatis Imperialibus consecretur*. Baronius ad an. 816. §. 101. Natalis Alexander in Hist. Eccl. Sæc. IX. & X. cap. 1. art. 2. aliique decretum illud huic Stephano IV. suppositum fuisse existimant. At Pagius ad an. 897. §. 4. legem hanc affirmat non ab hoc Stephano IV. sed a Stephano VI. aliis VII. re vera promulgatam. Respicit lex hæc Romanæ Ecclesiæ defensionem, quæ pertinet ad Imperatorem, tamquam Ecclesiæ patronum. Ad munus autem defensoris Romanæ Ecclesiæ spectabat etiam custodia *Conclavis*, ut vocabulo utar novo ad explicandam rem antiquam: quæ custodia necessaria erat ad prohibendam vim, in electione summorum Pontificum aliquando adhiberi solitam a Romanis. Itaque Pontifices ipsi, ut malo huic remedium invenirent, decreverunt, electionem Pontificis faciendam coram Legatis Imperatoris, ut illi auctoritate sua ac patrocinio Romanos continerent in officio. Cura vero mittendi legatos ad comitia Pontificia Imperatori, tamquam Ecclesiæ patrono, imposita est duntaxat post mortem Paschalis I. Hujus enim successor Eugenius II. ob turbas in electione sua coortas anno 825. cavit, ut electio Romani Pontificis fieret præsentibus Imperatoris Legatis, *ad vitanda in posterum comitiorum dissidia*, ut dicit Pagius ad an. 825. §. 29. Eugenii II. decretum anno 847. confirmavit Leo IV. referente eodem Pagio ad an. eumdem §. 9. postea anno 897. Stephanus VI. vulgo VII. (& hujus decretum recitatur a Gratiano loco memorato) denique anno 904. Joannes IX. Hic enim Concilio Romæ celebrato constituit, ut consecrationi Pontificum *ab Imperatore directi intersint Nuntii, qui violentiam & scandala in ejus consecratione non permittant fieri*, ut est apud Baronium ad an. 904. §. 13, & apud Labbeum tom. 9. Conc. pag. 505. Vide annotat. 3. ad Joannem IX.

Sed cum temporis progressu Imperatorum Legati turbas

&

C.

S. PASCHALIS I.

ANNO CHRISTI 817.

LUDOVICI PII 4. LEONIS ARMENI 5.

POSTRIDIE mortem Stephani IV. in locum ejus suffectus est Paschalis Bonosi filius, Romanus. Hic Theodorum Nomenclatorem ad Ludovicum Pium legavit, renovandæ pactioni a Patre ejus Avoque initæ cum Romanis Pontificibus. Imperator animo libenti indulsit omnia, & per eumdem Theodorum transmisit ad Paschalem constitutionem, qua non solum jussit, rata esse quæcumque donata vel restituta fuerant Romanæ Ecclesiæ ab decessoribus suis; sed etiam Sicilia Sardiniaque adjectis donationem cumulavit. Addidit donationi legem, ut recens electi Pontifices Romani, postquam consecrati essent, ad Reges Francorum mitterent Legatos suos, qui mutuam *amicitiam & caritatem & pacem sociarent*, ut ipse loquitur in constitu-

Bar. an. 817. §. 2. 4. 10. 14. 15. Pag. §. 1. 2. 9.

& factiones excitarent magis, quam compescerent, custodiendi *Conclavis* munus dederunt Pontifices Senatori Romano, qui fidem suam obligabat Pontifici jurisjurandi formula ea quæ est in Ordine Romano Centii Camerarii apud Mabillonium tom. 2. Musei Italici cap. 48. pag 215. At cum hujus quoque viri auctoritate ac potentia oppugnaretur potius, quam ex vetere primoque instituto defenderetur Ecclesia Romana, Nicolaus III. transtulit munus illud *ad minorum gentium præsides, ut hodie videmus*, inquit Nicolaus Alemannus in dissertat. De Lateranensibus parietinis cap. 11. legiturque decretum in cap. *Fundamenta* 17. *De elect.* in 6. Hæc dixi secutus auctorem libri, qui inscribitur: *Il Dominio temporale della Sede Apostolica sopra la Città di Comacchio*, cap. 105.

tutione memorata. (1) Post hæc filium suum Lotharium factum consortem Imperii, Regemque Italiæ misit in Italiam, tum ut partes muneris Regii obiret jure dicundo, tum ut Regni Langobardici coronam, & Imperatoris Augusti nomen acciperet a Pontifice. Solemnem ceremoniam ipso die resurrectionis Christi Domini in Æde S. Petri Paschalis peregit, & *potestatem, quam prisci Imperatores habuere, ei super populum Romanum concessit*. (2) Anno inse- Bar. an. 823. §. 1. Pag. §. 1.

Q 4

(1) Hujus constitutionis partem recitat Gratianus dist. 63. cap. *Ego Ludovicus* 30. Integram Sigonius lib. 4. De Regno Italiæ ad an. 817. pag. 171. sed & subscriptionibus carentem, & erroribus fœdam. Ex quatuor Vaticanis Codicibus emendavit Baronius, inclusitque Annalibus ad eumd. an. 817. §. 10. Eamdemque in Annales Ecclesiæ Francorum retulit Carolus Cointius ad an. cit. §. 6. ostenditque, eam aliqua ex parte complecti donationem novam, at majori ex parte confirmare ea, quæ donata vel restituta fuerant Romanæ Ecclesiæ.

Hanc Ludovici Pii constitutionem, a qua pendent constitutiones aliorum Imperatorum, subdititiam esse dixerunt hæretici nonnulli. Carolus Molineus Calvinista, omnium primus illam in dubium revocavit. Hunc secuti Joannes Volphius, & Melchior Goldastus, alter in libro illo pestilentissimo, cui titulus: *Lectiones memorabiles & reconditæ:* alter in suo *Rationali Constitutionum Imperialium*. Horum vestigiis institere postea alii, quos refellit auctor libri, qui inscribitur: *Il Dominio temporale della Santa Sede sopra la Città di Comacchio* cap 7. & 8, idemque auctor libri, cui titulus: *Difesa seconda del Dominio temporale* &c. cap. 24.

(2) Ita habet Fragmentum Langobardicæ historiæ, Paulo Diacono attributum, quod exstat tom. 1. part. 2. Scriptor. Rer. Italic. pag. 184. Ideo autem Pontifices potestatem hujusmodi indulgebant Imperatoribus, ut Imperatores ea freti reprimerent turbas, motus, ac factiones Romanorum, Ecclesiamque tutarentur ab hostium injuriis. Id quod non gravate concedit Pagius ad an. 823. §. 3. & ad an. 755 §. 6. 789. § 9. 796. §. 11. & 826. §. 1. docet, post Gregorium II. Urbis Romæ, & post Stephanum II. etiam Exarchatus administrationem summam & jus omne fuisse penes summos Pontifices.

Lu-

Bar. an. 824. §. 1. Pag. §. 1. sequente IV. Idus Februarii ex hac vita migravit, *anno septimo & die decimo septimo*, quam summo Sacerdotio præfectus fuerat.

CI.

EUGENIUS II.

ANNO CHRISTI 824.

LUDOVICI PII 11. MICHAELIS II. BALBI 5.

IN Paschalis I. *locum, cum duo per contentionem populi fuissent electi*, Eugenius *tamen Archipresbyter tituli S. Sabinæ, vincente Nobilium parte, subrogatus atque ordinatus est*, anno 824. XIV. Kal. Martii. (1) Is Boemundi filius, Romanus. Lotharium Augustum Romam a Ludovico Patre missum schismatis tollendi caussa, suscepit perhonorifice. Occasione ea ab Lothario, antequam Roma discederet, edita est constitutio de electione Pontificis. (2)

Bar. an. 824. §. 11. 12. Pag. §. 1.

Ludovicus Thomassinus De vetere & nova Ecclesiæ disciplina tom 3. lib 1. cap. 29. § 6. & 7. perpensis rebus ab Gregorio II. & III Zacharia, & Stephano II. gestis per occasionem occupatæ a Langobardis Pontificiæ ditionis, loquitur ad hunc modum: *Dilucidum hic est plane, penes Papam fuisse summam administrationem Romæ & Exarchatus, ipsum pacis fœdera sanxisse, bellis obviasse, urbes defendisse, ac recuperasse, hostes propulsasse, auctoritate apud Imperatorem & Reges circumjacentes plurimum valuisse. Ita jam re, necdum nomine Principatus penes illum erat, moderante his omnibus Numinis providentia inter tantas bellorum tempestates.*

(1) Annales Bertiniani ad an. 824. tom. 2. Scriptor. Rer. Italic. pag. 516.

Ciaconius in vita hujus Pontificis: *Alter Zinzinus Rom. S. R. E. Presbyter Cardinalis electus a minori parte, post aliquot dies coactus abdicavit.* Unde id acceperit, ignotum.

(2) Exinde Eugenius Concilium sexaginta Episcoporum Romæ habuit, & canonibus duodequadraginta Ecclesiæ disciplinam emendavit. (3) Instituerítne ritum purgationis per aquam frigidam, dubitatur. (4) Decessit mense Augusto anni 827. *anno Pontificatus tertio* jam exacto. Quot menses ac dies supra annos tres Romanam Ecclesiam administraverit, incompertum. Siquidem, ut ait Pagius, *nullibi apud antiquos dies ejus mortis memoratur*.

Bar. an. 826. §. 1. Pag. §. 1.

An. 827. §. 26. Pag. §. 7. 8.

CII.

(2) Partem hujus constitutionis habes apud Baronium ad an. 824 §. 13. integram & in novem capitula distributam apud Cointium ad an. eumd. §. 21. & Pagium §. 3. Capite ejus tertio ita statuitur: *In electione autem Romani Pontificis nullus sive liber, sive servus præsumat aliquod impedimentum facere. Sed illi solummodo Romani, quibus antiquitus concessum est constitutione sanctorum Patrum, sibi eligant Pontificem*. Sigonius De Regno Italiæ lib 4. ad an 825. pag. 179. post recitatam hujus constitutionis partem, subjicit hæc: *Illud etiam propter tumultus superiores adjectum videtur, ut ad vitanda comitiorum diffidia aut Legati Regis, aut Rex ipse, si in Urbe adessent, consecrationi interessent. Sic enim subsequentibus annis est observatum, & postremo nova etiam lege sancitum*. Quod Sigonius hoc loco indicat subobscure, Pagius ad an. 825. §. 29. ponit pro certo, aitque, Eugenium II. Romæ commorante Lothario, decrevisse, ut Legati Imperatoris interessent consecrationi Romani Pontificis. Quod decretum postea Leo IV. Stephanus VI. & Joannes IX. confirmarunt, ut dictum est annotat. 4. ad vitam Stephani IV. Vide annotat. 3 ad Sergium II.

(3) Canon 34. est *De scholis reparandis pro studio litterarum*: cui canoni nonnulla addidit Leo IV, ut legere est apud Labbeum tom. 8. Conc. pag. 105. 112. 117. & apud Pagium ad an. 826. §. 2

(4) Ducangius in Glossario verbo *Aqua*: *Aqua, vel aquæ frigidæ judicium una ex purgationibus vulgaribus, quas* judicia Dei *appellant: qua criminis alicujus suspectus, vel de gravi aliquo facinore delatus, in aquam demergebatur: ita ut si supernataret, nocens ac reus, contra si in imum delaberetur, innocens judicaretur*.

Ritum hujus purgationis, seu *probationis per aquam frigi-*

dam

CII.

VALENTINUS.

ANNO CHRISTI 827.

LUDOVICI PII 14. MICHAELIS II. BALBI 8.

VALENTINUS Petri filius, Romanus, & Romanæ Ecclesiæ Archidiaconus, quo die
Bar.an.827. electus, quove die mortuus sit, incertum est. Illud
§. 27.29. constat, brevissimum fuisse Pontificatum ejus. Cum
Pag.§.7. enim ad *diem quadragesimum* Pontifex fuisset, anno 827. excessit e vita. (1)

CIII.

dam ab Eugenio Papa II. *institutæ* refert Mabillonius tom. 1. Veterum Analectorum pag. 47. ex *Remigianis membranis pervetustis, sæculo IX. exaratis*. Natalis Alexander in Hist. Eccl. sæc. IX. cap. 1. art. 4. *vix sibi persuadere potest, id ab Eugenio Papa inventum, & ab omnibus Christianis observari jussum*. Itaque quatuor rationibus contendit fidem habendam non esse membranis Remigianis. Franciscus Pagius in vita hujus Pontificis § 15. sentit cum Mabillonio, & rationes Natalis Alexandri refellit. Ego utri magis credam, non habeo, atque in hoc sequor Zegerum Bernardum Van Espen Juris Ecclesiastici universi part. 3. tit. 8. cap. 4. De Purgatione vulgari & canonica §. 15. 16. 17.

(1) Mabillonius Comment. in Ordinem Romanum cap. 18. pag. 117. ex iis, quæ de hujus Pontificis consecratione scribit Anastasius ad hunc modum concludit: *Tunc ergo hi erant consecrationis ritus, nempe ipsa novi Pontificis consecratio ad S. Petrum, impositio ejusdem in sedem S. Petri, oblatio Sacrificii per novum Pontificem, convivium, munera in Senatum & populum erogata, quæ* Presbyteria *vulgari nomine appellabant*. Idemque pag. 119. Valentini exemplo docet, Diaconum, prætermisso Ordine Presbyteratus, consecratum fuisse Pontificem. *Valentinus quippe* Archidiaconus, *ex Anastasio*, statim a sua electione condignis gloriæ laudibus ad Lateranense Patriarchium deductus, & in Pontificali est positus throno. Vide annotat 1. ad Sabinianum.

CIII.

GREGORIUS IV.

ANNO CHRISTI 827.

LUDOVICI PII 14. MICHAELIS II. BALBI 8.

GREGORIUM IV. Joannis filium, Romanum, Pontificiam dignitatem constantissime recusantem, vel statim, vel paullo post Valentini obitum Clerus, populusque Romanus Pontificem esse voluit. Hujus inauguratio prorogata. Siquidem *non prius ordinatus est, quam Legatus Imperatoris Romam venit, & electionem populi, qualis esset, examinavit.* (1) Altero hujus Pontificis anno, Christi 828. corpus S. Marci Euangelistæ Venetias Alexandria delatum est, & anno insequente in Ducali Basilica, in ejus honorem construi cœpta, reconditum. (2) Eodem anno Gregorius Ostiam Urbem reædificavit, ac novis mœnibus cinxit adversus Saracenos, qui Sicilia potiti, universas Italiæ oras

Bar. an. 827. §. 29. 32. Pag. §. 7. 8.

Pag. an. 820. § 9.

Bar. an. 829. §. 7.

(1) Annales Bertiniani tom. 2. Scriptor. Rer. Italic. pag. 518.
Baronius ad an. 827. §. 31. *Vigebat adhuc in Ecclesia Romana consuetudo, ut populus postularet, qui præficiendus esset Romanus Episcopus, Clerus autem simul una secum consuleret, quis esset Pontifex eligendus. Studiis vero postea contrariis sæpe sæpius scissa Civitas, ut bellis civilibus consumeretur, frequenter accidit: unde opus fuerit in Clerum refundere omnia amore tranquillioris status: sicque illud evenit, ut diversis occasionibus postulantibus, modus sæpe mutatus inveniatur electionis summi Pontificis, cum tamen apud Romanum Clerum semper fuerit summa rerum, adeo ut numquam legitimus sit Pontifex habitus, quem non Clerus elegerit, uti vidimus superius in Constantino per laicos intruso Pontifice.*

(2) Vide nostram Historiam Apostolicam, *De S. Marco Euangelista*, interrogatione postrema.

oras piraticis sceleribus infestabant, eamque ex suo nomine *Gregoriopolim* appellavit. Cum filii Lu-
Bar. an. 833. §. 5. 9. 16. 20. Pag. §. 6. 7. 8. dovici Pii Lotharius Augustus, Pippinus Aquitaniæ Rex, & Ludovicus Rex Bajoariæ defecissent a Patre, bellumque pararent adversus eum, Gregorius contendit in Galliam, ut operam impenderet conciliandæ paci. (3) Sed re infecta, Romam rediit. Interim Compendii *Concilium Episcoporum, quos filii*
Bar. an. 834. §. 4. Pag. §. 2. *Reges contraxerant, habitum, Imperiumque Patri abrogatum. Quod decretum mox a Gregorio Pontifice rescissum est,* (4) atque inde Ludovicus Pius restitutus
Bar. an. 835. §. 45. Pag. §. 13. in gradum pristinum. Hic postea Gregorii monitu Festum omnium Sanctorum, quod usque a Bonifacio IV. Kal. Novembr. Romæ colebatur, etiam in Gallia atque Germania celebrari voluit. Exinde Novembris dies primus festus, & Sanctis omnibus sacer haberi cœptus ab Ecclesia universa. Mortem
Bar. an. 843. §. 12. Pag. §. 5. Gregorius occubuit IV. Kal. Februar. anno 844, *sexto decimo*, quam regnare cœperat. Quot præterea menses ac dies Pontificatum obtinuerit, apud neminem probatæ fidei auctorem reperio.

CIV.

(3) Hujus *dissidii caussam ab imperii divisione ortam* refert Petrus De Marca lib. 4. De Concordia Sacerdotii & Imperii cap. 11. §. 2.

(4) Paulus Æmilius De rebus gestis Francorum lib. 3. pag. 54.

CIV.

SERGIUS II.

ANNO CHRISTI 844.

LOTHARII 5. MICHAELIS III. 3.

QUINTUS decimus dies erat ab eo die, quo Gregorius IV. obiit, cum Sergius II. Sergii filius, Romanus, in ejus locum IV. Idus Febr. Pontifex inauguratus est, inconsulto Lothario Imperatore. *Os porci* appellatum, ideoque primum omnium Pontificum mutasse nomen minus honestum, sumto *Sergii* nomine, invenies apud quosdam. Nolim his credas. (1) Sed neque illis velim adjungas fidem, qui scribunt, Ludovicum II. Lotharii filium ab hoc Pontifice Imperatorem coronatum. Nam Ludovicus a patre Rex Italiæ seu Langobardorum constitutus, Romam veniens, Regis duntaxat titulo ab Sergio sacro oleo inunctus

Bar. an. 844. §. 1. 3. 4. 10. 13. Pag. §. 1. 2.

(1) *Os porci*, seu *bucca porci* non fuit nomen Sergii II, sed, ut quidam putant, Sergii IV. Non igitur ob eam rem nomen mutavit. Baronius ad an. 844. §. 1. *Quos delectat fabulas veris intexere, hunc primum fuisse tradunt Romanum Pontificem, qui creatus Papa nomen sibi mutavit, eo quod nomen indecens tanto sacerdotio visus esset se habere. Sed scias id factum in Sergio* IV., *neque id accidisse ob turpitudinem nominis, sed reverentiæ caussa. Cum enim ille* Petrus *vocaretur, indignum putavit eodem se vocari nomine, quo Christus primum ejus Sedis Pontificem, principem Apostolorum, ex Simone* Petrum *nominaverat. Verum id factum primum ab Octaviano, qui vocatus est Joannes* XII, *alii tradunt. Hic autem*, ut ait idem Baronius ad an. 955. §. 4, *re vera primus inventus, qui mutavit sibi nomen, ut qui ex* Octaviano *voluerit nominari* Joannes. Vide Angelum de Nuce in Leonis Ostiensis Chron. Casin. lib. 3. cap. 66. num. 6. & annotat. 2. ad Joannem XII. & annotat. 1. ad Joannem XIV.

ctus est. (2) Consecratione peracta, postulatum a Pontifice, ut permitteret, Romanorum proceres fidem suam Ludovico Regi (ut Ecclesiæ defensori) jurejurando obligare. Id vero minime impetratum. Noluit enim Sergius, superstite Lothario Imperatore, alium ab Romanis pro Ecclesiæ defensore ac patrono haberi. (3) *Sacra Limina, seu Ve-*

(2) Anastasio Bibliothecario credere placet, qui pag. 351. narrat, Ludovicum a Pontifice Regem duntaxat inauguratum. Anastasio consentiunt Annales Bertiniani ad an. 844. Diplomata, quæ exhibent annum Ludovici primum conjunctum cum anno 844, explicanda sunt de anno primo Regni ejus Langobardici. Etenim Ludovicus II. quatuor epochas usurpavit. Prima ducit initium ab anno 844, quo a Sergio II. coronatus est, tamquam Rex Langobardorum. Secunda ab anno 849, quo a Patre consors Imperii est factus. Tertia deducitur ab anno 850, quo ipsum Leo IV. unctione sacrà constituit Imperatorem. Quarta ab anno 855. desumitur, quo Lothario Patri demortuo successit, ut docet Pagius ad an. 844. §. 4. & in dissertat. Hypatica cap. 4. §. 16. Itaque non Sergius II. sed ejus successor Leo IV. Ludovicum II. Imperatorem inauguravit. Testatur id Annalista Bertinianus ad an. 850. *Lotharius filium suum Ludovicum Romam mittit, qui a Leone Papa honorifice susceptus, & in Imperatorem unctus est.*

(3) Anastasius Bibliothecarius in vita Sergii II. pag. 352. *His peractis a prædicto postulaverunt Pontifice, ut omnes Primates Romanorum fidelitatem ipsi Ludovico Regi per sacramentum promitterent. Quod prudentissimus Pontifex fieri nequaquam concessit, sed sic orsus est illis: Quia si vultis, Domino Lothario magno Imperatori hoc sacramentum ut faciant, solummodo consentio atque permitto. Nam Ludovico ejus filio ut hoc peragatur, nec ego, nec omnis Romanorum nobilitas consentit. Tunc demum in eadem Ecclesia sedentes pariter tam beatissimus Pontifex, quam magnus Rex, & omnes Archiepiscopi, atque Episcopi, stantibus reliquis Sacerdotibus, & Romanorum ac Francorum Optimatibus, fidelitatem Lothario magno Imperatori semper Augusto promiserunt.*

Cointius in Annalibus Ecclesiasticis Francorum ad an. 824. §. 21. *Deinde fidelitas illis* (Regibus Francorum) *a Papa populoque Romano promittebatur. Exemplum habes apud Anastasium in Sergio II, qui Lothario Ludovici Pii filio fidelita-*

Venerabiles Gradus, quos Hierosolymis Jesus Christus Dominus Noster suis gressibus & Sanguine consecravit, dudum Laterani latentes, in sui Pontificatus primordiis ante Fores Ecclesiæ Lateranensis in Scalam vulgo Pilati dictam adaptavit. (4) Mortuus est anno 847. VI. Kal. Bar. an. 847. §. 2. 6. Pag. §. 3.

litatem cum Romanis promisit. Istius fidelitatis juramentum duabus præcipue consistebat in rebus, quarum una spectabat ad Pontificem, ad Francorum Reges altera. Francorum enim Regibus Romani promittebant se Romanis Pontificibus tamquam Urbis Dominis obedituros, & ad illam promissionem Lotharius capitulo primo respexit: Decernimus, ut Domno Apostolico in omnibus justa servetur obedientia, seu ducibus & judicibus suis ad justitiam faciendam: *Item capitulo nono sic:* Novissime præcipimus & monemus, ut omnis homo, sicut Dei gratiam & nostram habere desiderat; ita præstet in omnibus obedientiam atque reverentiam Romano Pontifici. *Romanus vero Pontifex, populusque Romanus Regibus Francorum tamquam defensoribus ac protectoribus, promittebant in eorum amicitia se permansuros, adeoque constanter, ut eosdem, quos illi, cum amicos, tum inimicos in perpetuum habituri essent. Præterea Francorum Reges ex Officio, tamquam defensores ac protectores, Urbis, Ecclesiæque Romanæ tranquillitati quolibet tempore, non tantum per Legatos, sed etiam per se, quando res exigebat, diligentissime studebant: Eo consilio Lotharius, cum tumultus in Urbe post mortem Romani Pontificis ortus fuisset, jussu Ludovici Patris hoc anno Romam profectus est, ibique constitutionem edidit multa complectentem capita, quæ pertinent ad eamdem Urbis quietem. Unum est de Pontificis electione, quia nuperrime post obitum Paschalis Urbs duas fuerat in partes divisa. Sunt alia de judiciis, deque rebus Ecclesiarum occupatis, atque hæc tota spectant ad æquitatem, sine qua pax in Civitate custodiri nequit. Nullum igitur in Lothariana constitutione verbum occurrit, quo tibi jure persuadeas, supremum tunc Urbis dominium non penes Papam, sed penes Francorum Regem fuisse.*

(4) Ita de decessore suo Sergio II. loquitur Paschalis II. in Constitutione edita anno 1099. quæ servatur in Archivo Lateranensi, teste Card. Lambertino De Serv. Dei Beatif. & Beat. Canoniz. lib. 4. part. 2. cap. 25. num. 15. qui in eodem capite narrat, memorata *Sacra Limina seu venerabiles gradus*, seu Scalas Sanctas Salvatoris nostri appropinquantis ad mortem vestigiis calcatas, ac Sanguine re-

Kal. Februarii, cum *annos* ferme *tres* Summi Sacerdotis munere functus esset.

CV.

S. LEO IV.

ANNO CHRISTI 847.

LOTHARII 8. MICHAELIS III. 6.

JUSTIS Sergio II. nondum solutis, Leonem IV. Radoaldi filium, Romanum, Presbyterum insignem prudentiæ laude ac sanctitatis Romani Pontificem creant, & post menses duos ac dies quindecim, III. Idus April. periculum Urbi metuentes ab Saracenis, consecrant sine auctoritate Imperatoris, (1) & *morem conservantes antiquum*, *pedes osculantur*. (2) Ipso Pontificatus initio ejus sanctitas eni-

Bar. an. 847. §. 7. 8. 21. 22. Pag. §. 3.

respersas, & juxta antiquorum Patrum traditionem pietatis caussa ab Hierosolymis ex Prætorio Pilati Romam opera S. Helenæ matris Constantini Imperatoris translatas apud S. Joannis Lateranensem Basilicam asservari. Scalarum gradus esse octo supra viginti: hos Constantinum Imperatorem posuisse in Porticu Palatii juxta Scalam, quæ ducebat ad *Patriarchium*: Sergium II. anno 844. cum injuria temporum non essent amplius in Scalarum formam dispositi, ædificio constructo collocasse ante Basilicam Constantinianam, seu Lateranensem: Cælestinum III. collocasse ante Sacrum *Patriarchium* juxta Porticum Lateranensem: denique Sixtum V. nobile illud, quod adhuc exstat, Ædificium construxisse, ac Sanctarum Scalarum gradus disposuisse ante *Capellam* toto terrarum orbe celeberrimam, quæ dicitur *Sancta Sanctorum*, ut legitur in Constitutione 105. ejusdem Sixti in *Bullario Romano*.

(1) Haud expectatis Imperatoris Legatis, qui interessent consecrationi novi Pontificis. Vide annotat. 2. ad Stephanum IV.

(2) Anastasius Bibliothecarius in Vita hujus Pontificis pag.

enituit. Namque flagrantissimum Urbis incendium signo Crucis extinxit, & serpentem teterrimum, cujus veneno atque adeo afflatu multi absumebantur, fusis ad Deum precibus exterminavit. Cujus beneficii, ope B. Mariæ Virginis, recurrente ejus in Cælum Assumtionis festo die, impetrati ut perenne esset ad posteros monumentum, decrevit Festum illud celebrandum per dies octo. Ludovicum II. a patre Lothario assumtum Imperii socium, & Romam missum, sacro oleo delibutum constituit Imperatorem. (3) Concilium Romæ habuit ad Ecclesiasticam disciplinam emendandam, & mores regendos, in eoque Anastasium Tituli S. Marcelli presbyterum Cardinalem gradu amovit, quod Parochiam suam per quinquennium deseruisset. (4) *Anschario* autem *Hamburgensi Pontifici privilegium concessit, in quo ipsi ejusque successoribus præter usum* Palii *tribuit ornari caput ejus* mitra, *portari* ante ipsum Crucem: *quod argumento est, id non cuivis Episco-*

Bar. an. 855. §. 9.

Bar. an. 853. §. 33. Pag. §. 12.

R

pag. 358. Idem in vita Constantini pag. 160. loquens de Justiniano Imperatore: *Augustus Christianissimus cum Regno in capite se prostravit pedes osculans Pontificis*. Vide Christianum Lupum in Schol. ad Dictatum Gregorii VII. can. 9. Operum tom. 5. pag. 195. edit. Venetæ, & notas ad Anast. Biblioth. tom. 4. pag. 128.

(3) Ut est in Annalibus Bertinianis ad an. 850. tom. 2. Scriptor. Rer. Italic. pag. 531.

(4) Ex hoc Concilio discimus tria. Unum, maximam jam tum fuisse Cardinalium dignitatem, cum tres Episcopi missi fuerint, qui Anastasium Cardinalem vocarent ad Concilium. Alterum, Cardinales, saltem Episcopos & Presbyteros, debuisse in Parochia sua commorari atque residere. Tertium, usurpari cœptum morem notandi Acta publica annis Pontificatus Præsulum Romanorum. Siquidem tum apud Anastasium in vita hujus Pontificis pag. 388. tum apud Harduinum tom. 5. Conc. pag. 69. legitur Concilium hoc habitum *anno Pontificatus sanctissimi ac coangelici & universalis quarti Papæ Leonis septimo*, qui annus respondet anno Christi 853.

piscopo citra privilegium licuisse. (5) Hæc Leo pro sua in Ecclesiam auctoritate. Pro suo autem in humanas res dominatu atque imperio, ne S. Petri ædes exinde pateret incursionibus Saracenorum, mœnia circumdedit colli Vaticano, & antiquæ Urbi addidit novam ab nomine ejus *Leoninam* dictam. Corsos finibus patriis expulsos a Saracenis recepit in Urbem Portuensem, novis operibus munitionibusque septam. Centumcellas ab iisdem Barbaris dirutas restauravit, & loco munitiore divinitus sibi per nocturnum visum indicato statuit. Hortæ quoque & Ameriæ portas murosque refecit. Caussam Gratiani nescio cujus magistri militum, & *Romani Palatii Superista* delati apud Ludovicum II. quod consilia agitaret de Imperio transferendo ad Græcos, una cum eodem Ludovico cognovit. Haud ita multo post, cum *annos octo, menses tres, & dies sex* gessisset Pontificatum, XVI. Kal. Sextil. anno 855. sanctissimam animam efflavit. (6) Huic Joannam Papissam quidam suggerunt. *Verum hac fabula jam demum apud Eruditos sic male olet, ut de ea plura dicere vetet pudor: tametsi Heterodoxi quidam eam propugnare pergant, ut ridiculo commento suos asseclas pascant*. (7)

Bar. An. 855. §. 1. 2. 5. Pag. §. 1.

Bar. an. 854. §. 1. 3.

Bar. an. 855. § 5. 6. Pag. § 5. 6.

(5) Mabillonius Præfat. in Sæculi quarti Benedictini partem secundam num. 182.

(6) Tom. 8 Conc. Lab. pag. 33. exstat hujus Pontificis Homilia *De cura Pastorali, quam per Episcopos omnibus Sacerdotibus curam animarum gerentibus intimari voluit*.

(7) Mabillonius Præfationis in sæculum Benedictinum sextum parte altera, num. 6.

Ceterum nec Marianum Scotum, nec Martinum Polonum (quod nonnulli asseruerunt) mendacii hujus architectum fuisse, demonstratum est a viris doctis, ut legere licet apud Cardinalem Lambertinum De Serv. Dei Beatif. & Beat. Canoniz. lib 3. cap. 10. num. 4.

Pagius uterque existimat, mendacium hoc procusum fuisse post annum 1278, quo obiit Martinus Polonus. De ejus origine alii alia scriptis tradunt. Joannes Aventinus lib.

lib. 4. Annal. Bojorum cap. 20. §. 52. putat, ei caussam præbuisse Joannem IX, quem, ut sibi familiarem, *Theodora scortum nobile atque imperiosum Romanis imposuit, primariumque Sacerdotem creavit*. Panvinius in annot. ad Platinam pag. 106. credit, *hanc fabulam ex Joannis Papæ XII. viri impuri vita manasse*. Bellarminus lib. 3. De Rom Pont. cap. 24. *Fortasse hinc nata est hæc fabula de* Joanne *femina. Cum enim rumor esset, quamdam feminam fuisse Pontificem Constantinopolitanum; & deinde paulatim, omisso nomine Constantinopolitani, remansisset fama & opinio de femina Pontifice, & Pontifice universali: cœperunt aliqui in odium Romanæ Ecclesiæ dicere, feminam illam Romanum Pontificem fuisse*. Baronius ad an. 879. §. 5. *Quod* Joannes Papa VIII. *loco supplicii persolverit præmia scelestissimo viro* (Photio) *magnam existimationi suæ & cathedræ Pontificiæ notam inussit. Hinc puto factum (si qua tamen veritatis vel saltem species mendacii apertissimi esse potuit) quod ob nimiam Joannis animi facilitatem & mollitudinem, abjecta penitus omni virilitate, fractus animo, Sacerdotalis constantiæ expers, atque robore enervatus; non Papa, ut Nicolaus & Hadrianus, sed Papissa fuerit contumeliæ loco dictus, utpote qui nec resistere sciret eunucho, quique vinceretur a semiviro, non vir, sed esset femina potius nuncupandus: & sic nomen contumeliæ transierit posteris rerum insciis in veritatis opinionem, atque ita a compluribus decantatum fuerit*, Joannem VIII. *Papam fuisse feminam: sicque jactata vulgo invenerit eo modo locum fabula. Placuit magnis viris*, ut ait Pagius ad an. 879. §. 9. *illa* Baronii *conjectura: & hujus exemplo Papebrochius in Conatu Chronico-Historico suspicatus est, pusillanimitatem non* Joannis VIII. *sed* Joannis VII. *in non refellendis Canonibus Trullensibus, eidem fabulæ occasionem dedisse*. Allatius in *Confutatione fabulæ de Joanna Papissa ex monumentis Græcis*, ejus originem revocat ad Thiotam mulierem Pseudoprophetissam, quæ regnante Leone IV. damnata est in Concilio ab Germaniæ Episcopis celebrato. Pagius ad an. 853. §. 14 & ad an. 879 § 9. confictam putat a Valdensibus Romanæ Ecclesiæ hostibus. Alii, ut est apud laudatum Cardinalem Lambertinum, eam dicunt *ex Lutheranorum laticibus erutam*. Porro non de nomine commentitiæ hujus feminæ, non de patria convenit; adeo nullus est mentiendi modus. Vide Labbeum in Cenotaphio Joannæ Papissæ everso penitusque exciso, tom. 8. Conc. pag. 154. & Launojum lib 4. epist. 8.

CVI.

BENEDICTUS III.

ANNO CHRISTI 855.

LUDOVICI II. 1. MICHAELIS III. 14.

MORTUO Leone IV. ſtatim habita comitia Pontifici creando, & Benedicto III. Petri filio, Romano, Tituli S. Calliſti Presbytero, invito & abnuenti ſummum Sacerdotium mandatum. Electio, *conſuetudo priſca ut poſcit*, (1) Lothario, & Ludovico Auguſtis miſſa per Legatos. Hi Romam reverſi, Arſenio Epiſcopo Iguvinorum inſtigante, deſerunt Benedictum, & una cum aliis factioſis hominibus Anaſtaſium Presbyterum olim Cardinalem, quem in Romana Synodo a Leone IV. redactum in ordinem diximus, Pontificem conſtituunt. Factioni primum favere viſi ſunt etiam Imperatorum Legati, qui Romam miſſi fuerant, ut conſecrationi novi Pontificis intereſſent. Poſt triduum tamen, cum cernerent, Clerum, populumque conſtanter habere Benedictum pro Pontifice, ipſi quoque in eum conſenſere, pro quo minime ambigue jus ſtaret. Itaque Anaſtaſio expulſo, Bene-

Bar. an. 855. §. 36. & 8. Pag. §. 10.

(1) Anaſtaſii hæc verba ſunt, ex quibus colligunt neſcio qui, Lotharium & Ludovicum uſurpaſſe ſibi jus electi Pontificis confirmandi. Injuria tamen. Aliud enim eſt petere ab Imperatore confirmationem electionis, aliud eidem ſignificare electionem. Anaſtaſius autem non dicit rogatos a Romanis memoratos Principes, ut ratam haberent electionem Benedicti III, ſed tantum de ejus electione factos fuiſſe certiores, ut ea cognita mitterent Legatos ſuos, qui præſentes, ſicut ante ſæpe dictum eſt, conſecrationi adeſſent, ad tollendas certationes & comprimendos motus ſeditioſorum.

nedictus III. coram iisdem Legatis anno 855. III. Kal. Octobr. *Dominico die, ut mos est, & antiqua traditio dictat, consecratus ordinatusque est Pontifex.* (2) *Michael Imperator secundum antiquam consuetudinem, cum accepisset, novum Romæ creatum esse Pontificem, legationem ad eum misit cum muneribus, de quibus meminit Anastasius.* (3) Altero abhinc anno, qui fuit a Christo nato 858. VI. Idus April. Benedictus moritur, post *annos duos, menses sex, & dies decem*, quam Pontifex factus fuerat. Bar. an. 856. §. 6. Pag. 403. Bar. an. 858. §. 1. Pag. §. 1.

CVII.

S. NICOLAUS I. MAGNUS.

ANNO CHRISTI 858.

LUDOVICI II. 4. MICHAELIS III. 17.

NICOLAUS Theodori filius, Romanus, omnia agens, ne Pontifex fieret, omnium summa voluntate Pontificali muneri præponitur. Ante diem VIII. Kal. Majas anno 858. præsente Ludovico II. inauguratur, & in Apostolica Sede collocatus insignitur Pontificia corona. (1) Hic Bar. an. 858. §. 11. Pag. §. 1.

R 3 quo-

(2) Ex his itidem Anastasii verbis *colligere est, Ordinationes Pontificum Romanorum non nisi diebus Dominicis aut solemnioribus Festis fieri solitas esse: quod quidem Onuphrius in Chronico Ecclesiastico, Blondellus in Apologia pro sententia Hieronymi de Episcopis & Presbyteris, ac in libro contra primatum Ecclesiæ, Jacobus Capellus, & quidam alii jam observarunt, & nunc apud omnes in confesso est:* Pagius ad an. 855. §. 10.

(3) Baronius ad an. 856. §. 6.

(1) Franciscus Pagius in vita hujus Pontificis §. 2. *Hæc est prima, ni valde fallor, coronationis summorum Pontificum mentio. Non enim memini me legisse, aliquem ex Romanis Pontificibus antea coronatum fuisse. Hæc coronatio facta est in Eccle-*

quoque in Pontificibus *Magni* cognomen rebus gestis meruit. Ex his perstringo admodum paucas. Concilia septem Romæ celebravit, in quorum altero extinxit reviviscentem hæresim *Theopaschitarum*. (2) Ignatium Constantinopolitanorum Patriarcham, quem Bardas Michaelis Imperatoris avunculus, oblato falso crimine, insontem oppresserat, ac tamquam reum majestatis dejecerat Episcopatu, constanti semper animo defendit, ac Photium eunuchum superbi ingenii, pravæ mentis, linguaque immodicum, in ejus locum per summam injuriam subrogatum, in quarto Romano Concilio interdixit piorum communione. (3) *Ab Ni-*

Bar. an. 863. §. 49. 50. Pag. §. 1.

clesia Lateranensi, licet postea, ut in Paschali II, *in Cælestino* III, *& alibi videbimus, Pontifex semper coronatus sit in Ecclesia Vaticana, e qua redibat coronatus in Lateranum. Unde suspicor in Anastasio, ubi legitur:* Lateranum perductus coronatur, *legendum esse*, Lateranum perductus coronatus.

(2) *Hi*, ut est in epist. 7. ejusdem Nicolai, apud Baronium ad an. 862. §. 21, & apud Labbeum tom 8. Conc. pag. 289. & 738, *ajunt, quia Redemtor noster & Dominus Jesus Christus Deus & Dei filius passionem Crucis secundum Deitatem sustinuit, quod impium est, & catholicis mentibus execrabile.*

(3) Baronius ad an. 858. §. 51. *Qualis esset Photius, & cujus ordinis ante Patriarchatum, Nicetas enarrat, nimirum nobilitate insignem, Protospatharium dignitate, munere a secretis Imperatori inservisse, divitiis pollentem, scientiis sæcularibus disertissimum, antiquis etiam hac ex parte comparandum, sacrarum vero litterarum expertem, sed qui, sero licet, ubi eum invasit libido spiritualis præfecturæ, eas non qua decet animi summissione aggressus, nullo usus magistro, magistrum, qui docere alios posset, statim professus est: homo gloriæ appetentissimus, sexque diebus ex laico transformatus in Patriarcham: nimirum, ut inquit ipse Nicetas,* primo die ex laico monachus, secundo efficitur Anagnostes, tertio Subdiaconus, quarto Diaconus, quinto Presbyter, sexto denique Patriarcha sedem Patriarchalem conscendens, alta voce populo pacem annuntiavit, nihil pace dignum cogitans.

Actione 2. Concilii Oecum. VIII. apud Labbeum tom. 8. Conc. pag. 1000. de Photio leguntur hæc: *Erat vir alia*

Nicolao Papa damnatus ipse, vicissim in Nicolaum ex Synodo sententiam dixit anno 863. Exinde odio furens in Romanam Ecclesiam, varias in eam calumnias commentus est: ac multa illi tum crimina, tum capita haeresum objecit. Horum unum istud fuit, quod Spiritum Sanctum ex Patre, Filioque procedere Latini dicerent. Quibus acceptis Nicolaus ad Hincmarum Remensem Archiepiscopum, ac ceteros Episcopos, qui in regno erant Caroli Calvi, prolixam scripsit epistolam, in qua rei totius accuratam narrationem instituit; atque illos hortatus est, ut de iis, quae ab Photio proposita erant, diligenti per Synodos tractatione facta, quidquid statuissent, Romam ad se perscriptum mitterent. (4) Neque interim res alias minus intenta egit cura. Nam pervicit, ut Lotharius Rex Lotharingiae, dimissa Vualdrada pellice, Teutbergam legitimam conjugem reciperet, haberetque pro uxore atque Regina. Bulgaros, qui per id tempus Christo dederant nomen, simul per Legatos Paulum Populoniensem, & Formosum Portuensem, simul ipse per se

Bar. an. 865. §. 60. Pag. § 10.

Bar. an. 856. §. 1. 7.

R 4

lia quidem loquens, & alia cogitans, & operam dans mendacio: ex arte gentilium semper proponebat bona, deveniebat autem in mala, & erat potens ad superandum & decipiendum, ut non est factus, nec fiet ullus hominum.

(4) Petavius Theologicorum Dogmatum Tom. 2. lib. 7. cap. 1. §. 3. pag. 634.

Memorata ab eodem Petavio Nicolai epistola exstat apud Labbeum tom. 8. Conc. pag. 468.

Spiritum Sanctum a Patre solum, non etiam a Filio procedere, dicunt Graeci, & hoc praesertim errore ab Latinis dissociantur ad hanc usque diem. Sopitum jamdiu Photiani Schismatis incendium iterum excitavit Michael Cerularius, qui post decem septemque Patriarchas anno 1043. successit Photio. Oppressum extingui passus non est Marcus Ephesinus Archiepiscopus, qui in Synodo Florentina Oecum. XVI. anno 1439. celebrata, Latinos ob insertam Symbolo vocem *Filioque* haereticos appellare non dubitavit. Quamobrem inita toties inter utramque Ecclesiam concordia numquam diu mansit. Vide Petavium Theologic. Dogmat. tom. 2. lib 7. cap 1. & 2.

se instituit responsis sex supra centum pertinentibus ad Fidem, & Ecclesiæ disciplinam. (5) Mortuus

(5) Ex his quartum & centesimum præsertim jactatur sermonibus virorum eruditorum. Ejus hæc verba sunt apud Lab. tom. 8. Conc. pag. 548. *A quodam Judæo, nescitis, utrum Christiano, an Pagano, multos in patria vestra baptizatos asseritis, & quid de his sit agendum, consulitis. Hi profecto, si in nomine sanctæ Trinitatis, vel tantum in nomine Christi, sicut in Actis Apostolorum legimus, baptizati sunt (unum quippe idemque est, ut sanctus exponit Ambrosius) constat eos non esse denuo baptizandos: sed primum utrum Christianus, an Paganus, ipse Judæus exstiterit, vel si postmodum factus fuerit Christianus, investigandum: Quamvis non prætereundum esse credamus, quid beatus de baptismo dicat Augustinus.* Jam satis, *inquit*, ostendimus, ad baptismum qui verbis Euangelicis consecratur, non pertinere cujusquam vel dantis vel accipientis errorem, sive de Patre, sive de Filio, sive de Spiritu Sancto aliter sentiat, quam doctrina cælestis insinuat.

Harduinus in Quæst. De baptismo in nomine Christi, postquam ostendit verbis illis Act. II. 38. *Baptizetur unusquisque vestrum in nomine Jesu Christi* significari *non baptismi formam, sed baptizandorum fidem* in Christum, subjicit hæc § 8. *Jam Nicolai oratio nihil habet difficultatis aut salebrarum. Complectitur enim ea partes duas. Prior est de fide illius, qui baptismum suscipit: nam de adultis in primis agitur, ut & in Actis, & apud Ambrosium.* Hi profecto, *inquit*, *si Christiano more ac ritu abluti sunt; hoc est si in baptismo interrogati credere se in Trinitatem confessi sunt, vel tantum in Christum, sicut in Actis Apostolorum de Eunucho Candacis Reginæ legimus, aliisque:* unum quippe idemque est, ut sanctus exponit Ambrosius: profecto constat eos non esse denuo baptizandos....

Altera pars est de ministri fide: ab illis verbis: Quamvis non prætereundum esse credamus: *quæ pars illius sententiæ cum per se plana est ac perspicua, tum illud prodit in primis, nihil in priore de baptismi forma Pontificem edixisse, qui in postrema non nisi verbis Euangelicis consecratum baptisma probari sibi æque atque Augustino significet.* Non omnem *igitur ille* baptismum *probat, ut verbis utar Augustini in simili argumento lib. 6. De Bapt. contra Donat. cap. 25.* Nam in multis Idolorum sacrilegis sacris baptizari homines perhibentur....

Et

tuus est anno 867. Idibus Novembr. quo die ejus memoria in Martyrologio celebratur. Pontificatum *annos novem*, *menses sex*, *diesque viginti* ita gessit, ut illum Octava Oecumenica Synodus *Cælestem hominem & terrestrem Angelum*, atque *alterum Eliam* dixerit, ac *novi Phinees*, *novi Danielis*, *novi Martini* nomine commendarit. (6)

An. 867. S. 137. Pag. S. 25.

CVIII.

Et vero nuperrime Bulgarorum natio abjectis inanium numinum simulacris ad Christiana sacra transierat, adhuc plena Paganorum: neque erat satis exploratum, falsis ne Diis etiamtum addictus esset is, qui baptizarat, Judæus utique, hoc est mercator circumforaneus: (neque enim religionis istud ibi, sed negotiationis nomen est, ut alii ante nos monuerunt) an Christi jam unius cultui consecratus, atque adeo non profani, ut olim, sed sacri baptismatis peritus administer.

Enimvero geminum ibi baptismum Nicolaus agnoscit: alterum, qui ex Paganorum superstitione agatur, quantumvis per eum ethnici, ut Athanasius animadvertit oratione III. *contra Arianos, uni se Deo, quem ore implorant, mancipari videri velint: alterum, in quo Christiano ritu ac more Trinitas invocetur*. Sed primum, *inquit Nicolaus*, utrum Christianus an Paganus exstiterit, investigandum est. *Quamquam & hunc posteriorem baptismum, vel si a Pagano Evangelicis verbis detur, idem deinde jure merito approbat. Priorem autem, ut par est, exsecratur ac nominatim excipit....*

Itaque baptismus ille nunc Pontifici placet unus, qui post confessionem Trinitatis vel Christi tantum ab eo, qui baptizatur, editam, a ministro deinde verbis Evangelicis, ut ipse subjungit, hoc est sub Trinitatis invocatione, sit collatus. Nam istud esse plane in nomine Christi baptizari ex Actis & Patribus, ut vidimus, palam est. Vide Historiam nostram Apostolicam *De Apostolis in universum*.

(6) Actione 1. & 7. apud Harduinum tom. 5. Conc. pag. 757. 763. & 873.

CVIII.

HADRIANUS II.

ANNO CHRISTI 867.

LUDOVICI II. 13. BASILII MACEDONIS 1.

HADRIANUS II. Talari filius, Romanus, Presbyter tituli S. Marci XIX. Kal. Januar. anno 867. Pontificatum, quem semel atque
Bar. an. 867. §. 139. 156. Pag. §. 26. iterum abnuerat, ingenti totius Urbis gaudio suscepit. Decessoris sui Nicolai vestigiis institit studio enixo: ob id *Nicolaitanus* per contemtum &
Bar. an. 868. §. 3. 38. Pag. §. 6. dictis & scriptis proditus a quibusdam. Hos cum despiceret, nonnihil sermonis subiit, quasi Nicolai acta meditaretur rescindere. Sed hujusmodi blateronum linguas factis retudit. Nam Photium, congregato Romæ Concilio, *tertio anathemate* confixit, & librum ejus in Nicolaum jussit comburi.
Bar. an. 869. §. 4. 6. Pag. §. 1. Basilium Macedonem, quod eumdem Photium, revocato Ignatio, exturbasset Sede Constantinopolitana, extulit summis laudibus, voluitque ab eo Concilium indici Constantinopolim componendis rebus Ecclesiæ Orientalis, & Photio in ordinem redigendo. (1) Præcepit etiam Lothario Regi, ut quæ

(1) Hadrianus II. in epistola ad Basilium Imperatorem, quæ inserta est actioni 1. hujus Concilii apud Lab tom. 8.
Conc. Oecum. VIII. Conc. pag. 982. *Volumus ergo per vestræ pietatis industriam illic* (Constantinopoli) *numerosum celebrari Concilium*. Paruit Basilius, & Concilium Oecumenicum VIII. Constantinopolitanum IV. convocavit. Quot convenerint Episcopi haud satis constat. Actioni primæ præter Legatos Apostolicos Donatum Ostiensem, & Stephanum Nepesinum Episcopos, ac Marinum Diaconum præsides Concilii, exceptisque Legatis Patriarcharum Orientalium, & Ignatio Constantinopolitano, duodecim tantum Antistites interfuere.

Re-

quæ Nicolao promiserat, obedienter faceret, & uxorem Teutbergam reciperet, eique haberet honorem regium. Moravis indulsit, ut Sclavonica lingua, quæ erat ipsis vernacula, uterentur in Sacro faciendo, & *Divinis Officiis* celebrandis. (2) Obiit anno 872. *Nullus ex antiquis diem ejus emortualem notavit*. Si Gulielmo Bibliothecario crede-re

Bolland. 9. Mart. pag. 22. 24. Bar. An. 872. §. 1. Pag. §. 1.

Reliquis Actionibus crevit Episcoporum numerus. Centum enim novemque subscripsere Concilio. Numeri tam exigui caussa, quia non admissi Episcopi faventes Photio. Concilium inchoatum anno 869. III. Nonas Octobris, & decem Actionibus absolutum pridie Kal. Mart. anni insequentis. Actione septima dictum anathema Photio, ejusque fautoribus, atque *in majorem hominis detestationem*, ut scribit ex Niceta Baronius ad an. 869. §. 39. subscriptum anathemati calamis intinctis ipso Christi sanguine. Actione postrema editi canones septem & viginti ad Fidem, Sacramenta, & Ecclesiæ disciplinam pertinentes, septemque priora Oecumenica Concilia confirmata. Canon quartus decernit, Photium *numquam fuisse prius, aut nunc esse Episcopum*. Nimirum Photius numquam Episcopus fuit *quantum ad jurisdictionem, & legitimam Episcopalis potestatis executionem, non vero quoad potestatis collatæ characterem*, ut docet P. Bonaventura a S. Elia in Synopsi Conciliorum part. 2. pag. 379. Nec obstat, quod Nicolaus epist. 9. ad Michaelem Imperatorem scribit: *Igitur nihil Photius a Gregorio accepit, nisi quantum Gregorius habuit, nihil autem habuit, nihil dedit*. Nam eo loco dicitur Gregorius Syracusanus, qui & Episcopatu, & Fidelium communione privatus erat, nihil dedisse Photio sacris ab se initiato, & nihil proinde Photius iis, quibus ipse contulerat Ordinis Sacramentum, nihil, inquam, dedisse Ordinationis legitimæ, nihil gratiæ: neuter enim aliquid hujusmodi, utpote sacrilegus & schismaticus, habuit: at characterem Sacramenti habuit uterque, ideoque aliis conferre uterque potuit. Vide Nat. Alexandrum in Hist. Eccl. Sæc. IX. & X. dissertat. 4. §. 22. & annotat. 3. ad Stephanum III.

(2) Id confirmavit Joannes VIII. extrema epistola 247. apud Baronium ad an. 880. §. 19. & apud Labbeum tom 9. Conc. pag. 177. adjecta conditione, ut Evangelium lingua primum Latina *legeretur*, deinde Sclavonica *annuntiaretur*. Eamdem rem concessit etiam Innocentius IV, ut est apud Raynaldum ad an. 1248. §. 12.

re libet, *annos quinque* Pontificatus penes ipſum fuit. (3)

CIX.

JOANNES VIII.

ANNO CHRISTI 872.

LUDOVICI II. 18. BASILII MACEDONIS 6.

JOANNES VIII. Gundi filius, *Archidiaconus Romanæ Eccleſiæ* anno 872. *XIX. Kal. Januar. in locum* Hadriani II. *ſubſtituitur*. (1) Hic Carolum Calvum Imperatorem coronavit. Ab eo deinde auxilium petiit contra Saracenos populantes Italiam agrumque Romanum: & Neapolitanis, Beneventanis, aliiſque, quod pacem cum iſtiuſmodi prædonibus feciſſent, denuntiavit anathema, ni contra ipſos arma iterum ſumerent. Verum Imperatore mortuo, & ſubſidii ſpe inciſa, pacem ipſe quoque ab Saracenis petere, & penſione annua quinque ſupra viginti millium *manucuſorum* argenti redimere coactus eſt. Formoſum Epiſcopum Portuenſem, qui poſtea Romanus Pontifex fuit, Synodo Romæ celebrata damnavit, atque in Galliam exulatum miſit, devinctum prius jurejurando, ſe neque Romam, neque ad Eccleſiam ſuam redi-

Bar. an. 872. §. 1. Pag. §. 1. Bar. an. 875. §. 2. Pag §. 2. Bar. an. 877. §. 1. 7. 26. Pag. §. 1.

(3) Muratorius Prolegom. in Vitas Rom. Pontificum Anaſtaſio Bibliothecario additas tom. 3. Script. Rer. Italic. pag. 274. *Veterum Romanorum Pontificum vitæ a variis ſcriptoribus litteris conſignatæ, quæ ſub Anaſtaſii Bibliothecarii nomine circumferuntur, in Hadrianum* II. *&* *Stephanum* VI. *ſeu ut rectius dicendum eſt* V. *deſinunt, quarum poſtremæ Gulielmo Bibliothecario tribuuntur.*

(1) Annales Bertiniani ad an. 872. tom. 2. Scriptor. Rer. Italic. pag. 558.

diturum. (2) Ipse quoque non satis tutam sibi Romam arbitrans confugit eodem. Elapsus enim ope suorum e custodia, in qua asservabatur a Lamberto Comite Spoletano, & Adelberto Tusciæ Marchione, ab se damnatis ob deprædatas Urbes Pontificiæ ditionis, novam sibi ab iisdem vim metuebat. Cum Ludovicus Rex, cui *Balbo* cognomen, attenuatis viribus diutino morbo, ex quo tum primum reficiebatur, Pontificem in Italiam deducere non valeret, negotium dedit Bosoni Comiti, quem sibi Joannes adoptavit filium atque defensorem juris sui. (3) Hinc epist. 125. petiit ab

Bar. an. 878. §. 10. 33. Pag. §. 2.

(2) Caussam damnationis Formosi nescire se dicit Baronius ad an. 876. §. 22. & ad an. 883. §. 1. ait diversam a diversis tradi. Mabillonius vero Præfat. ad Sæc. V. Benedict. §. 1. num. 6. triplicem affert desumtam, ut apparet, ex ipsiusmet Joannis VIII. epist. 319. quæ exstat apud Labbeum tom. 9. Conc. pag. 233. *Prima est, quod a Nicolao I. in Bulgariam missus Bulgarorum Regem Sacramento obstrinxisset, ne alium Episcopum, ipso superstite, a Sede Apostolica susciperet. Deinde quod contra præscripta Canonum per ambitum ab Ecclesia Portuensi ad Romanam prosilire conatus esset. Postremo quod inconsulto Pontifice propriam deseruisset Ecclesiam; & relicta Urbe contra Reipublicæ & Imperii salutem cum suis fautoribus conspirasse crederetur.*

(3) Joannes VIII. epist. 119 ad Carolum Crassum, apud Labbeum tom. 9. Conc. pag. 89. *Cujus* (Ludovici Balbi) *consilio atque hortatu Bosonem gloriosum Principem per adoptionis gratiam filium meum effeci, ut ille in mundanis discursibus; nos libere in his, quæ ad Deum pertinent, vacare valeamus.* Temporibus his miseris consueverunt Pontifices, ad incursiones hostium, & vim omnem prohibendam finibus ditionis suæ, quoniam in deficiente jam Caroli Magni stirpe subsidii spes nulla supererat, consueverunt, inquam, aliquem magni nominis Principem sibi filium facere per adoptionem, cui regendas ac tutandas concrederent res suas. Eamdem ob caussam postea Stephanus V. adoptavit Vidonem Ducem Spoletanum, teste Flodoardo lib. 4. Hist. Remen. cap. 1. Id quod multo ante fecerat Stephanus II. adoptato Pippino Rege cum filiis, ut colligitur ex epist. 3. Codicis Carolini. Etiam Carolus Magnus epist. 84. quæ exstat

ab eodem Ludovico, ut Bosoni, a quo ex Gallia Ticinum usque deductus fuerat, auxilia mitteret ad *debellandos hostes* Romanæ Ecclesiæ. Romam reversus Legatos suscepit Basilii Imperatoris, qui Photii adulationibus captus, eum post Ignatii decessum restituerat in Patriarchatum Constantinopolitanum. Basilius enixe petebat, ut restitutionem illam ratam juberet. Annuit Pontifex, ut consuleret Ecclesiæ bono. Legatos Constantinopolim cum litteris misit, a quibus Photius, postquam conditionibus quibusdam satisfecisset, restitueretur, unde dejectus fuerat. Id quia præter opinionem non habuit successus prosperos, Joannem obtrectatio carpsit. (4) Tunc enim Photius, de-

Bar. an. 879. §. 3. 6. 7. 62. 64. Pag. 9. 10. 12.

exstat inter epistolas Alcuini pag. 1613. per Legatum suum Angilbertum petiit a Leone III. ut haberet se loco filii. Hæc depromta sunt ex auctore ejus libri, cui titulus: *Difesa seconda del Dominio temporale della Sede Apostolica sopra la Città di Comachio* cap. 41. pag. 108.

(4) Petrus de Marca lib. 3. De Concordia Sacerd. & Imp. cap. 14. §. 4. Joannem VIII. ita purgat. *Ignatio functo, Photius totius damnatus sedem suam recepit suffragiis Orientalium Episcoporum, annitente Basilio Imperatore. Sed illa restitutio integra esse non poterat, nisi a Sede Apostolica probaretur. Quare Joannes* VIII. *rogatus ab Imperatore, ut Ecclesiæ paci consuleret, necessitati cedens, Leonis, Gelasii, Felicis, & Concilii Africani auctoritate fretus, qui in rerum angustiis temperandas esse regulas docent, de consensu ceterorum Patriarcharum Photium anathemate liberavit, illique sedem retinere concessit, ea lege, ut coram Synodo cogenda misericordiam peteret. De consensu, inquam, ceterorum Patriarcharum, & Episcoporum Joannes Photium solvit, ut videre est in epistola germana ejusdem Joannis, quamquam in epistola a Photio corrupta hic sensus desit* : & paucis interjectis : *Ceterum a culpa Joannem liberat Principis & ceterorum Patriarcharum, totiusque Synodi Orientalis consensus, quem datum fuisse Joannes suis litteris significat. Profert autem ad confirmationem sententiæ suæ exempla Athanasii, Chrysostomi, & Flaviani, qui a Synodis damnati cum fuissent, a Sede Apostolica in integrum restituti sunt. Quibus exemplis quoque Photium a Joanne restitutum, scribit Ivo, cum de jure dispensationum loquitur.*

deceptis Apostolicis Legatis, corruptisque Pontificiis litteris, conventum 383. Episcoporum habuit Constantinopoli, in eoque majore quam antea impetu suum in Romanam Ecclesiam virus effudit. (5) Quod simul allatum est Pontifici, acta ejus rescidit omnia, novoque ipsum anathemate devovit. Postea Carolum Crassum corona capiti ejus rite imposita creavit Imperatorem, cumque iter in Galliam pararet concordiam inter Francorum Principes conciliaturus, mors XVIII. Kal. Januar. anni 882. intervenit, *decimum post annum*, quam Pontifex factus erat.

Bar. an. 880. §. 1.-11.

Bar. an. 881. §. 7. Pag. §. 1.

Bar. ar. 882. §. 7. Pag. §. 8.9.

CX.

(5) In eo conventiculo damnata est memoria Romanorum Pontificum, præterquam Joannis VIII. abrogatum Concilium Oecumenicum VIII. rejecta vox *Filioque*, quæ inclusa fuerat Symbolo ad explicandam processionem Spiritus Sancti etiam a Filio, sancito anathemate in omnes, qui illam non rejicerent: Photii restitutio confirmata: statutum denique, hanc Photianam Synodum habendam esse pro Synodo Oecumenica VIII. Atque hæc Legatos Apostolicæ Sedis, qui aderant, tulisse tacitos ferunt. *Etenim ad omnia, & præ omnibus ab eo* (Photio) *ut muta pecora ducti sunt, magna cum Sedis Apostolicæ ignominia, ut numquam tam sordida, tamque indigna ab Apostolica Sede legatio missa fuerit, si vera esse dixerimus, & non conficta sunt a Photio, quæ in sua Synodo Constantinopoli celebrata hoc anno leguntur*. Baronius ad an. 879 §. 62. Subjicit Idem §. 72. *Cui* Synodo *non, sicut in commonitorio jussi sunt, præsidere Legati Apostolicæ Sedis, sed Photius semper primo loco legitur præfuisse, assistentibus Legatis Apostolicæ Sedis. Hanc Græci lambunt, hanc venerantur, & ut divinum quoddam oraculum observant atque custodiunt*.

CX.

MARINUS I.

ANNO CHRISTI 882.

CAROLI CRASSI 3. BASILII MACEDONIS 16.

Bar. an. 882. §. 10. 11. 12. Pag. §. 8. 9. 10.

MARINUS I. seu Martinus II. Palumbi filius, Hetruscus, Romanæ Ecclesiæ Archidiaconus, ter Constantinopolim legatus, primum a Nicolao Magno, iterum ab Hadriano II, tertio ab Joanne VIII, quo die in hujus locum inauguratus fuerit, parum constat. (1) Sub exitum Decembris iniisse Pontificatum, traditur. Illud autem pro certo ponitur, & legitimum fuisse Pontificem, (2) & Photium ab eo damnatum anathemate: Formosum vero Portuensem, cui Joannes VIII.

Bar. an. 883. §. 1.

(1) Papebrochius in Conatu apud Bolland. tom. 8. Maji pag. 142. num. 5. *Verum nomen hujus Pontificis* Marinus *fuit, uti & alterius, qui centum post hunc annos Sedem Apostolicam tenuit*, Marinus II. *Quia tamen* Martinos *eos appellarunt posteri, & eum, qui secundus hujus nominis erat, dixerunt* Quartum, *& sic deinceps* Quintum, *placuit morem eumdem saltem notare in titulo.*

Pagius ad an. 882. §. 10. *Marinus a recentioribus scriptoribus* Martinus II. *appellatur, sed non discedendum ab Antiquis, & a Catalogis Pontificum Romanorum, in quibus semper* Marinus *nominatur*. Vide annotat. 1. ad Martinum IV.

(2) Basilius Imperator in epist. ad Hadrianum III. Marini successorem, quæ, Hadriano vita jam defuncto, reddita est Stephano V. contendit, Marinum, quod esset Episcopus alterius Ecclesiæ, non potuisse ad Romanam transferri, ideoque vitio creatum Pontificem fuisse. Stephanus in epistola ad eumdem Basilium, quæ est in Annalibus Baronii ad an. 885. §. 9. & in Conciliis Labbei tom. 8. pag. 1391. & tom. 9. pag. 366. negat, Marinum, antequam Pontifex fieret, Episcopum fuisse: quod etsi concederet, tamen licuisse summum ei Sacerdotium dari.

VIII. Episcopatum abrogaverat, restitutum in locum suum, facta etiam potestate Romam repetendi. Anno 884. exiisse e vita, palam est, quo mense aut die, non item. Hinc tempus Pontificatus ejus incertum. Nonnulli conjecturas secuti, mense Majo vita functum, per *annum & menses quinque* Pontificem fuisse existimant. Bar. an. 884. §. 1. Pag. §. 1.

CXI.

HADRIANUS III.

ANNO CHRISTI 884.

CAROLI CRASSI 5. BASILII MACEDONIS 18.

HADRIANUS III. Benedicti filius, Romanus, quem Agapetum antea dictum scribunt aliqui. (1) Anno 884. exitu mensis Maji, aut principio Junii Pontifex renunciatus est. Hic quoque Photium exsecratus dicitur, insectatusque ut laicum. Idem instinctu Italorum *insignia duo decreta fecit, unum pro Romanorum libertate, ut Pontifex designatus consecrari sine præsentia Regis, aut Legatorum ejus posset: (2) alterum pro dignitate Italiæ, ut* Bar. an. 884. §. 1. Pag. §. 1.

S

(1) Sigonius lib. 5. De Regno Italiæ ad an. 884. pag. 223. Ciaconius, & Oldoinus, in nova additione ad Ciaconium, qui quidem Oldoinus e vestigio subjicit hæc: *unde fortasse factum, ut Sigebertus & Marianus Scotus Papam quemdam Agapetum inter Marinum & Hadrianum* III. *interjecerint.*

Alii e diverso ajunt, inde obortam opinionem de Hadriano III. appellato ante Pontificatum Agapeti nomine, quod Sigebertus & Marianus Scotus tradiderint, Agapetum quemdam proximum ante eum fuisse Romanum Pontificem.

(2) De hoc decreto meminere etiam Platina, Ciaconius, Mabillonius commentario in Ordinem Romanum cap. 17. pag. 114. & Pagius ad an. 884. §. 2. Vide annotat. 1. ad Stephanum V.

ut moriente Rege Crasso sine filiis, Regnum Italicis Principibus una cum titulo Imperii traderetur. (3) Altero Pontificatus anno 885. iter in Galliam suscepit accitu Imperatoris. Pado vix transmisso in morbum implicitus, mense Septembri est mortuus, cum *annum & menses ferme quatuor* Romanæ Ecclesiæ præfuisset. Sepultus est in Cœnobio Nonantulano, quod quinque millia passuum a Mutina in Orientem abest.

Bar. an. 885. § 1. Pag. § 1. & 2.

CXII.

(3) Sigonius De Regno Italiæ lib. 5. ad an. 884. pag. 224.

Hoc decretum falsum ac spurium esse, autumant nonnulli. Cur autem Itali cogitaverint de Rege creando ex gente sua, narrat Sigonius proxime ante verba recitata: *Jampridem Italici, Romanique veteres spiritus recipere cœperant, ac Francis Imperatoribus, Regibusque contemni, post imminutas opes, & exorta inter eos certamina, cœptis, externum jugum a cervicibus dejicere cupiebant. Itaque Saracenos impune Italiam, Ecclesiamque populantes, ipsorum Regum incuria, indignati ipsi, res aliquando respicere suas, viresque florentis demum perpendere Italiæ instituerunt. Omnium una vox erat, quando Crassus virili stirpe careret, qui unus antiqua virtutis indole præditus ex Caroli Magni legitima progenie superesset, cui propter egregia erga Italiam atque Ecclesiam merita Imperii titulus commissus fuisset, tempus voce prope missa monere, ut aliquando tandem sibi ipsis consulerent, neque id decus cum alia gente communicari vulgarive permitterent. Non adeo veterem indolem Italicæ virtutis exolevisse, quin unus ex multis reperiri in ea possit, qui avitam repræsentare consilio atque officio imperandi gloriam queat. Haud dubie, si rex præsens Italiam gubernaret, maturius eum omnibus hostium irruptionibus occursurum, & salutem, dignitatemque Ecclesiæ tutaturum. Suffragabatur huic sententiæ aliena reip ipsius quoque Crassi Imperatoris absentia, qui durissimo & remotissimo bello implicitus, rationibus Ecclesiæ atque Italiæ præsens servire non poterat. His rebus instincti Hadrianum Pontificem adeunt, eumque, ut salutari decreto in posterum reip. caveat, orant.*

CXII.

STEPHANUS V.

ANNO CHRISTI 885.

CAROLI CRASSI *6.* BASILII MACEDONIS *19.*

STEPHANUS V. Hadriani filius, Romanus, ſub finem Septembris invitus tanto conſenſu, quanto quiſquam alius ante, Pontifex eſt declaratus, & Caroli Craſſi inconſultu conſecratus. (1) Datis ad Baſilium Orientis Imperatorem litteris, Marinum deceſſorem ſuum, ut ſupra eſt dictum, defendit, atque ſuaſit, ut Photium haberet pro damnato. (2) Has litteras, Baſilio mortuo, accepit filius ejus & ſucceſſor Leo cognomine *Sapiens*, ſeu *Philoſophus*: quibus permotus Photium contruſit in cœnobium, & Stephanum fratrem ſuum in locum ejus ſufficiendum curavit. (3) Quoniam vero lex erat ſancita, quæ vetabat, ne ſacris Ordi-

Bar. an. 885. §. 1. 9. 14. Pag. §. 2. 3.

Bar. an. 885. §. 1. 15. 18. 26. 27. 28. Pag. §. 3. 4.

S 2 ni-

(1) Eſt id in Annalibus editis a Lambecio tom. 2. Bibliothecæ Cæſareæ pag. 356. Ex quo *intelligimus*, ait Pagius ad an. 885. §. 3. *verum eſſe, quod Sigonius anno ſuperiori affirmavit, Hadrianum nempe* III. *decreto ſuo ſtatuiſſe*, Ut Pontifex deſignatus conſecrari ſine præſentia Regis, aut Legatorum eius poſſet: *alioquin Clerus Romanus Stephanum* V, *contra decretum Eugenii* II, *uſumque receptum, ſine præſentia Legatorum Imperialium ordinari non permiſiſſet.*

(2) Vide annotat. 2. ad Marinum I.

(3) Tali modo extinctum eſt ſchiſma Orientalis Eccleſiæ, inductum per Photianam Pſeudoſynodum, nec revixit ante Michaelem Cerularium, quem anno 1043. Conſtantini Monomachi favor extulit ad Epiſcopatum Conſtantinopolitanum. Poſtquam Photius expulſus eſt, nulla mentio ejus invenitur apud Hiſtoricos. Illum in Eccleſiæ communionem jam reſtitutum obiiſſe, affirmant Græculi nonnulli, quos refellit Allatius lib. 2. De Eccleſiæ Occident. & O-
rient.

nibus a Photio initiati eveherentur ad gradum altiorem Ecclesiasticæ dignitatis, idcirco rogatus est Pontifex, ut illum lege exsolutum creari permitteret Episcopum Constantinopolitanum. Non consensit in id Stephanus, incertus, amotus ne esset Photius Episcopatu, an ipse se ultro abdicasset. Illud enim scripserant Episcopi, hoc Imperator. *Ita quidem magna consideratione suspendit judicium, ne probasse eo modo Photii restitutionem videri posset, non renuntiationem illius, sed ejectionem potius tam ab Imperatore, quam ab Episcopis expectans audire.* (4) Idem Pontifex sustulisse dicitur purgationem, quæ candenti ferro & ferventi aqua fiebat. (5) Vidonem Ducem Spoletanum, suum adoptione filium, & occupato Langobardorum regno clarum, *universa hortante Italia* anno 891. Romam accivit, & IX. Kal. Martii creavit Imperatorem, qui *ut se Pontifici gratum praberet, privilegia ac dona a Pippino rege, Carolo, & Pio Imperatoribus Romanæ Ecclesiæ data probavit.* (6) Eodem anno 891, *sexto*, ex quo

Bar. an. 890. §. 7.

rient. perpetua consensione cap. 5. & Natalis Alexander in Hist. Eccl. Sæc. IX. & X. dissertat. 4. §. 28.

(4) Baronius ad an. 886. §. 18.

(5) Apud Gratianum 2. quæst. 5. cap. *Consuluisti* 20. ex Stephani V. epistola ad Humbertum Episcopum Moguntinum. *At inter epistolas Stephani* V. ut animadvertit Zegerus Bernardus Van Espen Juris Ecclesiastici universi part. 3. tit. 8. §. 32. *nulla reperitur epistola Episcopo Moguntino inscripta, nec alia, cui hoc decretum insertum. Ut proinde & hoc Decretum admodum suspectæ fidei habeatur, præsertim quod, si hujusmodi Responsum Pontificis eo tempore emanasset, illud vulgaribus hisce purgationibus, quæ eo tempore maxime frequentabantur, indubie oppositum fuisset, quod tamen non legitur.*

Ille autem purgabat se de crimine, in cujus venerat suspicionem, qui illæsus ferrum candens manu contrectaret, vel manum in aquam ferventem immitteret sine detrimento.

(6) Sigonius De Regno Italiæ lib. 6. ad an. 891. pag. 227.

Ita

quo regnare cœperat, exeunte mense Septembri Stephanus obiit.

CXIII.

FORMOSUS.

ANNO CHRISTI 891.

VIDONIS I. LEONIS SAPIENTIS 6.

FORMOSUS Leonis filius, *vera religione, divinarumque scripturarum & doctrinarum scientia* illustris, (1) a Portuensi Episcopatu ad Romanum anno 891. translatus est, (2) primusque ex Episcopo Pontifex summus (3) exacto admodum men- Bar. an. 891. §. 3. 5. 7.

S 3 se

Ita antiquum Italiæ Imperium post multas ac diras impressiones gentium externarum Itali receperunt. Vide Pagium ad an. 892. §. 2.

(1) Luitprandus Ticinensis Rerum ab Europæ Imperatoribus & Regibus ipsius præsertim tempore gestarum lib. 1. cap. 8. apud Duchesnium tom. 3. pag. 570.

(2) Baronius ad an. 891. §. 3. *Tumultuariam ejus fuisse electionem, elevante se contra eum Sergio Diacono, ex Luitprando possumus intelligere*. Sed fallitur Luitprandus. Sergium enim Diaconum legerunt aliqui, non quo tempore Formosus, sed quo Joannes IX. electus est, post mortem Theodori II. Id satis constat ex epitaphio ejusdem Sergii, qui postea verus fuit Pontifex tertius hoc nomine:

Culmen Apostolicæ Sedis is jure paterno
Electus tenuit, ut Theodorus obit.
Pellitur Urbe pater, pervadit sacra Joannes,
Romuleosque greges dissipat ipse lupus.

Eodem modo Flodoardus de Romanis Pontificibus, narrata morte Theodori II. subjicit hæc, tom. 3. Scriptor. Rer. Italic. part. 2. pag. 320.

Joannes subit hinc, qui fulsit in ordine Nonus.
Pellitur electus patria quo Sergius Urbe,
Romulidumque gregum quidam tradunmur abacti.

(3) Panvinius annotat. ad Platinam: *Formosus Papa, ut* ego

ie Septembri coronatus. (4) Hic accepit epistolam Styliani, & aliorum Episcoporum Orientis, datam ad decessorem suum Stephanum V, in qua primum afferebant caussam, cur ab ipsis dissentiens scripserit Imperator, Photium non coactu, sed voluntate sua reliquisse munus Episcopale: (5) deinde iterum rogabant, ut sacris Ordinibus initiatos ab eodem Photio reciperet in Ecclesiæ communionem. Re deliberata, respondit annuens conditione ea, ut *oblatis libellis se deliquisse faterentur, & veniam deprecarentur pœnitentia*, misitque in id Legatos Constantinopolim. (6) Turbatis, Vidone Imperatore mortuo, rebus Italiæ, Arnulphum Regem ex Germania Romam occultis nuntiis evocavit, ad infensam sibi factionem Lamberti filii Vidonis compescendam. Veniens cum exercitu Arnulphus, capta Formosi consensu Urbe hostes expulit, seque ab eo Imperatorem & Augustum inungi impe-

Bar. an. 896. §.1.2. Pag. §.2.3.8.

ego observavi, omnium Romanorum Pontificum ex aliena Diœcesos Episcopo Romanus Pontifex est factus, cum ante ipsum non nisi ex Presbytero vel Diacono Cardinalibus factus fuisset Romæ Papa. Idem refert vetustissimus & sine auctoris nomine scriptus liber Bibliothecæ Vaticanæ. Vide annotat. 2. ad Marinum I.

(4) Non consecratus. Nam, ut scribit Jacobus Cajetanus Cardinalis in Ordine Romano XIV. apud Mabillonium tom. 2. Musei Italici pag. 254. *Episcopus, qui in Papam electus est, non consecratur denuo, sed benedicitur aliquo die Dominico, quo & coronatur.* Ea benedictio, quod fieret loco consecrationis, a veteribus consecratio aliquando appellatur.

(5) *Continebat veneranda Pontificatus tui majestas litteris suis, serenissimorum Imperatorum nostrorum litteras cum nostris non consensisse. Hujus rei caussa hæc est. Qui Photium sponte renuntiasse dignitatem scripserunt, illi ipsi Photium ut Sacerdotem receperunt. Nos autem nullum in Photio agnoscentes vestigium Sacerdotii.... quomodo potuimus sponte abdicatum scribere?* Ita Stylianus, & alii Orientis Episcopi. Exst. epistola apud Labbeum tom. 8. Conc. pag. 1410.

(6) Formosus epist. 1. apud Labbeum tom. 9. Conc. pag. 429.

petravit. (7) Eodem anno, quo hæc contigerunt, Formosus extinguitur pridie Nonas April. cum *annos quatuor, & menses sex* tenuisset Romanam sedem. (8)

S 4 CXIV.

(7) Franciscus Pagius in vita Formosi §. 12. *Arnulphum Romam expugnasse, non solum hortatu, ut scribit Luitprandus, vel* consensu, *ut habet Regino, verum etiam* mandato Formosi Papæ, *nos docet Hermannus Contractus.... Quæ certe evincunt, Arnulphum a Formoso Papa per surreptionem non fuisse coronatum Imperatorem. Quod spectat ad Concilium a Joanne* IX. *celebratum, ex quo Baronius anno* 896. *num.* 1. *& anno* 904. *num.* 9. *intendit probare, coronationem istam fuisse surreptitiam, illud Concilium non loquitur de unctione Imperiali Arnulphi, sed de unctione Berengarii, ut videre est apud ipsummet Baronium, & in Actis Conciliorum pag.* 504. *ubi refertur Canon* 6. *ejusdem Concilii.*

(8) Mabillonius Veterum Analectorum tom. 4. pag. 624. *Celebris fuit quondam controversia de caussa Formosi Papæ, quæ duobus maxime capitibus constabat. Primum est, an canonica esset ejus promotio in Sedem Romanam: alterum, an Ordinationes ab eo tum factæ validæ essent habendæ. Consequens pendebat ex priori, cujus dubitatio ex triplici ratione petebatur, nempe quod Formosus, antea Portuensis Episcopus, ab Joanne Papa VIII. exauctoratus, & ad laicam communionem redactus fuisset: deinde quod profugus jurasset, numquam se Romam rediturum: tertio quod a Sede Portuensi in Romanam esset translatus, quæ translatio Ecclesiasticis regulis, Romanisque moribus contraria erat.*

Non defuere tamen, qui Formosi patrocinium tunc susceperunt, quos inter Auxilius quidam Francus (fictum, an verum nomen) sed in Italia degens, & a Formoso ordinatus, duos in ejus defensionem libros scripsit. Prior capita quadraginta, posterior triginta duo complectitur, cum epistola prævia ad Leonem Nolanum Episcopum, cujus rogatu istud opus susceperat. Hanc epistolam cum indice triginta Capitulorum prioris libri illustrissimus Cardinalis Baronius in Appendice tomi XII. inseruit: utrumque librum integrum edidit Joannes Morinus in parte 2. de Sacris Ordinationibus *a pag.* 348.

Auxilio in laudes Formosi Papæ consentit Flodoardus cum in historia, tum in libro metrico de Romanis Pontificibus, cujus libri magna pars typis vulgata est in parte 2. *Sæculi tertii Benedictini, ubi de Formoso hæc inter alia leguntur:*

Præ-

CXIV.

BONIFACIUS VI.

ANNO CHRISTI 896.

LAMBERTI 3. LEONIS SAPIENTIS 11.

Bar. an. 897. §. 1. Pag. 896. §. 2. 9. Bar. an. 904. §. 6.

BONIFACIUM VI. Hadriani filium, Romanum, *primum de Subdiaconatu, postmodum de Presbyteratu depositum, manus popularis* in locum Formosi Pontificem subdidit. (1) Sunt propterea, qui negent, summis Pontificibus annumerandum. Si assentiri plerisque necesse est, haud dubie habendus in numero Pontificum. (2) *De hoc, ob Pontificatus bre-*

Præsul hic egregius Formosus laudibus altis
Evehitur: castus, parcus sibi, largus egenis:
Bulgaricæ genti fidei qui semina sparsit.
Delubra destruxit, populum cælestibus armis
Instruxit tolerans discrimina plurima: promtus
Exemplum tribuens, ut sint adversa ferenda,
Et bene viventi metuenda incommoda nulla.

At Formosum non ita culpæ expertem fuisse contendit Morinus, quin Stephanus VI. probabilem in eum mortuum sæviendi caussam habuerit. De hoc alii judicent. Vide Natalem Alexandrum in Hist. Eccl. Sæc. IX. & X. cap. 1. art. 14.

(1) Legitur id cap. 3. Concilii Romani anno 904. celebrati apud Labbeum tom. 9. Conc. pag. 503.

(2) Baronius ad an. 897. §. 1. *Quod autem intrusorum Pontificum alii ut Pontifices postea recepti inveniantur, alii vero penitus abrogati, ut iste, de quo agimus, Bonifacius, inde evenit, quod illi quantumlibet tyrannice adepti fuerint Sedem, tamen accedente consensu Cleri, satius esse existimantis, eos qualescumque tolerandos, quam Ecclesiam Schismate conscindendam, ut legitimi Pontifices novis comitiis, consuetis ritibus sint electi. Hæc ut dicamus, illud plane necessario cogit, quod universa Ecclesia Catholica eos ut legitimos Pontifices coluit, iisque obedivit, atque ut Christi Vicarios, Petrique successores cognovit, ac cultu germano Pontifice digno eosdem frequentavit:*

brevitatem, nihil memoria dignum invenitur, ut ait Ciaconius. Et quidem auctoribus Martino Polono, Hermanno Contracto in Chron. & Flodoardo de Romanis Pontificibus, podagræ dolore confectus interiit.

Ter quinos *hic in arce* dies *explevit honoris*.

CXV.

STEPHANUS VI.

ANNO CHRISTI 896.

LAMBERTI 3. LEONIS SAPIENTIS 11.

FORMOSO *defuncto is, qui post necem Formosi Papa constitutus est, expellitur*, & Stephanus VI. (1) Joannis Presbyteri filius, Romanus, ante diem vicesimum Augusti anno 896. *Papa per Adelbertum* [Tusciæ Marchionem potentissimum] *constituitur*. (2) *Quo constituto, ut impius doctrinarumque* Bar. an. 897. §. 2. Pag. an. 896. §. 9. & 897. §. 1.

vit: quod nequaquam factum fuisset, nisi de facta postea electione constitisset.

Oldoinus in Nova Additione ad Ciaconium tom. 1. pag. 680. *Multi tamen Bonifacium hunc inter Romanos Pontifices numerant, & Bonifacium VI. vocant, ut Ciaconius supra, Panvinius in Epit. Rom. Pont. S. Antoninus, Joannes Bisdomini in Chronicis Senarum, & alii: nonnulli vero Baronii sententiæ adhærentes, illum ex Pontificum albo expungunt, cum Formoso populi tantum violentia successerit.*

(1) Luitprandus memoria lapsus pro Stephano ponit Sergium, & huic *adscribit, quod factum per Stephanum liquet*, ut docet Baronius ad an. 897. §. 2. & 3. quicum sentit Pagius ad an. eumd. §. 2.

(2) Baronius ad an. 897. §. 4. *En illa infelicissima Ecclesiæ Romanæ tempora, atque omnium luctuosissima, quibus ipsam contigit domestico bello exagitari, atque persecutione vexari: quæ nunc cœpta multo tempore, maximo damno eamdem Ecclesiam affecerunt; illata ipsa per Adelbertos Marchiones poten-*

que Sanctarum inscius Formosum e sepulcro extrahi, atque in Sedem Romani Pontificatus Sacerdotalibus indumentis indutum collocari præcepit. Cui & ait: Cum Portuensis esses Episcopus, cur ambitionis spiritu Romanam universalem Sedem usurpasti? *His expletis, sacratis exutum vestimentis, digitisque tribus abscissis, in Tiberim jactari præcepit,* (3) *cunctosque, quos ipse ordinaverat, gradu proprio depositos iterum ordinavit.* (4) *Ita furore percitus homo non quod jure li-* ce-

tentissimos Tusciæ Principes audacissimos: Tantæ quippe Adelbertus erat potentiæ, ut inter omnes Italiæ Principes solus ipse cognomento diceretur *Dives*. Luitprandus lib. 1. cap. 10.

Ceterum, subdit Baronius, *etsi interdum deforme valde turpeque contigerit apponi Ecclesiæ caput: tolerandum tamen fuit ipsi, quod non penitus amens sit inventum, sed Fide Catholica sibi constans, Dei vero permissione supra cetera corporis membra provectum, non sine caussa vel ratione, sed magno sui judicii libramento: etenim* pondus & statera judicia Domini sunt: *quæ etsi inscrutabilia prædicentur, per transennam tamen mortalibus intuentibus fiant aliqua saltem ex parte perspicua. Ut enim Deus significaret, eamdem suam Ecclesiam nequaquam humanum esse figmentum, sed plane divinum inventum; oportuit ostendisse, eam nequaquam pravorum Antistitum opera prodi posse, & ad nihilum penitus redigi, sicut de aliis diversarum gentium Regnis, & bene statutis Rebuspublicis factum constat: quæ tamdiu constitisse leguntur, quamdiu fuere per viros prudentes & virtute præditos administratæ: periisse vero penitus, ubi viris scelestis tradita sunt earum gubernacula moderanda.* Vide annotat. 1. ad Leonem V. & ad Christophorum.

(3) Tantum facinus narranti Luitprando fidem derogat Panvinius in annotat. ad Platinam pag. 112. Immerito. Siquidem invenitur apud ejusdem ætatis Scriptorem Auxilium lib. 2. De Ordinationibus Formosi cap. 30. tom. 17. Bibl. Patr. pag. 21. apud Joannem IX. cap. 1. Concilii Romani anno 904. celebrati tom. 9. Conc. Lab. pag. 502. & apud Hermannum Contractum in Chron. ad an. 896. in Antiquis Lectionibus Canisii tom. 3. pag. 256.

(4) Luitprandus lib. 1. cap. 8. apud Duchesnium tom. 3. pag. 571.

Ludovicus Du Mesnil tom. 3. Doctrinæ, & Disciplinæ Eccle-

ceret, sed quod exaestuans rabies suasit, implevit; non enim fuit error in fide, sed violenta tyrannis in facto. (5) *Quanta autem auctoritatis quantaque religionis Papa Formosus fuerit, hinc colligere possumus, quoniam dum a piscatoribus postmodum esset inventus, atque ad Beati Petri Apostolorum Principis Ecclesiam deportatus, Sanctorum quaedam imagines hunc in loculo positum venerabiliter salutarunt. Hoc namque a religiosissimis Rom. Urbis persaepe audivi.* (6) Anno 897. *Stephanus Apostolicae Sedis invasor, & ipse pulsus detruditur in carcerem, ubi pariter strangulatur,* (7) cum *annum, mensemque* Pontificatum obtinuisset. Bar. an. 900 §. 6. Pag. an. 897. §. 6.

CXVI.

clesiæ lib. 42. §. 1. *Sigebertus in Chronico eos rursus consecrasse negat, & de ea re nihil dicit Romana Synodus, quae sub Joanne* IX. *alia Stephani gesta refert & damnat, imo dicit, eos in proprium gradum a Joanne* IX. *fuisse reductos, ac proinde a Stephano rursus non fuere consecrati: alioquin ejus successor non eos restituisset.* Vide annotat. 2. ad Theodorum II. & 3. ad Stephanum III. Gasparem item Jueninum in Commentario Historico & Dogmatico *De Sacramentis* dissertat. 8. de Sacramento Ordinis, quæst. 6. cap. 2. & Honoratum Tournely quæst. 5. de Sacramento Ordinis art. 1. disputantes contra Joan. Morinum, qui in Comment. *De Sacris Ordinationibus* part. 3. exercitat. 5. cap. 3. affirmat, Ordinibus sacris initiatos a Formoso iterum fuisse a Stephano VI. consecratos.

(5) Baronius ad an. 897. §. 2. qui §. 6. adjicit: Stephanum *non auderem inter Romanos Pontifices numerare, nisi id factum a majoribus invenissem, utpote tanto indignum nomine, qui primus & solus nefando & inaudito sacrilegio Petri sedem adeo deturpavit.* Vide annotat. 2. ad Sergium III.

(6) Hæc memoratus Luitprandus loco citato.

(7) Baronius ad an. 900. §. 6. ubi addit: *Ita facinorosus homo, quippe ut fur & latro ingressus est in ovile ovium, laqueo vitam adeo infami exitu, vindice Deo, clausit. Ita quidem omnia Romae tam sacra, quam profana factionibus miscebantur, ut penes illam partem esset promotio ad Apostolicam Sedem Romani Pontificis, quae potentior appareret, ut modo Romanorum proceres, modo Hetruriae Principes intruderent saecula-*

ri

CXVI.

ROMANUS.

ANNO CHRISTI 897.

LAMBERTI 4. LEONIS SAPIENTIS 12.

Bar. an. 900. §. 8. Pag. an. 897. §. 6.

POST mortem Stephani VI. *prævalente in Urbe*, ut ait Baronius, *Romanorum factione adversus Adelbertum Tusciæ Marchionem*, Romanus Constantini filius, Gallesinus, Petri sedem eodem anno 897. ante quintum decimum diem Octobris tenuit. (1) Decessoris sui acta adversus Formosum abrogasse, scribunt Sigonius, Platina, Panvinius, Ciaconius, qui tamen nullum antiquum ejus rei testem profitentur. Referente Flodoardo

Quatuor haud plenos tractans is culmina menses,
Æthere suscipitur, meritos sortitus honores

cum videlicet *menses tres*, *dies duos & viginti* in Pontificatu fuisset. Ex quo colligi licet, eum extremo mensis Januarii anno 898. mortuum esse.

CXVII.

ri potentia quem vellet, & dejiceret quem posset Romanum Pontificem a contraria factione promotum. Quæ toto hoc fermo sæculo sunt actitata, quousque Germaniæ Imperatores Ottones medii intercessere utrique parti contrarii, arrogantes licet & ipsi sibi pariter Papæ electionem, atque electi dejectionem.

(1) *Romanus ex Constantino Marini quondam Pontificis fratre genitus* dicitur a Sigonio lib. 6. De Regno Italiæ ad an. 897. pag. 233.

CXVII.

THEODORUS II.

ANNO CHRISTI 898.

LAMBERTI 5. LEONIS SAPIENTIS 13.

THEODORUS II. Photii filius, Romanus Bar. an. 901. §. 1.
Dilectus Clero .... pacis amicus,
Bis denos *Romana* dies *qui jura gubernans,*
Sobrius & castus, patria bonitate refertus
Vixit, pauperibus diffusus amator & altor. (1)
Hic quoque caussam Formosi amplexus omnes ab eo initiatos, quos Stephanus VI. abdicarat, pristinis Ordinibus reddidit, (2) *ejusque corpusculum, quod pertinaciter ejectum fuerat, cum exultatione ad Apostolicam tumbam reduxit.* (3)

CXVIII.

(1) Flodoardus De Pontificibus Romanis inter Scriptor. Rer. Italic. tom. 3. part. 2. pag. 319.

(2) Sigebertus in Chronico ad an 903. inter Scriptores Rer. Germanic. Pistorii tom. 1. pag. 805. *Hic* (Theodorus II.) *contra Stephanum Papam sentiens, reconciliavit ordinatos a Formoso, quos Stephanus per vim Romæ intus, & non foris exordinaverat, nec tamen præsumserat eos iterum consecrare.*

(3) Auxilius lib. 2. extremo cap. 4. apud Morinum De Sacris Ordinationibus part. 2. pag. 298.

CXVIII.

JOANNES IX.

ANNO CHRISTI 898.

LAMBERTI 5. LEONIS SAPIENTIS 13.

SERGIO, qui in locum Theodori II. suble-
ctus fuerat, antequam initiaretur, Roma ex-
Bar. an. 901. §. 1. pulso, cooptatus est Joannes IX. Rampoaldi filius,
Pag an. 898. §. 3. 4. 5. Tiburtinus, Diaconus, & exeunte mense Quintili
anno 898. initiatus ritu solemni. (1) Duo hic eo-
dem anno Concilia celebravit, alterum Romæ, al-
Cap. 1. terum Ravennæ. In primo abrogavit acta conven-
tus habiti a Stephano VI. contra Formosum: &
Cap. 3. *quia necessitatis caussa de Portuensi Ecclesia Formosus
pro vita merito ad Apostolicam Sedem provectus fuerat,
statuit, ut id in exemplum nullus assumeret, præsertim
cum sacri Canones hoc penitus interdicerent*. Ordinibus
Cap. 4. sacris initiatos ab eo, quos dejecerat Stephanus
VI. restituit in gradus pristinos: ac violatoribus se-
Cap. 9. pulcri, cadaverisque ejus interminatus est anathe-
Cap. 6. ma, ni resipiscerent. Sacram quoque Lamberti
Imperatoris unctionem ratam esse voluit, irritam
vero *illam barbaricam Berengarii*, utpote *extortam*
Cap. 10. *per surreptionem*. (2) Adjecit, ne Pontifices desi-
gnatos jus esset consecrari, nisi in conspectu Le-
gatorum Imperatoris, quo superius Hadriani III.
de-

(1) Vide annotat. 2. ad Formosum.

(2) Baronius ad an. 904. §. 2. *Antequam ista fierent, contigit, ipsum Berengarium Romam armato exercitu contendisse, coronamque Imperii ab ipso Joanne Pontifice violenter extorsisse, sicque tyrannice Imperatoris nomen vindicasse. Contra vero, eo recedente, vocatum Lambertum Romam ab eodem Pontifice, hoc cupiente Imperatoria corona solemnibus ritibus coronatum.* Vide Franciscum Pagium in vita hujus Pontificis.

decretum abrogatum est, ad vitanda dissidia, quæ
in Comitiis oriebantur cum maxima Ecclesiæ offen-
sione. (3) Cavit ad extremum, ne mortuo Romæ Cap. 11.
Pontifice, *Patriarchium* diriperetur, neve alibi *E-
piscopia* Episcopis decedentibus; quæ *scelestissima
consuetudo inoleverat*. (4) In Concilio, quod coram
Lamberto Imperatore Ravennæ celebravit, eo pro-
fectus metu Sergianorum Romæ tumultuantium ob
Sergii repulsam, ea præsertim confirmata sunt,
quæ statuta fuerant in Romano. Obiit anno 900. Bar. an. 905. §. 1.
Sextili mense ineunte, cum *annos duos, & dies* Pag. an. 900. §. 22.
quindecim Pontifex fuisset. 23.

CXIX.

(3) En verba ipsa Pontificis in Concilio apud Lab. tom. 9. Conc. pag. 505. *Quia Sancta Romana Ecclesia, cui Deo auctore præsidemus, plurimas patitur violentias Pontifice obeunte, quæ ob hoc inferuntur, quia absque Imperatoris notitia, & suorum Legatorum præsentia, Pontificis fit consecratio, nec canonico ritu & consuetudine ab Imperatore directi intersunt nuntii, qui violentiam & scandala in ejus consecratione non permittant fieri; volumus, id ut deinceps abdicetur, & constituendus Pontifex convenientibus Episcopis, & universo Clero eligatur, expetente Senatu & populo, qui ordinandus est, & sic in conspectu omnium celeberrime electus ab omnibus, præsentibus Legatis imperialibus consecretur.*

Hoc porro ex decreto, ut ait Thomassinus De vet. & nova Eccl. disciplina part. 2. lib. 2. cap. 25. §. 6. *patet* 1. *non ad electionem, sed ad ordinationem tantum admissos fuisse Imperatoris Oratores* 2. *Nec admissos fuisse, nisi prævertendis dissensionibus & grassationibus*. 3. *Morem advocandi Imperatoris Legatos ad Pontificis ordinationem, jam tum habitum fuisse pro* canonico ritu & consuetudine. 4. *Usum, quem tamdiu Pontifices exhorruerant, & tam anxie amoliri enixi fuerant, longo annorum lapsu, rerumque stupenda vicissitudine, tantæ utilitatis, tantæ necessitatis evasisse, ut in Legem Canonicam coaptatus sit*. Vide annotat. 4. ad Stephanum IV.

(4) Vide Baronium ad an. 885. §. 4.

CXIX.

BENEDICTUS IV.

ANNO CHRISTI 900.

LUDOVICI III. 1. LEONIS SAPIENTIS 15.

BENEDICTO IV. Mammoli filio, Romano summum Sacerdotium anno 900. mandatum est. Quo die, non constat. Illud traditur certum, pridie Kal. Septembr. Romanam Ecclesiam jam administrasse. Exstant enim epistolæ ejus datæ eo die. Ludovicum III. inunxit Imperatorem. Mortuus est anno 903. mense Octobri. Pontifex fuit *annos tres & menses duos*, liberalitate in egenos maxime commendatus.

Bar. an. 901. §. 12. Pag. an. 900. §. 14. 23. 24.

Bar. an. 907. §. 1. Pag. an. 903. §. 1.

CXX.

LEO V.

ANNO CHRISTI 903.

LUDOVICI III. 4. LEONIS SAPIENTIS 18.

BENEDICTO IV. post unum aut alterum diem subrogatur Leo V. Ardeatinus, qui ab Christophoro familiari suo, ac Presbytero in carcerem conjectus traditur, ubi teste Flodoardo de Rom. Pontificibus

Emigrat ante, suum quam Luna bis impleat orbem. (1)

Bar. an. 907. §. 2. Pag. an. 903. §. 2.

CXXI.

(1) Baronius ad an. 907. §. 2. *Sunt hæc plane tempora, inopia scriptorum obscura, & tyrannide Sedem Apostolicam invadentium tetra*.

Bel-

CXXI.

CHRISTOPHORUS.

ANNO CHRISTI 903.

LUDOVICI III. 4. LEONIS SAPIENTIS 18.

CHRISTOPHORUS Leonis filius Romanus, Pontificatum, quem anno 903. exitu Novembris occupaverat, anni paullo amplius dimidio obtinuit. Qui enim alium expulerat, idem comprehensus a Sergio, se abdicare, & Cœnobium inire cogitur: unde extractum conjectumque in carcerem misera morte vitam clausisse, Ciaconius narrat. (1)

Bar. an. 907. §. 2. 908. §. 1. Pag. an. 903. §. 2. 904. §. 5.

T CXXII.

Bellarminus Præfat. in Libros De Rom. Pont. *Ne forte putaremus ob vitam incorruptam & mores integerrimos summorum Pontificum tamdiu stetisse hanc Sedem: permisit ad extremum Deus, ut etiam quidam parum probi Pontifices aliquando hanc Sedem tenerent, & regerent. Quales sane fuerunt Stephanus* VI. *qualis Leo* V. *Christophorus* I. *Sergius* III. *Joannes* XII. *aliique non pauci, si vera sunt, quæ de eorum vita & rebus gestis apud Historicos eorum temporum scripta leguntur.*

Itaque nihil est, quod Haretici tantum laborent in quorumdam Pontificum vitiis conquirendis. Nos enim agnoscimus & fatemur, ea fuisse non pauca: sed tantum abest, ut iis gloria hujus Sedis obscuretur vel minuatur, ut iisdem potius vehementer crescat & amplificetur. Hinc enim intelligimus, non humano consilio, prudentia, viribus Romanum Pontificatum tamdiu consistere, sed quia hæc petra ita a Domino roborata, divinitus fundata, Angelorum custodiis septa, singulari Dei providentia & protectione munita est, ut adversus eam portæ inferorum nullo modo prævalere possint, sive illis portis persecutio Tyrannorum, sive rabies Hæreticorum, sive Schismaticorum furor, sive scelera & flagitia designentur.

(1) Mabillonius in Præfat. ad Sæc. V. Benedict. §. 2.

num.

CXXII.

SERGIUS III.

ANNO CHRISTI 904.

LUDOVICI III. 5. LEONIS SAPIENTIS 19.

SERGIUS III. Benedicti filius, Romanus, ac Romanæ Ecclesiæ Presbyter, qui Theodoro II. subrogatus, mox ejectus fuerat, demum fultus factione Adelberti Tusciæ Marchionis, exacto Christophoro, Pontificatum anno 904. adeptus est, & Junio mense ineunte consecratus. (1) Acta Formosi confirmata a Theodoro II. & Joanne IX. ex vetere in eum odio omnia pro infecto esse jussit. (2) Non est autem vero simile, quod traditur

Bar. an. 908. §. 2.5. Pag. an. 904. §. 5.6.7.

mum. 9. *Nostri temporis Novatores pravis quorumdam Romanorum Pontificum exemplis abutuntur ad impugnandam Ecclesiæ incorruptam veritatem & unitatem. Qualescumque fuerint Pontifices illi*, quibus objiciunt pro sua dissensione, quod volunt, nihil præjudicat Ecclesiæ Catholicæ toto terrarum orbe diffusæ. Nullo modo eorum innocentia coronamur: nullo modo eorum iniquitate damnamur. *Ita loquebatur Augustinus* De unico baptismo cap. 16. *in caussa Donatistarum, ita & nobis loqui licet in caussa Novatorum. Manet semper eadem Ecclesiæ veritas.* Quisquis ab hac unitate vento superbiæ, tamquam sola palea separatur, areæ dominicæ propter commistam paleam quid calumniatur? *subjicit Augustinus.*

Tertullianus De Præscript. adverf. Hæretic. cap. 3. *Soli Dei Filio servabatur sine delicto permanere. Quid ergo, si Episcopus, si Diaconus, ... lapsus a regula fuerit, ideo hæreses veritatem videbuntur obtinere? Ex personis probamus fidem, an ex fide personas?*

(1) Vide annotat. 2. ad Formosum.

(2) Bellarminus *De Rom. Pont.* lib. 4. cap. 12. *Ex his Pontificibus inter se contrariis necessario aliqui errant, ut observarunt Magdeburgenses.*

Re-

tur a quibusdam, Formosi cadaver post annos viginti Sergii præcepto rursus erutum e sepulcro. (3) Inde fortasse orta opinio, quod ipse antea fuerit Stephano VI. auctor istiusmodi sceleris perpetrandi: qua etiam de caussa Sergio, non Stephano illud facinus adscripsisse Luitprandum, docet Baronius. (4) Eidem Sergio consuetudinem fuisse cum Marozia, (5) ex eaque filium procreasse Joannem nomine, Luitprandus memorat. (6) Ceterum hoc laude dignum Sergii, quod Lateranensem Basilicam terræmotu labefactatam instauravit, instauratamque *ornamentis aureis argenteisque decoravit*. (7) Diem obiit anno 911. extremo mense Sextili, cum *annos septem & menses tres* in Pontificatu fuisset.

Respondeo, errasse Stephanum VI. *&* *Sergium* III, *sed in quæstione facti, non juris, & malo exemplo, non falsa doctrina.*

(3) Sigonius De Regno Italiæ lib. 6. ad an. 904. pag. 246.

(4) Ad an. 897. §. 3. *Huc usque Luitprandus, Sergio factum sacrilegium adscribens, quod ipse fuerit ad illud perpetrandum antesignanus & auctor.* Vide annotat. 1. ad Stephanum VI.

(5) Vide annotat. 1. ad Landum.

(6) Lib. 2. cap. 13. apud Baronium ad an. 908. §. 5. apud Duchesnium tom. 3. pag. 584.

(7) Joannes Diaconus in libro *De Ecclesia Lateranensi* cap. 17. apud Mabillonium tom. 2. Musei Italici pag. 575.

CXXIII.

ANASTASIUS III.

ANNO CHRISTI 911.

LUDOVICI III. 12. ALEXANDRI 1.

ANASTASIUS III. Luciani filius, post unum aut alterum diem a morte Sergii III. successor eidem datur. *Modeste & integre vixit*, ut ait Platina, *nec in se quidquam habuit, quo reprehendi posset*. Sigonius dicit, eum, postulante Berengario Italiæ Rege, Ticinensi Episcopo *jus indulsisse adhibenda umbella, equo albo vehendi, Crucis praferendæ, & in Concilio a læva Pontificis assidendi*. Regnavit *annos duos, ac totidem fere menses*, anno 913. dimidio mensis Octobris jam exacto vita defunctus.

Bar. an. 910. §. 1. Pag. §. 1.
De Reg. Ital. l. 6. pag. 247.
Bar. an. 912. §. 1. Pag. §. 1.

CXXIV.

LANDUS.

ANNO CHRISTI 913.

LUDOVICI III. 14. CONSTANTINI VIII. 2.

LANDUS Trani filius, Sabinus circa diem XVI. Octobris anno 913. seu, quod haud cuiquam in dubio sit, ante mensem Februarium anni insequentis Pontifex factus est. Hic, annitente Theodora, Joannem, cujus illa amore deperibat, ex Presbytero Episcopum Bononiensem constitutum ad Ravennatem Ecclesiam transtulit. (1) Post haud

Bar. an. 912. §. 1. 7. Pag. §. 1. 7.

(1) Baronius ad an. 908. §. 6. *Erat ista Romana femina sena-*

haud ita multo obiit anno 914. ante diem circiter VI. Kal. Majas, *mense sexto & die decimo*, quam Pontificatum inierat.

T 3 CXXV.

senatoria orta progenie, excellens pulcritudine, ingenio versutissima, consuetudine Adelberti Tusciæ Marchionis potentissimi procacissima, ex quo etiam genuit filias Maroziam atque Theodoram sibi non solum æquales, verum etiam Veneris exortivo promtiores, ut ait Luitprandus lib. 2. cap. 13. *Ex adulteri potentia sibi peperit monarchiam. Nam cum munitio Sancti Angeli inexpugnabilis possideretur ab eodem Tusciæ Marchione, & qui ea potiretur, Urbi quoque dominari facile posset: hæc pessima femina ea arte Dominium Urbis est consecuta, illudque in posteros propagare curavit, filias prostituens Pontificibus Sedis Apostolicæ invasoribus, & Tusciæ Marchionibus; ex quibus tantarum invaluit meretricum imperium, ut pro arbitrio legitime creatos dimoverent Pontifices, & violentos ac nefarios homines, illis pulsis, intruderent.*

Porro, ut idem Baronius subjicit ad an 912 § 7. *Theodora non quievit, donec eumdem Joannem ex Archiepiscopo Ravennate in Cathedram Petri violenter intrusit. Duplici caussa tanta aucta est meretrix potestate, tum quod ejus filia Marozia fuisset Sergio Pseudopapæ prostituta, tum etiam quod altera filia Theodora Adelberto Marchioni Tusciæ juncta adulterio esset, ex qua Albericus est natus, qui patris potentia Urbi dominabatur. Hic status infelix sanctæ Romanæ tunc temporis Ecclesiæ, ut arbitrio potentissimæ meretricis Theodoræ matris omnia moverentur. Accessit vero ad potentiam ejus, quod defuncto Adelberto Marchione Tusciæ, loco ipsius regnans filius ejus ex Berta conjuge Vido nomine Maroziam scortum Sergii in uxorem acceperit. Hæc omnia Luitprandus ejus temporis scriptor. Quanta autem esset potentia Tusciæ Marchionum, ex eodem auctore probe intelligere potes, dum de ipso hæc ait:* Hic rex potius, quam Marchio poterat appellari: in nullo quippe mihi est inferior, nisi solummodo nomine.

CXXV.

JOANNES X.

ANNO CHRISTI 914.

LUDOVICI III. 15. CONSTANTINI VIII. 3.

JOANNEM X. Joannis filium, Romanum, Ravennæ Episcopum in summum Sacerdotium Theodoræ favor evexit. (1) Pontifex consecratus est anno 914. mense Aprili exeunte, & partum arte mala Pontificatum haud male gessit. Saracenos, qui arcem Garilianam ad ostium Liris, & Latii fines positam, annum jam quadragesimum tenebant, maximo totius Italiæ damno atque periculo, Constantini *Porphyrogeniti*, Berengarii, & aliorum Principum auxiliis fretus, in primis vero Apostolorum Petri & Pauli ope adjutus, tanta clade affecit, ut cæsi aut capti omnes ad unum fuerint. Postea Berengarium die ipso solemni Paschæ rite constituit Imperatorem, simul ut gratiam referret, simul ut excitaret ad Romanam Ecclesiam tuendam ab infensis. (2) Idem Legatum misit Com-

Bar. an. 912. §. 12. Pag. §. 7. 8.

Bar. an. 915. §. 2. 3. Pag. §. 3. 7.

Bar. an. 918. §. 2.

(1) Baronius ad an. 915. §. 3. *Quod ad Joannem Papam nuncupatum spectat, potuit contigisse, ut qui invasor, fur, & latro ingressus erat, accedente Cleri consensu, haberi cœperit legitimus Romanus Pontifex: cujus quidem rei argumento sunt legationes ex diversis orbis partibus ad eum missæ; magis vero cultus fuit, cum ejus opera Saraceni, ita ut audisti, sunt extincti.*

(2) Docet id Anonymus in Carmine Panegyrico *De laudibus Berengarii Augusti* lib. 4. inter Scriptores Rerum Italicarum tom. 2. pag. 405. 406. Berengarius factus Imperator confirmavit Romanæ Ecclesiæ ea omnia, quæ prius eidem data fuerant a Pippino, Carolo Magno, aliisque. Eam

Compostellam ad venerandum corpus sancti Jacobi, cum litteris ad Sisenandum ejusdem Urbis Episcopum, ut preces pro se ad eumdem Apostolum funderet. Eodem Pontifice, reconciliata inter Orientalem & Occidentalem Ecclesiam pax, quam turbaverat controversia de matrimonio ab Imperatore Leone *Sapiente* contracto quarta vice. Græci enim duce Nicolao *Mystico* Episcopo Constantinopolitanorum, illud damnarant tamquam fornicationem; Legati vero Apostolicæ Sedis, quamvis vetitum severiore Græcæ Ecclesiæ disciplina, tamen, ut in eo rerum statu, permittendum, ratumque habendum propugnaverant. Hæc atque his similia Joannem effecere laudabilem. Illud ei unum vitio datur, quod affirmavit Archiepiscopatum Remensem Hugoni Heriberti Comitis Aquitaniæ filio, qui nondum *quinquennii tempus explesset*. (3) Anno

Bar. an. 920. §. 1. Pag. §. 1.

Bar. an. 925. §. 8.

T 4 928.

Eam confirmationem a lectore pro suggestu recitatam subjicit idem Anonymus pag. 412.

Sed facta silentia tandem:
Lectitat Augusti concessos munere pagos
Præsulis obsequio, gradibus stans lector in altis,
Cæsare quo norint omnes data munera, prædo
Ulterius paveat sacras sibi sumere terras.

Locum hunc illustrat Valesius sic: *Finitis populi acclamationibus, & laudibus, ac votis, & facto tandem silentio, lector stans summis in gradibus Basilicæ S. Petri legit Berengarii Augusti litteras, paullo ante ab eo promissas, quibus omnium superiorum Principum donationes confirmabantur, & quicumque pagi, seu regiones ac Urbes Basilicæ S. Petri datæ olim fuerant a Pippino, Carolo Magno, aliisque, a Berengario Augusto eidem, ac Joanni Papæ concedebantur, nominatimque exprimebantur: ut omnes scirent ab Augusto Berengario datas hæc esse beato Petro, vel potius confirmata, & terras loco sacro attributas, ac veluti sacras nemo amplius sibi vindicare auderet.*

(3) Flodoardus lib. 4. Historiæ Remensis cap. 20. tom. 17. Bibl. Patr. pag. 605.

Baronius ad an. 925. §. 9. *Illud plane tunc primum contigit in Ecclesia Dei videri monstrum, numquam hactenus in orbe*

Bar. an. 928. §. 2. Pag. §. 1.2. 928. Pontificatus sui *decimo quarto jam exacto*, instinctu Maroziæ, quæ Vidoni Tusciæ Marchioni nupta, non secus, atque antea Mater, Romæ dominabatur, conjectus in carcerem, anima cervicali interclusa, periit. Sic *quem femina studium extulit, odium femina abstulit*. (4)

CXXVI.

LEO VI.

ANNO CHRISTI 928.

CONSTANTINI VIII. 17. CUM ROMANO.

LEO VI. Christophori Primicerii filius, sine auctore dicitur a Panvinio, Baronio, Ciaconio, Papebrochio, Natali Alexandro. (1) Anno 928. sub exitum mensis Junii consecratur. Tranquillandis Romanis rebus, quas turbaverant decessores ejus, curam intendisse fertur. Sed conatu irrito. Nam in carcerem detrusus a factiosis moritur anno insequente circa diem tertium Februarii, *mense septimo, & die quinto*, ex quo Pontifex esse cœperat. (2)

Bar. an. 928. §. 2. Pag. §. 2.

Bar. an. 929. §. 1. Pag. §. 2.

CXXVII.

be Christiano visum nec auditum, imo nec puto mente conceptum.

S. Bernardus epist. 42. seu *De Officio Episcoporum* cap. 7. pag. 477. *Scholares pueri, & impuberes adolescentuli ob sanguinis dignitatem promoventur ad Ecclesiasticas dignitates, & de ferula transferuntur ad principandum Presbyteris: lætiores interim, quod virgas evaserint, quam quod meruerint principatum: nec tam illis blanditur adeptum, quam ademtum magisterium.*

(4) Hieronymus Rubeus lib. 1. Hist. Ravennatis pag. 255.

(1) Ciaconius addit, eum fuisse *ex familia* Gemina, *quæ postea* Sanguinea *dicta est*.

(2) Flodoardus De Romanis Pontificibus inter Scriptores Rer. Italic. tom. 3. pag. 324.

Cel-

CXXVII.

STEPHANUS VII.

ANNO CHRISTI 929.

CONSTANTINI VIII. 18. CUM ROMANO.

STEPHANUS VII. Theudemundi filius, Romanus, in locum Leonis VI. ſtatim ſubrogatus eſt. Hic, ut ait Flodoardus Scriptor coævus Bar. an. 929. §. 1. Pag. §. 2.

Binos præfulget in annos
Aucto menſe ſuper, biſſeno ac ſole jugato,

nimirum *annos duos, menſem unum & dies duodecim* Pontificale munus ſuſtinuit. Siquidem finem vivendi fecit circa diem quintum decimum menſis Martii anno 931. ejuſque *vita*, Platina referente, *manſuetudinis & religionis plena fuit*. (1) Bar. an. 911. §. 1. Pag. §. 1.

CXXVIII.

Celſa Petri ſextus Leo regmina ſumens
Menſibus hæc ſeptem ſervat, quiniſque diebus.

Albertus Krantius l. 5. Metropolis c. 1. pag. 117. *Mirum de menſtruis Pontificibus: non carent tempora veneni ſuſpicione.*

(1) Luitprandus lib. 2. c. 13. & l. 3. c. 12. tom. 2. Scriptor. Rer. Italic. pag. 440. & 450. omiſſo Stephano VII. ejuſque deceſſore Leone VI. Joanni X. ſufficit Joannem XI. Credo, quia nulla res geſta inſignem illorum Pontificatum fecerit. Utrumque tamen in Romanis Pontificibus numerat Flodoardus Scriptor coævus, quem modo nominavi, Hermannus item Contractus apud Caniſium tom. 3. part. 1. pag. 257. 258. & Marianus Scotus, ac Sigebertus apud Piſtorium tom. 1. pag. 645. & 811.

CXXVIII.

JOANNES XI.

ANNO CHRISTI 931.

CONSTANTINI VIII. 20. CUM ROMANO.

JOANNES XI. *Marozia filius, quem ex Sergio III. Papa meretrix ipsa genuerat*, (1) anno 931. circa Idus Mart. Pontifex constitutus est potentia Vidonis Tusciæ provinciæ Marchionis, cui Marozia nupserat. Sui juris numquam fuit. Nam modo paruit imperio matris, modo vitrici Hugonis Regis Italiæ, quicum Marozia, mortuo Vidone marito fratre Hugonis uterino, incestum matrimonium contraxerat: tandem in custodia habitus est ab fratre Alberico Vidonis & Maroziæ filio, qui, Hugone extincto, Romæ tyrannidem occupaverat. Hinc cum Alberici, quam Joannis auctoritatem vimque majorem esse, cognovisset Romanus Lacapenus Constantini VIII. jam ab anno 919. in Imperio Orientis collega, Albericum sibi, & filio suo Theophylacto, quem constituerat Patriarcham Constantinopolis, studuit demereri. Itaque *missis ei muneribus satis magnis, effecit, ut ex Papa nomine Theophylacto Patriarcha littera mitterentur, quarum auctoritate cum ipse, tum successores ejus absque Paparum permissu palliis uterentur. Ex quo turpi commercio vituperandus mos inolevit, ut non solum Patriarcha, sed etiam Episcopi totius Gracia palliis utantur*. (2) Vitæ su-

Bar. an. 931. §. 1. Pag. §. 1.

Bar. an. 933. §. 1. 3. Pag. §. 1. 2.

Bar. an. 934. §. 1.

(1) Luitprandus lib. 3. De rebus Europæ sui temporis cap. 12. apud Baronium ad an. 931. §. 1. & apud Duchesnium tom. 3. pag 598.

(2) Idem Luitprandus in *Legatione ad Nicephorum Phocam*, inter Scriptores rerum Italicarum tom. 2. pag. 488.

Bo-

supremum diem Joannes egit anno 936. initio mensis Januarii, *annis quatuor & mensibus ferme decem*, postquam Pontificis personam gerere cœperat. Bar. an. 936. §. 4. Pag. §. 6.

CXXIX.

LEO VII.

ANNO CHRISTI 936.

CONSTANTINI VIII. 25. CUM ROMANO.

LEONI VII. Romano, viro probo, abnuenti recusantique, anno 936. Pontificatus honos mandatus est. (1) Ante diem nonum Januarii consecratus, *annos tres, menses sex, & dies decem* Ecclesiam administravit. Anno enim 939. circa diem duodevicesimum Julii cessit e vita. Eum intenta fuisse in rem Monasticam cura, & Oddonem Abbatem Cluniacensem Romam vocasse ad Monachorum mores formandos, pacemque compo- Bar. an. 936. §. 4. 10. 11. Pag. § 7. 10. 11. Bar. an. 939. §. 6. Pag. §. 3.

Bona lib. 1. Rer. Liturgic. cap. 24. §. 16. Pallium *Latinum solis Archiepiscopis tribuitur: Græcum omnibus Episcopis commune est, qui illud deponunt, cum Euangelium legendum est, & reassumunt paullo ante communionem.*

(1) Flodoardus (qui in Leone VII. absolvit libellum suum de Pontificibus Romanis) tom. 3. Script. Rer. Italic. part. 2. pag. 324.

Septimus exurgit Leo, nec tamen ista volutans,
Nec curans, apicis mundi nec celsa requirens,
Sola Dei quæ sunt, alacri sub pectore volvens,
Culminaque evitans, oblata subire renuntans.
Raptus at erigitur, dignusque nitore probatur
Regminis eximii, Petrique in sede locatur.
Sed minime assuetam linquit decoramine curam,
Deditus assiduis precibus, speculamine celsus,
Afflatu lætus, sapiens, atque ore serenus.
Qui me visentem Ætherei pia limina Petri
Jocunde excipiens, &c.

ponendam inter Hugonem regem Italiæ, & Albericum Romæ Principem, affirmare pro certo habeo, audeoque. Quæ præterea laude digna fecit, ignorantur, obruta tenebris sæculi hujus, quod *inopia Scriptorum appellari consuevit obscurum*. (2)

CXXX.

STEPHANUS VIII.

ANNO CHRISTI 939.

CONSTANTINI VIII. 28. CUM ROMANO.

STEPHANUM VIII. Germanum, (1) annitente Ottone Germaniæ Rege, per suffragium populi, non admissis Cardinalibus, electum fuisse, scribunt aliqui, addentes ob id invisum Alberico, ejusque factionis hominibus, ita deformatum inhonestis in facie vulneribus, ut prodire, & in conspectu civium esse erubesceret. Ego Stephanum ab fautoribus Alberici male habitum, quod Baronius narrat ex vetere libro de Romanis Pontificibus, facile credo. At vero Ottonis opera creatum fuisse Pontificem, *id usquequaque probare non possum, cum Otto Rex Germaniæ eatenus nihil juris habuerit in Italia, neque ei electioni se immiscere potuerit, bellis domesticis occupatissimus, & longius absens, quam ut nuntium de morte Leonis acciperet ante electionem successoris, nisi fingere velimus duobus vel tribus mensibus vacasse sedem*. (2) Stephanus anno 942. Damasum Episcopum misit in Galliam cum litteris ad principes Regni, ut Ludovicum IV. cognomine

Bar. an. 939. §. 6. Pag. §. 4.

Bar. an. 942. §. 1.

(2) Baronius ad an. 900. §. 1.
(1) A Ciaconio dicitur *in Germania educatus*.
(2) Papebrochius in Conatu Chronico Historico apud Bolland. tom. 8. Maji pag. 159.

ne *Transmarinum*, a quo defecerant, colerent haberentque pro Rege, eique dicto audientes forent, excommunicatione inhibita; nisi id ante diem natalem Christi Domini facerent obedienter, eaque de re Legatos mitterent Romam. Eodem anno mense Decembri ineunte decessit, cum circa diem decimum octavum Julii subrogatus Leoni VII. regnasset *annos tres, menses quatuor, & dies quindecim*. Bar. an. 943. §. 1. Pag. §. 1.

CXXXI.

MARINUS II.

ANNO CHRISTI 942.

CONSTANTINI VIII. 31. CUM ROMANO.

MARINUS II, quem alii *Martinum* III. vocant, (1) Romanus, ante diem quartum Februarii Stephani VIII. locum tenuit. Totus fuit in constituenda Ecclesiæ disciplina, templis instaurandis, inopia pauperum sublevanda, dissidiis inter Christianos Principes componendis: & referente Leone Ostiensi lib. 1. Chronici Casinensis cap. 57. litteras dedit Siconi Episcopo Capuano, *quibus illum & de Canonum ignorantia, & de inscientia litterarum, & de familiaritate secularium districte redarguit*. Obiit anno 946. mense Junio functus munere Pontificali *annos tres, menses sex*. Bar. an. 943. §. 1. Pag. §. 1. Bar. an. 946. §. 1. Pag. §. 1.

CXXXII.

(1) Vide annotat. 1. ad Marinum I. & Martinum IV.

CXXXII.

AGAPETUS II.

ANNO CHRISTI 946.

CONSTANTINI VIII. SOLIUS 35.

AGAPETUS II, Romanus, eodem anno, ac mense, quo Marinus II. decessit, successor ei datus est. Marinum Episcopum Polimartiensem *Legatum ab latere misit in Galliam, cum ad stabiliendum Ludovici Regnum, quod factione Hugonis Principis variis nutabat tumultibus; tum etiam ad cognoscendam cum illarum partium Episcopis caussam Remensis Ecclesiæ, quisnam ejus legitimus esset Episcopus Artaldus, vel Hugo*. (1) Anno, qui insequitur, *Synodum habuit apud Sanctum Petrum, in qua damnationem Hugonis Episcopi apud Ingulenheim factam confirmavit, excommunicans etiam Hugonem Principem, donec Ludovico Regi satisfaciat*. (2) Idem arcessivit Ottonem Germaniæ regem, ut Italia exigeret Berengarium vexantem sacros Ecclesiæ ministros, & ab eis extorquentem vi pecunias; misitque ejusdem Ottonis fratri sancto Brunoni Archiepiscopo Coloniensi pallium, singulare concedens jus utendi eo *quoties vellet*. (3) Vitam deseruit post diem vicesimum Augusti anno 956. ideoque Pontifex fuit *annos decem, & menses amplius duos*.

Bar. an. 946. §. 1. Pag. §. 1.

Bar. an. 950. §. 2.

Bar. an. 955. §. 4. Pag. §. 4.

CXXXIII.

(1) Baronius ad an. 948. §. 1. ex Flodoardo.

(2) Flodoardus in Chronico ad an. 949. apud Duchesnium tom. 2. pag. 616.

(3) Rotgerius in vita ejusdem S. Brunonis cap. 23. apud Surium die 11. Octobris, qui eodem capite vocat *Agapetum miræ sanctitatis Papam*.

CXXXIII.

JOANNES XII.

ANNO CHRISTI 956.

CONSTANTINI VIII. SOLIUS 45.

JOANNES XII. (1) *Octavianus* antea dictus, (2) qui patre *Alberico, patricio Romanorum defuncto, cum esset Clericus, principatum adeptus est;* Bar. an. 955. §. 1. 2. 3. 4. Pag. §. 1. *defuncto Agapeto, suggerentibus sibi Romanis, Papa Urbis efficitur,* (3) hoc est *malorum consilio*, ut Baronius explicat, *summum Pontificatum usurpat*. Anno

(1) Joannem hunc XII. vocant Scriptores omnes præter unum Platinam, qui eum dicit Joannem XIII. Id observatum a Panvinio in annotat. ad eumdem Platinam pag. 119.

(2) Baronius ad an. 955. §. 4. Schismatis *vitandi caussa, utpote mali omnium pessimi, universa Catholica Ecclesia eum est venerata Pontificem, minoris sciens esse mali monstrosum quantumlibet caput ferre, quam duobus capitibus infamari, & secari corpus unum in duo. Hic autem re vera primus inventus, qui mutavit sibi nomen, ut qui ex* Octaviano *voluerit nominari* Joannes.

Mabillonius Præfat. ad Part. 2. Sæc. VI. Benedictini §. 12. num. 93. *Has observationes honoris caussa ordiri par est a Pontificibus Romanis, quibus electis ab hoc sæculo undecimo nomina mutari consueverunt. Id quidem jam factum erat sub finem sæculi noni in* Hadriano III. *qui antea dictus* Agapitus, *tum sæculo decimo in* Sergio III. Joanne XII. *&* Joanne XIV. Gregorio V. Silvestro II. *At insequente sæculo undecimo res in morem vertit, saltem a* Benedicto IX. *quo ex tempore vix quemquam reperias, qui nomen non mutaverit, præter* Marcellum II. *qui proprium nomen retinuit.*

Idem Mabillonius Præfat. ad Sæc. V. Benedict. §. 1. num. 7. multo verius scripserat, non *Hadrianum* III. sed *Joannem* XII. fuisse *primum novati in Romano Pontifice nominis exemplum*. Vide annotat. 1. ad Sergium II. & Joannem XIV.

(3) Flodoardus in Chronico ad an. 954. inter Scriptores Historiæ Francorum Duchesnii tom. 2. pag. 619.

no 956. post diem XIII. Kal. Septembr. consecratur. Multa indigna passus a Berengario & Adelberto ejus filio, Ottonem Regem Germaniæ per Legatos magnopere rogavit, ut exercitum de integro in Italiam adduceret, atque Ecclesiam, Italiamque ab eorum tyrannide vindicaret; jurejurando prius obligata ab Rege fide, se omnia Romanæ Ecclesiæ bona tyrannis ablata restituturum. (4) Itaque *collectis copiis in Italiam percitus venit. Qui tanto Berengarium, atque Adelbertum celerius Regno expulit, quanto evidentius constat, quod commilitones Petrum, & Paulum sanctissimos Apostolos habuit.* (5) Romam deinde profectum *Joannes gratanter suscipiens, honorifice super cathedram Augustalem posuit, & benedictione atque consecratione sua Imperatorem fecit.* (6) Tum Otto suas D. Petro terras restituit, Pippini & Caroli Magni donationes ac restitutiones edito diplomate ratas jussit esse, voluitque ut *fu-*

Bar. an. 960. §. 1. 3. Pag. §. 1.

Bar. an. 962. §. 1. 2. Pag. §. 1. 3.

(4) Verba ipsa jurisjurandi sunt etiam apud Gratianum dist. 63. cap. Tibi Domino 33. *Quidquid de terra Sancti Petri ad nostram potestatem pervenerit, tibi reddam, & cuicumque Italicum Regnum commisero, jurare faciam illum, ut adjutor tui sit ad defendendum terram sancti Petri.*

(5) Luitprandus lib. 6. cap. 6. inter Scriptores Rer. Italic. tom. 2. pag. 471.

Ludovicus Antonius Muratorius Præfat. ad eumdem Luitprandum tom. 2. Scriptor. Rer. Italic. pag. 422. *Sex posteriora libri sexti capita, ubi de damnatione Joannis XII. Papæ agitur, inter Baronium, Vossium, Caveum, Dupinium, aliosque disceptatum est, num Luitprandum auctorem habeant, an alium quemquam Continuatorem ejusdem Historiæ, qui tamen iis, aut proximis temporibus vixerit. Adhuc sub judice lis est. Equidem puto, integram ad nos non pervenisse Luitprandi Historiam: neque enim in ea legimus propiora tempori, quo ipse scripsit, ac potissimum Berengarii II. facinora, quæ ipsum acrius torquebant, atque ad scribendum incitabant.*

(6) Lambertus Schafnaburgensis in Chron ad an. 962. inter Scriptores Rer. Germanic. Pistorii tom. 1. pag. 314.

Pagius ad eumdem an. §. 1. *Otto primus ex Germanis fuit sacris Imperii insignibus & infulis exornatus.*

futura Pontificum electio canonice & juste fieret, utque Pontifex electus consecraretur in conspectu Legatorum Imperatoris. (7) Post haud ita multo Joannes alienatus ab Ottone, favere cœpit Adelberto, ejusque partes adversus Imperatorem tueri. Ludificatus, ideoque ira incensus Otto infesto exercitu Romam proficiscitur. Joanne fuga elapso, Romani Imperatorem suscipiunt, jurejurando polliciti, nullum se exinde Pontificem nisi Imperatore assentiente electuros. Tribus post diebus coacto in Æde S. Petri conventu Episcoporum, Joannem accusatum de criminibus gravissimis, extraquam hæresi exuit Pontificatu, inque locum ejus Leonem VIII. subrogat. (8) Hic post menses duos a Romanis expulsus, & Joannes in locum suum restitutus. Haud diu tamen reddita potestate usus est.

Bar. an. 963 §. 4. & seqq. Pag. §. 1.

Bar. an. 964. § 1. 3. 5. 17. Pag. §. 1. 2.

V

(7) *Porro ista de electione Romani Pontificis, ut decernerentur, vis tyrannorum effecit, ut alias sæpe superius dictum est, adversus quos Imperatoris opus fuit auxilium implorare*. Ita Baronius ad an. 962. §. 12 post recitatum Ottonis diploma, quod verum esse ac legitimum, confirmant testimonia Luitprandi lib. 6. cap. 6. Chronici Reichersperpensis pag. 132. & Gratiani dist. 63. cap. 33. Quæ contra dicuntur a Goldasto refellit Gretserus tum in Apologia Baronii cap. 20. tum Defensione in Goldastum lib. 2 cap 15.

(8) Baronius ad an. 963. § 30. *Addit Sigebertus, Leonem laicum adhuc fuisse, cum electus est Pontifex, contra decreta Nicolai, Hadriani, & Stephani superius recitata*.

Pagius ad an. eumd. §. 4. ait, eum in Actis Synodi Remensis dici *Neophytum*.

Baronius §. 31. & Petrus de Marca lib. 1. De Concordia cap. 11. §. 7. consentiunt, *Joannis XII. exauctorationem ab Ottone Imperatore, & Synodo Romana tentatam, nullius omnino fuisse momenti*. Natalis Alexander dissertat. 16. in Hist. Eccl. Sæc. IX. & X. ostendit, Pontificatus dignitatem Joanni XII. injuria abrogatam, & Leonem VIII. ei suffectum legitimis Pontificibus non esse annumerandum, quamvis id negaverint *auctores plerique coævi, maxime Germani, Ottoni Imperatori ut adularentur*. A Baronio, aliisque dissentit Launojus lib. 4. epist. 1. ad Ludovicum Maræsium num. 27.

est. Vixdum enim celebrata Romæ Synodo damnarat habitum ab Ottone conventiculum, & PseudoPontificem Leonem, cum pridie Nonas Majas moritur *anno Pontificatus septimo, mense ferme nono.* (9)

CXXXIV.

BENEDICTUS V.

ANNO CHRISTI 964.

OTTONIS 3. NICEPHORI PHOCÆ 2.

BENEDICTUM V. cognomento *Grammaticum*, Romanæ Ecclesiæ Diaconum, sine Imperatoris consensu, contra quam juraverant paullo ante, Romani sublegerunt, circa diem decimum quintum mensis Maji. Quod ubi nuntiatum est Ot-

Bar. an. 964. §. 17. 18. Pag. §. 3. 4. Pag. an. 999. §. 9.

(9) Luitprandus, seu alius, (quem, ut ait Baronius ad an 964. §. 16. Joannis *adversarium fuisse liquet atque Schismaticorum complicem*) lib. 6. cap. 11. apud Duchesnium tom. 3. pag. 633. *Volens cunctis seculis innotescere Dominus, quam juste esset Joannes Papa a suis Episcopis, & omni plebe repudiatus, quamque postmodum injuste receptus, quadam nocte.... in temporibus adeo a Diabolo est percussus, ut intra dierum octo spatium eodem sit vulnere mortuus.* Contra vero, ut scribit Ludovicus Du Mesnil lib. 43. Doctrinæ & Disciplinæ Ecclesiæ §. 5. *Reginonis Continuator, licet Joanni contrarius faveat Imperatori, hanc ejus mortis circumstantiam ne quidem insinuat.*

Baronius ad an. 963. §. 3. monet *auctorem eum addictissimum Ottoni Imperatori, privato studio ea scripsisse in ipsius gratiam, odium vero Joannis.*

Natalis Alexander in Hist. Eccl. sæc. IX. & X. cap. 1. art. 21. *Ottonis Imperatoris partibus, quem* Sanctissimum *semper vocat, penitus devotum, & Leoni VIII. Antipapæ addictum auctorem illum certum est, ut non immerito veniant in suspicionem plurima, quæ de Joanne XII. & infausto ejus obitu memorat.*

Ottoni, Romam cum exercitu perjurii ultor accessit. Restitere illi aliquandiu: victi deinde fame, Benedicto in potestatem Imperatoris tradito, Leonem VIII. cui ille impense favebat, susceperunt. Leo, coacto sine mora Concilio, (1) Pontificatum Benedicto abrogavit: quem Otto secum in Germaniam abductum, Adaldago Hamburgensium Archiepiscopo custodiendum tradidit. Illic magno in honore ab Archiepiscopo habitus, mansit ad mortem usque. Est autem mortuus anno 965. quo pariter anno Leo VIII. Pontificatu bis usurpato, parum diu potitus interiit. (2)

Bar. an. 965. § 2 1. 4. Pag. § 1.

V 2 CXXXV.

(1) Apud Gratianum dist. 63. cap. 23. *inconsiderate nimis ista tractantem*, ut ait Baronius ad an. 964. §. 21. habetur conventiculi hujus constitutio, seu decretum, quo Leo VIII. *ad exemplum B. Hadriani* concessisse dicitur Ottoni potestatem eligendi Romanum Pontificem, & concedendi Episcopis *investituras*. Hanc autem constitutionem subdititiam esse perinde, atque illam, qua idem jus Carolo Magno datum fertur ab Hadriano I, demonstrat Baronius tum ad annum memoratum, tum ad an. 774. §. 15. Quem locum nos quoque, tanti viri vestigiis insistentes, dissert. 9. persecuti sumus.

Ex non dissimili officina mendacii prodiit constitutio alia, qua idem Leo VIII. profitetur, se restituere Ottoni, ejusque successoribus quidquid Pippinus, & Carolus Magnus in Romanam Ecclesiam contulissent. Verissime enim dictum, demonstratumque a Baronio ad an. 964. §. 26 illam *plures errores continere, quam verba*. Id quod probavit etiam Gretserus in Apologia Baronii pag. 404. & Pagius ad an. 964 §. 7. Goldastus tom. 1. Constitutionum Imperialium pag. 222. eam recitat ex Theodorico Niemo, qui vixit circa annum 1410.

(2) Leo VIII. quamvis legitimus Pontifex numquam fuerit, ideoque in Pontificum numero minime habendus; antiquis tamen juxta, ac recentibus scriptoribus ordine *octavus* dicitur, & qui postea secutus est, Leo *nonus* omnium consensu appellatur. Vide Launojum lib. 4. epist. 1.

CXXXV.

JOANNES XIII.

ANNO CHRISTI 965.

OTTONIS 4. NICEPHORI PHOCÆ 3.

JOANNES XIII. Romanus, Episcopus Narniensis, Ottone assentiente, anno 965. cooptatus est, & Kal. Octobr. Pontifex inauguratus. In odium procerum Romanorum incurrit, quod elatiore animo, quam par erat, eos premeret. Quam ob rem seditione facta a Rotfredo Urbis præfecto, exturbatus Pontificatu Capuam se recepit, ubi a Pandulpho Capuano Principe habitus est liberaliter, ab eoque *rogatus, tunc primum in eadem Civitate Archiepiscopatum constituit, consecrato ibi Joanne fratre ejusdem Principis Archiepiscopo.* (1) Id Otto ut audivit, in Italiam contendit ad Pontificem restituendum dignitati pristinæ. Romani metu subacti Joannem revocarunt. Nec propterea fuit ipsis impune. Nam Imperator, ne alii in posterum talia auderent, capite damnatis principibus seditionis, insigne documentum omnibus dedit. Compositis rebus Romanis, una cum Pontifice Ravennam commigravit. Habitum ea in Urbe Concilium, in quo Imperator *Apostolico Joanni Urbem & terram Ravennatium, aliaque complura, multis retro temporibus Romanis Pontificibus ablata, reddidit, eumque inde Romam cum magna lætitia remisit.* (2) In Ur-

Bar. an. 965. §. 4. Pag. §. 2.3.

Bar. an. 966. §. 1. Pag. §. 1.

Bar. an. 967 §. 1. Pag. §. 1.

(1) Leo Ostiensis Chron. Casin. lib. 2. cap. 19.

(2) Continuator Reginonis extremo libro 2. inter Scriptores Rer. Germanic. Pistorii tom. 1. pag. 112.

Hieronymus Rubeus lib. 5. Hist. Ravenn. pag. 261. ita explicat: *complura alia, quæ Berengarii occupaverant.*

Urbem reversus, filium ejus Ottonem Germaniæ Regem, ad referendam, credo, gratiam, solemni ritu coronatum, declaravit consortem Imperii. Præter hæc invenio apud quosdam, Joannem omnium primum Lateranensis Ecclesiæ campanam sacris ceremoniis consecrasse, moremque eum posteros accepisse. Ego tamen magnos auctores secutus, (3) ante Joannem campanas consecrari cœptas, magis credo. Ejusdem Pontificatum insignem fecit Polonorum ad Christi fidem conversio, ad quos confirmandos Ægidium Episcopum Tusculanum legavit. Obiit anno 972. VIII. Idus Septembr. Bar. an.
post *annum sextum*, *mensem undecimum*, *&* *diem* 972. §. 1.
quintum, quam Romanæ Ecclesiæ præfectus erat. Pag. §. 1.

V 3 CXXXVI.

(3) Bonam lib. 1. Rer. Liturgic. cap. 22. §. 7. Roccam De Campanis cap. *6.* Edemundum Martene De antiquis Ecclesiæ ritibus lib. 2. cap. 21.

Ritus vero consecrandi campanas *baptismus* vulgo dicitur, non quod re vera campanæ baptizentur eo baptismo, qui confertur in remissionem peccatorum, ut garriunt Heterodoxi, sed quod in iis consecrandis adhibeantur ceremoniæ præcipuæ, in administratione Sacramenti baptismi adhiberi solitæ, ablutio nimirum, unctio, nominis impositio. *In ipsa vero consecratione*, ut ait Bona, *nomine alicujus Sancti Campana insignitur, sive ut a ceteris proprio nomine distinguatur, sive quia ad pietatem magis conducere arbitrati sunt primi hujus ritus institutores, si voce alicujus Sancti plebs ad Ecclesiam convocari diceretur*. Quod colligitur ex cap 14. Concilii Coloniensis anno 1536 celebrati, apud Labbeum tom. 14. Conc. pag. 549. Vide Baronium ad an. *968.* §. *93.* Bellarminum de Rom. Pont. lib. 4. extremo cap. 12. & annotat. 2. ad Sabinianum.

CXXXVI.

BENEDICTUS VI.

ANNO CHRISTI 972.

OTTONIS II. JOAN. TZIMISCIS 4.

BENEDICTUS VI. Hildebrandi filius, Romanus, post diem Novembris duodetrigesimum anno 972. Pontifex consecratus est. (1) Hunc anno 974. in vincula conjecit, jugulavitque Franco Cardinalis nequissimus, Ferrutii filius, Romanus, qui Pontificatum usurpavit nomine Bonifacii VII. sibi imposito. At mense vix exacto, metuens sibi a Comitibus Tusculanis, expilata Vaticana Basilica, profugit Constantinopolim.

Bar. an. 972. §. 2. Pag. §. 1. Bar. an. 974. §. 1. Pag. §. 1.

CXXXVII.

DONUS II.

ANNO CHRISTI 974.

OTTONIS II. 2. JOAN. TZIMISCIS 6.

DONUS II. Romanus, favore Comitum Tusculanorum anno 974. Pontifex creatus, anno insequente extremum vitæ diem morte confecit. Quæ præterea narrantur ab aliquibus, nullo veterum scriptorum testimonio nituntur.

Bar. an. 975. §. 2. Pag. §. 1.

CXXXVIII.

(1) Panvinius in Chronico Ecclesiastico pag. 82. Baronius, & alii Joanni XIII. subrogant Donum II. Pagius uterque Benedictum VI. His magis assentior, quia auctores habent Sigebertum, & antiquissimos Romanorum Pontificum catalogos.

CXXXVIII.

BENEDICTUS VII.

ANNO CHRISTI 975.

OTTONIS II. 3. JOAN. TZIMISCIS 7.

BENEDICTUS VII. Davidis filius, Romanus, Episcopus Sutrinus, anno 975. ante diem quintum & vicesimum mensis Martii Pontificatum iniit. Duo habuit Romæ Concilia, in altero damnavit falsum Pontificem Bonifacium VII, in altero Simoniacos. Die functus est anno 984. VI. Idus Julii, cum regnasset *annos amplius novem*.

Bar. an. 974. S. 1. Pag. S. 1. Pag. an. 975. S 3. 5. Bar. an. 984. S. 1. Pag S. 1.

CXXXIX.

JOANNES XIV.

ANNO CHRISTI 984.

OTTONIS III. REG. 2. BASIL. ET CONST. 9.

JOANNES XIV. *Petrus* antea dictus, Episcopus Ticinensis, anno 984. summum Pontificatum obtinuit. (1) Anno insequente, a Pseudo-pon-

Bar. an. 984. S. 3. Pag. S. 1.

(1) Papebrochius in Conatu Chronico Historico apud Bolland. tom. 8. Maji pag 168. *Mutandi nominis non ea caussa fuit, quæ* Octaviano, *&* Franconi *paullo ante prægressis, sed alia plena reverentiæ erga Apostolorum Principem; ob quam etiam successorum nemo, postquam mutandorum Pontificibus nominum consuetudo invaluit,* Petri *nomen sibi arrogare præsumsit. Est autem res omnino admiratione & consideratione digna, quod cum* Petri *nomen jam inde a Constantini Magni ætate fuerit Romæ frequentatum (ut constat ex Romanarum Syno-*

Bar. an. 985 §. 1. 3. Pag. §. 1.2. pontifice Bonifacio VII, qui Constantinopoli Romam redierat, in custodiam arcis Hadrianæ inclusus fame, aut veneno absumtus est, cum *menses circiter octo* Pontifex fuisset. Itaque Bonifacius VII. nece duorum Pontificum infamis Apostolicam Sedem iterum occupavit. Sed eodem anno repentina morte periit; quo pariter anno Joannem nescio quem Roberti filium & Pontificem electum, & mortuum fuisse, apud antiquos scriptores legimus. Eum tamen Romanis Pontificibus haud annumeramus, tum quia *numquam fuit consecratus*, ut existimat Papebrochius in Conatu Chronico Historico, tum maxime quia *verus Pontifex non fuit*, ut probabilius censet Pagius ad an. 986. §. 4.

CXL.

JOANNES XV.

ANNO CHRISTI 985.

OTTONIS III. REG. 3. BASIL. ET CONST. 10.

JOANNES *ejus nominis* XV. *natione Romanus*, *ex patre Leone postea Presbytero*, anno 985. mense Decembri *electus est*. (1) Vexatus statim a Crescentio Nomentano, qui titulo Consulatus arcem Hadrianam occupaverat, secessit in Hetruriam, & per Legatos confugit ad opem Ottonis. (2) Ut cognoverunt Romani, veriti potentiam Regis eum

Bar. an. 985. §. 3. 4. Pag. §. 1.

nodorum subscriptionibus) ad hæc tamen usque tempora nemini contigerit, cui Petri *nomen obtigisset, etiam* Petri *successorem fieri in Apostolica Sede: quod nescio, an mero casui possit adscribi*. Vide annotat. 1. ad Sergium II. & annotat. 2. ad Joannem XII.

(1) Vetus Pontificum Codex Vaticanus apud Baronium ad an. 985 §. 3.

(2) Baronius ad an. 985. §. 4. *Novus tyrannus exurgit in Ur-*

eum revocant in Urbem, & prosequuntur honore omni. Tranquillum adeptus Pontificatum ad memoranda reliqua S. Udalricum Episcopum Augustanum, inquirens in vitam ejus atque miracula, congregato ad id Romæ Concilio, in Sanctorum numero habendum decrevit. Quo facto initium solemnibus *Canonizationibus* dedit. (3) E vita migravit anno 996. cum *annum Pontificatus undecimum* attigisset. *Hic fuit in armis eruditissimus, & multos libros composuit.* (4)

Bar. an. 993. S. 1. Pag. S. 1.

Bar. an. 996. S. 1. Pag. S. 1.

CXLI.

GREGORIUS V.

ANNO CHRISTI 996.

OTTONIS III. REG. 14. BASIL. ET CONST. 21.

GREGORIUS V. Germanus, *Bruno* antea dictus, fulgens regia Ottonis affinitate, anno 996. Pontifex creatur. (1) Quo die, non comperio. Ante diem tamen postremum Maji iniisse honorem summum, pro certo affirmaverim. Eo enim die, qui solemnis erat Pentecostes, Ottonem III, cujus favore auctus fuerat dignitate tanta, Imperatorem rite constituit. Habuit deinde eo

Bar. an. 996. S. 5. 7. 27. 38. Pag. S. 1. & seqq.

Urbe, quæ hactenus fuerat Albericorum violentia conculcata atque depressa. Fuit hic Crescentius Nomentanus, qui titulo Consulatus munitionem S. Angeli possidere aggressus est: quam adeptus, inde infestare nonnihil cæpit ipsum Joannem Pontificem.

(3) Vide annotat. 10. ad Leonem III.

(4) Martinus Polonus in Chron. pag. 344.

(1) Auctor vitæ S. Adelberti Episcopi Pragensis, apud Mabillonium sæc. V. Benedictino pag. 860. *Erat tunc in Capella Regis quidam Clericus Bruno, sæcularibus litteris egregie eruditus, & ipse Regio sanguine genus ferens.*

eo præsente Romæ Concilium, in quo Collegium Septemvirum Imperatori creando institutum, edunt non pauci. (2) Ottone in Germaniam profe-

(1) Dupinus De antiqua Ecclesiæ disciplina Differtat. 7. cap. 3. §. 3. dicit, *incertum esse, quomodo, & a quo septem Electores instituti fuerint. Sunt enim Scriptores, qui hanc Electorum institutionem tribuant Carolo Magno, ut Jordanes in Chronico: quæ sententia niti videtur auctoritate Innocentii* III. c. Venerabilem De electione & electi potestate. *Alii ejusdem institutionis Germaniæ Principes auctores faciunt: alii eam Gregorio* V. *tribuunt, ut Blondus, Nauclerus, Platina* (Bellarminus De Rom. Pont. l. 5. cap. 8. & de Translatione Imperii lib. 3. cap. 1.) *& alii Gregorio* X, *ut Aventinus* lib. 5. Annalium Bojorum, *& Onuphrius in lib.* De Comitiis Imper. *ubi ex professo probat, hos septem Electores non ante facta Federici institutos esse. Denique nonnulli eam partim Gregorio* V. *partim Ottoni* III. *partim Principibus Germaniæ tribuunt, quia cum hos omnes diverso modo hæc institutio diversimode tangat, ab omnibus approbari debuit.* Atque horum sententiam præ ceteris Dupinus probat.

Natalis Alexander differtat. 17. in Hist. Eccl. Sæc. IX. & X. *Sub imperio Federici* II. *Germaniæ Principes jus eligendi Imperatorem Septemviris detulere, qui deinceps soli Electores ab Historicis numerantur.* Alexandrum sequitur Pagius ad an. *996.* §. 13.

Baronius ad an. *996.* §. 55. ait, jus eligendi Imperatorem *per Gregorium* V. *transfusum ad Germaniæ Principes, haud tamen adeo liquere, per ipsum fuisse Electores ipsos numero senario, vel septenario definitos: sed & si factum fuerit, constare tamen, nequaquam id fuisse usu receptum.* Itaque §. 64. adjicit, numerum septem Electorum ab Innocentio IV. decretum in Concilio Lugdunensi I. Oecum. XIII. anno 1245. *Neque sua huic opinioni deest probabilitas*, ut observant Monachi Congregationis S. Mauri in additionibus ad Glossarium Ducangii, verbo *Electores. Præterquam enim quod circa hæc tempora in electione Imperatorum prævalere cœpit Electorum auctoritas, certum est, ab Innocentio* IV. *Fridericum* II. *Imperiali dignitate in hac Synodo privatum fuisse, præceptumque a Romano Pontifice Ecclesiasticis Electoribus, ut Henricum Thuringiæ in ejus locum sufficerent.*

Postea sententiam suam explicantes subjiciunt hæc: *Certum videtur, per Ottonem* III. *rationem succedendi in Imperio innovatam fuisse, suffragiisque, habita interdum natalium ratio-*

fecto, Gregorius a Crescentio Nomentano pellitur ex Urbe, suffecto in ejus locum Joanne Episcopo Pla-

tione, electos deinceps Imperatores, qui prius solo jure hereditario, natalium que privilegio sceptro potiebantur. Hæc aperte significant omnia Historiæ Germanicæ, quæ supersunt, monumenta. Nec alia fuit, ut opinor, errandi occasio Scriptoribus, qui Electorum originem ad hæc tempora retulerunt. Cum autem in eligendo Imperatore potiorem partem haberent septem Imperii Officiales, iique potentiores essent Germaniæ Principes, sensim pedetentimque ad hanc devenere auctoritatem, ut sibi potestatem, ceteris Principibus exclusis, eligendi Imperatorem tribuere tentarent. Et paucis interjectis: *Existimamus, nullo, quod indubitatum sit, monumento probari posse, ante Bullam Auream* (anno 1356. editam a Carolo IV.) *septem Electores pleno sibique proprio jure, quo scilicet ab electione alii Principes excluderentur, Imperatorem elegisse.*

Quocumque tandem modo, & quandocumque septemvirum Electorum numerus obtinuerit, parvi refert. Illud pervelim haberi pro certo, jus eligendi Imperatorem emanasse ab Romano Pontifice. Ejus qnidem rei testes sunt Innocentius III. in cap. *Venerabilem De electione*, Clemens V. in Clementina *Romani Principes*, *De jurejurando* edita in Concilio Viennensi Oecum. X. Electores ipsi in Epist. ad Nicolaum III. quæ est apud Bellarminum lib. 3. De Translat. Imper. cap. 3. & apud Raynaldum ad an. 1279. §. 6. Quod facile colligitur etiam ex sacramento, quo Albertus Imperator fidem suam Bonifacio VIII. obstrinxit, recitato ab eodem Raynaldo ad an. 1303. §. 9. His addunt, tam ante, quam post institutum septemvirum Electorum collegium, Pontifici Romano, a quo renovatum est Occidentis Imperium, jus fuisse Imperatoris electionem probandi, reprobandive. Certe Ludovicus II. Imperator Caroli Magni abnepos in epist. ad Basilium Græcorum Imperatorem, apud Baronium ad an. 871. §. 59. *Francorum Principes*, inquit, *primo Reges, deinde vero Imperatores dicti sunt ii dumtaxat, qui a Romano Pontifice ad hoc oleo sancto perfusi sunt.*

Septem ab initio fuere Electores, tres Ecclesiastici, Archiepiscopus Moguntinus Archicancellarius Germaniæ, Trevirensis Galliæ, Coloniensis Italiæ, & Laici quatuor, Comes Palatinus Archidapifer, Dux Saxonicus Archimarescallus, Marchio Brandeburgicus Archicamerarius, Rex Boemiæ Archipincerna. Hinc vulgati versus:

Moguntinus, Trevirensis, Coloniensis:

Qui-

Pag. an. 997. §. 5. An. 998. §. 18. 19. Placentinorum, qui Joannes XVI. appellatur. (3) Gregorius Ticinum se confert, celebratoque ibidem Concilio, Crescentium percellit anathemate. Otto, audita expulsione Gregorii, descendit in Italiam eum restituturus in locum suum. Venientem excepit Gregorius Ticini: inde uterque Romam proficiscitur. Joannem oculis erutis, auribus, naribusque præcisis Imperator punivit, Crescentium vero, qui se in arcem Hadrianam incluserat, captum multavit capite. Gregorius in Pontificatum restitutus, advocato Concilio, irritum fecit matrimonium contractum a Roberto Galliæ Rege cum Berta consanguinea, minitatus anathema, ni eam actutum dimitteret. Idem Gerberto Ravennæ Antisti-

Bar. an. 998. §. 1. Pag. §. 4. 15. 21.

Quilibet Imperii sit Cancellarius horum,
Et Palatinus Dapifer, Dux portitor ensis,
Marchio præpositus cameræ, Pincerna Boemus;
Hi statuunt Dominum cunctis per sæcula summum.

In locum Comitis Palatini perduellis anno 1623. suffectus a Ferdinando II. Dux Bavariæ Maximilianus, & anno 1648. pacis caussa octavus Elector idem Palatinus, qui nunc est Archithesaurarius, institutus sub ea conditione, ut Maximiliani stirpe virili deficiente Palatinus restitueretur in locum pristinum, numerusque Electorum ad septem rediret. Demum anno 1692. nonus Elector creatus Dux Hannoverensis, Archivexillifer.

(3) Pagius ad an. 998. §. 19 *Joannes iste, licet Antipapa*, Joannes XVI. *appellandus, quod duo subsequentes Pontifices ejusdem nominis ejus aliqualem rationem habuerint, alterque* Joannem XVII. *& alter* Joannem XVIII. *in suis rescriptis se nuncupaverit. Papebrochius* in Conatu Chronico Historico *id optima ratione ab utroque factum recte existimat.* Licet enim, *inquit*, non fuerit umquam verus Pontifex hic *Joannes* XVI tamen extabant sub eo nominis numero sparsæ toto orbe, pro occasionum diversitate. Epistolæ ac Bullæ; quæ ne cum veri deinde Pontificis actis confunderentur, si hic quoque diceretur XVI, necesse habuit Silvestri II. successor permittere ut vocaretur Joannes XVI. *Quod nos etiam faciemus, ne si cum Baronio, & recentioribus passim velimus, expuncto hoc Pseudopapa, sequentium Pontificum numerum imminuere, publicis ac privatis eorumdem ac sequentium temporum Actis adversemur.*

tiftici, quem miffo pallio fecerat Archiepifcopum, jus dedit imperii exercendi in eam Civitatem, & monetæ cudendæ. Adjecit etiam *Comaclenfem Comitatum*, confirmatis omnibus privilegiis, quæ a Romanis Pontificibus Ecclefiæ Ravennati conceffa fuerant. (4) Vitam amifit anno 999. XII. Kal. Mart. *annis duobus, & menfibus amplius octo*, quam Pontifex creatus erat.

CXLII.

SILVESTER II.

ANNO CHRISTI 999.

OTTONIS III. IMP. 4. BASIL. ET CONST. 24.

SILVESTER II. *Gerbertus* antea dictus, natione Aquitanus, primo Remorum, deinde Ravennatium Archiepifcopus, anno 999. IV. Nonas April. Ottone III. adjutore, (1) cujus fuerat præ- Bar. an. 999. §. 2. 3. Pag. §. 1. 2. 3.

(4) Gregorius V. epift. ad Gerbertum Ravennatem, apud Rubeum lib. 5. Hift. Raven. pag. 273. & apud Labbeum tom. IX. Conc. pag. 753. *Ex gratuita largitate noftra poft mortem Adelaidæ Imperatricis Auguftæ donamus tibi, tuæque Ecclefiæ diftrictum Ravennatis Urbis, ripam integram, monetam, teloneum, mercatum, muros, & omnes portas Civitatis. Si vero alia privilegia aliquibus facta apparuerint, Sanctæ Ecclefiæ obnoxia, & huic noftro privilegio contraria, auctoritate Dei & S. Petri ad nihilum redigenda illa dijudicamus: & hoc quod facimus, ftabilimus, & intactum permanendum jubemus. Donamus etiam tibi, tuæque Ecclefiæ fanctæ Comaclenfem Comitatum, poft mortem Adelaidæ Imperatricis Auguftæ, ut tu, tuaque fancta Ecclefia, tuique fucceffores illum cum omnibus inibi pertinentibus libere teneant, & ordinent in perpetuum.*

(1) Non ab ipfo Ottone Pontifex factus eft. Conftitutio enim illa apud Goldaftum tom. 1. Conftitut. Imperialium pag. 226. in qua Otto III. dicit, Silveftrum II. ab fe

præceptor, ad Pontificatum pervenit. Hunc infamavit Benno Cardinalis, tempore Gregorii VII. impudentissimus calumniator, scribens, magicis artibus adeptum esse dignitatem summam. Ast temeraria unius hominis vox extinguitur laudibus, quas in Silvestrum II. conferunt Scriptores æquales: itemque elogio illo, quod Sergius IV. sepulcro ejus inscribi voluit. Ceterum in memorandis habetur hoc maxime, quod S. Stephanum Hungarorum Ducem, qui Pannoniam perduxerat ad Christi fidem, regio diademate donatum auxit Regis titulo, jusque præferendæ Crucis non ei solum, sed etiam ejus successoribus permisit. Vita defunctus est anno 1003. V. Idus Majas, cum Pontifex fuisset *annos quatuor, mensem unum, & dies novem.* (2)

Bar. an. 1000. §. 12.

Bar. an. 1003. §. 1. Pag. §. 1.

CXLIII.

se creatum Pontificem, supposititi a est, atque *tot fere mendacia, quot verba complectitur*, ut ostendit Pagius ad an. *999.* §. 3. & ante ipsum Baronius ad an. *1191.* §. 47.

(2) Baronius ad an. 1003. §. *6.* recitat hujus Pontificis epistolam nomine Ecclesiæ Hierosolymorum scriptam ad universalem Catholici Orbis Ecclesiam Romanam petendi caussa subsidii, ex eaque concludit, eumdem Pontificem *primum inveniri, qui sanctæ militiæ classicum occinuerit commodiori tempore promovendæ.* Vide annotat. 5. ad Urbanum II. Mabillonius Præfat. in priorem partem Sæc. VI. Benedictini §. 2. *Undecimo Sæculo tot summos Pontifices tulit Benedictinus Ordo, ut tum Romana Sedes quasi hereditaria successione ad nostros transisse videretur. Testes ejus rei adsunt* Silvester II. Leo IX. Victor II. Stephanus IX. Gregorius VII. Victor III. & Urbanus II. *quorum postremi sex a medio sæculo undecimo ad finem usque parum interrupta serie supremam illam Sedem tenuerunt.* Vide annotat. 2. ad S. Gregorium Magnum.

CXLIII.

JOANNES XVII.

ANNO CHRISTI 1003.

HENRICI II. REG. 2. BASIL. ET CONST. 24.

JOANNES XVII. Romanus, cui *Sicco* cognomen, Comitum Tusculanorum factione electus anno 1003. III. Idus Jun. Pontifex consecratur, & post *menses quinque, dies quinque & viginti*, VII. Idus Decembris moritur. Bar. an. 1003. §. 9. 10. Pag. §. 3.

CXLIV.

JOANNES XVIII.

ANNO CHRISTI 1003.

HENRICI II. REG. 2. BASIL. ET CONST. 28.

JOANNES XVIII. *Fasanus* cognomine, Romanus, anno 1003. VII. Kal. Januar. in Pontificatu positus, statim Legatum misit in Germaniam ad initiandum novum Archiepiscopum Magdeburgensem, cum ille se conferre Romam non posset, ut consecraretur ab ipso Pontifice juxta privilegium Ecclesiæ suæ. Hujus tempore reconciliata concordia inter Ecclesiam Romanam & Constantinopolitanam, nomenque ipsius Joannis ab Sergio Patriarcha relatum in Diptycha. (1) Regnavit *annos* & *menses quinque*, mortuus anno 1009. prope exitum mensis Maji. Bar. an. 1003. §. 9. 11. Pag. §. 3. Bar. an. 1009. §. 1. Pag. §. 1.

CXLV.

(1) Vide annotat. 3. ad S. Innocentium I.

CXLV.

SERGIUS IV.

ANNO CHRISTI 1009.

HENRICI II. REG. 8. BASIL. ET CONST. 34.

SERGIO IV. Martini filio, Romano, qui antea *Petrus* Episcopus Albanensis dicebatur, Bar. an. 1009. §. 1. Pag. §. 1. anno 1009. Pontificatus traditus est. (1) Effusa fuit in pauperes liberalitate, aliisque virtutibus conspicuus. Quare licet *nullo publico cultu donatus sit, ejus tamen memoria in Menologio Benedictino legitur die* 18. *Augusti*, ut ait Mabillonius in Indice Sanctorum prætermissorum sæc. VI. Benedictini Bar. an. 1012. §. 1. Pag. §. 1. part. 1. Vitam posuit anno 1012. cum *annos amplius duos* in Pontificatu fuisset.

CXLVI.

(1) In secundo, tertio, quarto, & quinto ex Catalogis Pontificum Romanorum, a Pagio præpositis tomo I. Criticæ in Baronium, Joanni, qui vocatur *Fasanus*, subrogatur *Sergius, qui vocatur Os porci*. Ditmarus scriptor ejusdem ætatis lib. *6.* inter Scriptores Rerum Brunsvicensium tom. 1. pag. *399. Huic* (Joanni XVIII.) *succedebant Sergius, qui vocabatur* Bucca porci, *atque Benedictus, ambo præclari, & consolidatores nostri*.

Baronius ad an. 1009. §. 3. *Creatur Papa Sergius ex Episcopo Albanensi, tunc Petrus nomine nuncupatus. Cui ob reverentiam Apostolici culminis, nomen mutare placuit, & Sergius voluit nominari. Id quidem ex sepulcrali inscriptione constat*: quam idem Baronius subjicit ad an. 1012. §. 1.

In quo (folio) *mutato permansit nomine Præsul*
Sergius *ex* Petro: *sic vocitatus erat*.

Errat ergo Ditmarus, qui suo judicio & assertione ideo id factum scribit, quod nomine non satis honesto Buccaporci *nominaretur*: ut ait Auctor Vitæ Sergii IV. apud Lab tom. *9.* Conc. pag 802. Falluntur item alii, qui Ditmarum sequuntur.

CXLVI.

BENEDICTUS VIII.

ANNO CHRISTI 1012.

HENRICI II. REG. 11. BASILII ET CONST. 37.

BENEDICTUS VIII. Gregorii Comitis Tusculani filius, *Joannes* Episcopus Portuensis antea dictus, anno 1012. Romanæ Ecclesiæ præfectus est. Bar. an. 1012. §. 2.6. Pag. §. 1. Mox a Gregorio nescio quo, Pontificatum sibi usurpante Roma ejectus, in Germaniam ad Henricum Regem confugit: quo in Italiam adveniente, in Sedem suam restitutus est. Adveniente in Urbem Benedictus obviam processit, cum Bar. an. 1012. §. 5. prius *illud condecens ac perhonestum atque ad pacis tutelam optimum decretum fuisset, Ut ne quisquam audacter Imperii Romani sceptrum praeproperus gestare Princeps appetat, seu Imperator dici, aut esse valeat, nisi quem Papa Sedis Romanæ delegerit aptum Reipublicæ, eique commiserit insigne Imperiale*. 1013. § 4. 1014. §. 1.5. 6. Pag. §. 1.2.3. (1) Inde Henricum Romanæ Ecclesiæ defensorem, sacro inunctum oleo, & aurea ornatum corona Imperatorem declaravit. Post id factum Henricus beneficia ac jura a Pippino, Carolo Magno, Ludovico Pio,

X at-

(1) Glaber Rodulphus hujus temporis scriptor, extremo libro 1. inter Scriptores Historiæ Francorum Duchesnii tom. 4. pag. 10. ubi adjicit: *Anno igitur Dominicæ Incarnationis 710. licet insigne illud Imperiale diversis speciebus prius figuratum fuisset, a venerabili tamen Benedicto Sedis Apostolicæ fieri jussum est admodum intellectuali specie idem insigne. Præcepit fabricari quasi aureum pomum atque circumdari per quadrum pretiosissimis quibusque gemmis, ac desuper auream crucem inseri*. Simili aureo pomo seu globo, aurea inserta Cruce, quem Imperialis majestatis insigne Benedictus VIII. primus instituit, ad hanc diem Cæsares uti consueverunt.

atque Ottonibus patre & filio, Ecclesiæ Romanæ quondam concessa sancivit, liberumque arbitrium eligendi Pontificis Clero, populoque Romano esse voluit, hac modo conditione, ut juxta decretum Eugenii II. & Leonis IV. Pontifex consecraretur coram Legatis Imperatoris. (2) Eodem persuadente Imperatore, Benedictus mandavit, ut Symbolum Nicænum in Missæ sacrificio caneretur. (3) Henrico in Germaniam regresso, paullo post etiam Benedictus contendit eodem ad opem orandam contra Græcos, qui pedetentim jam sibi cuncta usque ad Romanos fines vindicaverant. Bambergæ exceptus ab Imperatore, Ecclesiam S. Stephani dedicavit, ab eoque oblatam D. Petro Urbem

Bar. an. 1019. §. 1. 2. 4. Pag. §. 1. 2.

(2) Extat diploma apud Baronium ad an. 1014. §. 7. & apud Labbeum tom. 9. Conc. pag. 83.

(3) Berno Augiensis Abbas De quibusdam ritibus ad Missæ officium pertinentibus cap. 2. tom. 18. Bibl Patr. pag. 57. *Romani* Symbolum post Euangelium *usque ad hæc tempora divæ memoriæ Henrici Imperatoris nullo modo cecinerunt. Sed ab eodem interrogati, cur ita agerent, me coram assistente, audivi eos hujusmodi responsum reddere, videlicet quod Romana Ecclesia non fuisset aliquando ulla hæreseos fæce infecta, sed secundum S. Petri doctrinam in soliditate Catholicæ fidei maneret inconcussa: & ideo magis his necessarium esse illud symbolum sæpius cantando frequentare, qui aliquando ulla hæresi potuerunt maculari. At Dominus Imperator non antea desiit, quam omnium consensu id Domino Benedicto Apostolico persuasit, ut ad publicam Missam illud decantarent.* Berno negat, Symbolum Romæ in Missa decantatum, at non negat fuisse recitatum. Etenim jam inde ab initio sæculi noni in Missa legebatur. Leo III. in Colloquio cum Legatis Concilii Aquisgranensis apud Baronium ad an. 809. §. 6. & apud Labbeum tom. 7 Conc. pag. 1197. *Quod vero asseritis, vos ita cantare Symbolum, quoniam alios in istis partibus vobis priores audistis cantasse, Quid ad nos? Nos enim id ipsum non cantamus, sed legimus, & legendo docere, nec tamen legendo aut docendo addere quidquam eidem Symbolo inserendo præsumimus.* Multa huc spectantia Edemundus Martene lib. 1. De antiquis Ecclesiæ ritibus cap. 4. art. 5. §. 11.

bem ipſam ſuſcepit in poteſtatem. (4) Idem Romam reverſus accivit Guidonem Aretinum, monachum ex Benedictina Familia, ut excogitatam ab ſe facilem cantus rationem Clerum edoceret, obiitque anno 1024. Pontificatus *undecimo* jam exacto. (5) Bar. an. 1022. § 20. Pag. §. 8. Bar. an. 1024 § 1. Pag. §. 1.

CXLVII.

JOANNES XIX.

ANNO CHRISTI 1024.

CONRADI II. REG. 1. BASIL. ET CONST. 49.

JOANNES XIX. *cognomento* Romanus, *frater Benedicti* VIII. *largitione pecuniæ repente ex laicali ordine neophytus conſtitutus eſt Præſul* Eccleſiæ Catholicæ, anno 1024. poſt diem ſextum Junii. (1) Bar. an. 1024. §. 3. 4. 5. 7. Pag. §. 1. 2. 3. Eo regnante novum jus tentatum a Græcis, ut *cum conſenſu Romani Pontificis liceret Eccleſiam Conſtantinopolitanam in ſuo Orbe, ſicuti Romana in univerſo, univerſalem dici & haberi. Qui ſtatim miſerunt, qui deferrent multa ac diverſa donorum xenia Romam, tam* X 2 *Pon-*

(4) Leo Oſtienſis lib. 2. Chron. Caſin. cap. 46. & cap. 84. inter Scriptores rerum Italicarum tom. 4. pag. 368. & 401.

(5) S. Petrus Damiani epiſt. 9. ad Nicolaum II. & in vita S. Odilonis Abb. Cluniac. cap. 11. apud Bollandum tom. 1 Januar. pag. 75. Benedictus VIII. *piis ejus ſanctorumque fratrum precibus & tartarei cruciatus evaſit interitum, & cum beatis Civibus quieturus ſupernæ Hieruſalem meruit ingreſſum.*

(1) Glaber Rodulphus lib. 4. cap. 1. inter Scriptores Hiſtoriæ Francorum Ducheſnii tom. 4. pag. 41.

Baronius ad an. 1024. §. 4. *Ex his conſpice, quam enormiter errent, qui dicunt, hunc ex Epiſcopo Portuenſi creatum Pontificem.* Hic primus nullis Ordinibus ſacris initiatus Pontificium munus ſuſcepit.

Pontifici, quam ceteris, quos sua parti favere conspicerent. Sed nequaquam impetrarunt, quod volebant. *Non enim potest falli summa Veritas, quæ respondit*: Portæ inferi non prævalebunt adversus eam. (2) Inde pristina revixit inter Græcam & Latinam Ecclesiam discordia. Post hæc Joannes Conradum Regem cognomine *Salicum*, cui in Italiam venienti Comum usque occurrerat, magno apparatu, Imperatorem solemniter constituit ipso die Dominicæ Resurrectionis. Morte absumtus est anno 1033. post *annum* Pontificatus *nonum*.

Bar. an. 1027. §. 1. Pag. §. 2. Bar. an. 1033. §. 3 Pag. §. 4.

CXLVIII.

BENEDICTUS IX.

ANNO CHRISTI 1033.

CONRADI II. IMP. 7. ROMANI ARGYRI 6.

BENEDICTUS IX. Alberici Comitis Tusculani filius, *nepos scilicet duorum Benedicti* VIII. *atque Joannis* XIX. *qui ei præcesserant, puer ferme decennis, intercedente thesaurorum pecunia electus a Romanis*, anno 1033. Pontificatum obtinuit. (1) Hunc Ec-

Bar. an. 1033. §. 5. 7. Pag. §. 4.

(2) Glaber citatus pag 40.

(1) Idem Glaber l. 4. extremo cap. 5. apud Duchesnium tom. 4. pag. 46.

Baronius ad an 1033. §. 6. *Quod mireris, tanta tunc vigebat observantia toto Catholico Orbe erga Romanam Ecclesiam, ut quemcumque audirent throno insidere Petri, colere eum & venerari non detrectarent, cum non ipsum sedentem, sed eum, cujus vice sederet, in primis attenderent*. Et §. 7. *Quod pertinet ad ætatem cum testetur de ipso Petrus Damiani, ab exordio suæ creationis usque ad finem semper luxuriis inquinatum; plane possumus intelligere, haud adeo puerum adhuc impuberem fuisse, cui ex natura puritas inest; sed ejus ætatis, qui stimulis concupiscentiæ urgeretur. Sane quidem Hermannus Contra-*

Ecclesia studio pacis tamquam Pontificem legitimum coluit: expulsumque a Romanis Conradus Imperator in pristinam dignitatem restituit. Eumdem, ut consuleret reipublicæ Polonorum, ducendæ uxoris potestatem fecisse Casimiro Misseconis II. Poloniæ Regis filio, vitæ monasticæ votis apud Cluniacenses jam obstricto, & Ordine sacro Diaconatus initiato, scribit Joannes Duglossus. (2) Cum duæ essent hoc tempore Romæ factiones, al-

Bar. an. 1038. §. 1. Pag. §. 2. Bar. an. 1041. §. 3. Pag. §. 5.

X 3 te-

tractus, qui hoc ipso scribebat tempore, dum hoc anno agit de obitu Joannis, & Benedicti subrogatione, de ejus ætate nihil: quod non tacuisset, si adeo impar tanto oneri subeundo fuisset: sed hæc tantum habet: Defuncto Joanne, Benedictus, qui & Theophylactus, ordinatus, licet indignus tanto ordine moribus & factis, sedit annis plus duodecim. Eodem modo silent Leo Ostiensis l. 2. Chron. Casin. cap. 79. & Victor III. lib. 3. Dialogorum, ubi de eodem Benedicto IX. narrant.

(2) Seu Longinus lib. 3. Historiæ Polonicæ ad an. 1040. pag 211. ubi subjicit hæc: *Placet aliis, non* Benedictum IX. *sed* Clementem II. *Poloniæ Regem* Casimirum *reddi jussisse. Quam diversitatem propter plures sub eo tempore de Papatu contendentes, reor provenisse.*

Martinus Cromerus De Origine & rebus gestis Polonorum lib. 4. pag. 50. *Tandem a Pontifice maximo Benedicto ejus nominis* IX. *vel a Clemente* II. *ut alii volunt, impetrant, ut Casimirus Monachus & Diaconus, professionis & sacramenti religione solutus, ad Regnum majorum suorum redeat, uxorem ducat, liberos procreet. Pro hoc Polonis, quo beneficium Sedis Apostolicæ agnoscant, injunctum primum, ut de singulis capitibus, exceptis nobilibus sive equitibus, & qui sacris addicti sunt, quotannis obolus unus in lucernam perpetuo in Æde D. Petri Romæ arsuram pendatur: qui etiamnum* S. Petri numus *dicitur.... Deinde præscriptum, ut omnes Poloni rotunda in morem monachorum tonsura utantur, nec infra auriculas ritu barbarico quisquam omnino comam promittat: festis solemnibus dum Sacra peraguntur, ut singuli equites fasciam lineam candidam in modum stolæ, qua in sacris utuntur Sacerdotes atque Diaconi, e collo suspensam ferant.*

Historiam de Casimiro votis exsoluto, & alias generis ejusdem tamquam veras propugnat Azorius Part. 1. Institut. Moral. lib. 12. cap. 7. *fabulosas esse vel saltem dubias* as-

Bar. an. 1044. §. 1. 2. 4. Pag. §. 2. tera Comitum Tusculanorum, altera Ptolomei Romani Civis, hujus patrocinio freti *Romani Benedictum multis criminatum sede sua pellunt, & Silvestrum quemdam in locum ejus statuunt: quem tamen postea Benedictus, quibusdam sibi faventibus, excommunicatum depulit, sedique sua redditus, se ipsum postea privavit, & alium pro se ob avaritiam ordinavit*, (3) Joannem Gratianum videlicet, qui *Gregorius* VI. appellatus est. (4) Ita modo usurpato, modo deposito Pontificatu *annos ferme duodecim* Benedictus IX. exegit. Idem post mortem Clementis II. ope factionis suæ
Bar. an. 1047. §. 16. Pag. §. 8. Pontificatum tertio occupatum tenuit *menses octo*, (5) & Leone IX. demortuo comitia Pontificia turbavit; de quo cum nulla *amplius uspiam sit mentio*, ut

asserit Joannes Baptista Gonet Tom. 5. Clypei Theolog. Thomist. dissertat. 9. De impedimentis dirimentibus art. 2. §. 4.

(3) Ita Hermannus Contractus in Chron. ad an. 1044. apud Canisium Antiquarum Lectionum tom. 3. pag. 267. edit. Jacobi Basnage.

(4) Leo Ostiensis lib. 2. Chron. Casin. cap. 79. *Cum Papa Benedictus* (IX.) *per annos* XII. (haud completos) *Romanam Cathedram sedisset, a Romanis expulsus est, & Joannes Savinensis Episcopus, cui positum est nomen* Silvester, *non tamen gratis, in Romanum Pontificem subrogatus. Qui cum* trium ibi mensium *spatio præfuisset, expulsus Benedictus, propinquis suis Tusculanis proceribus annitentibus, Silvestro repulso, Romanam Sedem iterum occupavit. Nec multo post invisum se cunctis aspiciens, cuidam Archipresbytero Joanni nomine, qui quasi religiosior habebatur, Papatum tradidit.* Eadem ante Leonem Ostiensem fusius scripsit Victor III. olim Desiderius Abbas Casinensis, lib. 3. Dialogorum, tom. 18. Bibl. Patrum pag. 853.

(5) Leo Ostiensis lib. 2. Chron. Casin. cap. 81. *Clemente post novem menses ultra montes defuncto, præfatus Benedictus iterum in Pontificatum reversus*, per octo circiter menses *illum retinuit*. Et antiquum MS. apud Papebrochium in Conatu pag. 187. *Benedictus tertio reversus in Pontificatum, tenuit tum* menses octo, dies decem, *id est a festivitate Sanctorum quatuor Coronatorum* (*VIII. Novembris die, anno* 1047.) *usque ad festum S. Alexii* (*XVII. Julii anni* 1048.)

ut ait Baronius ad an. 1054. §. 54. *existimari potest, hominem nefarium hoc eodem tempore finem vivendi fecisse.*

CXLIX.

GREGORIUS VI.

ANNO CHRISTI 1044.

HENRICI III. REG. 6. CONST. MONOMACHI 3.

GREGORIUS VI. *Joannes Gratianus* antea dictus, Archipresbyter S. Joannis ante portam Latinam, Pontificatu, quem a Benedicto IX. anno 1044. acceperat, anno 1046. sponte se abdicavit in Concilio, quod Henricus III. cognomine *Niger* successor Conradi II. rebus Ecclesiæ Romanæ componendis, Sutrii habendum curaverat. (1) *Annos duos, & menses octo* Pontificis munere functus traditur: &, *ne præsente ipso Romæ aliquid innovaretur*, ab Henrico deductus in Germaniam, ibidem e vita migrasse dicitur. (2)

Bar. an. 1044. §. 2. & 6. Pag. §. 1. Bar. an. 1046. §. 1. Pag. §. 1.

Bar. an. 1047. §. 5.

X 4 CL.

(1) *Leo Ostiensis, qui hoc ipso tempore floruit*, lib. 2. Chron. Casin. cap. 79. *addit, ab Imperatore invitatum fuisse Pontificem, ut Synodo præsideret, ut quamvis ipsius Pontificis caussa ageretur, ipse tamen summus judex esset*: Bellarminus lib. 2 De Rom Pont. cap. 29

(2) A Victore III. lib. 3 Dialogorum, & Leone Ostiensi lib 2. Chron. Casin. cap. 79.

Gregorius VI. & Benedictus IX. quamvis Simoniacus uterque, tamen Romanis Pontificibus annumerantur. Silvester non item.

Atque hos tres per idem tempus Ecclesiam Romanam perturbasse, tradunt Victor III. & Leo Ostiensis locis modo citatis, Hermannus Contractus in Chron. ad an. 1044. & Bonizo Episcopus Sutrinus apud Lambecium lib. 2. Bibliothecæ Cæsareæ cap. 8. pag. 798.

Otto

CL.

CLEMENS II.

ANNO CHRISTI 1046.

HENRICI III. IMP. 1. CONST. MONOM. 5.

Bar. an. 1046. §. 1. 2. 5. Pag. §. 1. 2. CLEMENS II. Saxonicus, antea *Suidgerus*, Episcopus Bambergensis (1) communi Cleri, populique Romani, & Episcoporum, qui memorato Sutrino Concilio interfuerant, consilio, in Pontificale fastigium provectus est, *quia in Romana Ecclesia non erat tunc talis reperta persona, quæ digne pos-*

Otto vero Frisingensis, qui postea vixit medio circiter sæculo duodecimo, lib. 6. cap. 32. ait quidem *circa idem tempus pudendam confusionem Ecclesiæ Dei in Urbe Roma fuisse, tribus ibi invasoribus*: at horum numero eximit *religiosum Presbyterum Gratianum nomine*, quem Romani Cives eo rerum statu, *tamquam Ecclesiæ Dei liberatorem, in summum Pontificem elegerunt, & mutato nomine Gregorium sextum vocaverunt*. Frisingensem sequuntur Panvinius in Epitome Pontificum Romanorum pag. 55. Baronius ad an. 1044. Ciaconius, aliique. Vide Excursum Historicum Angeli de Nuce ad Leonem Ostiensem loco memorato, inter Scriptores Rerum Italicarum tom. 4. pag. 396. & Thomassinum De vet. & nova Ecclesiæ disciplina part. 3. lib. 1. cap. 61. §. 1.

(1) Papebrochius in Paralipomenis ad Conatum Chronico-Historicum pag. 85. ex epistola, qua Clemens II. Ecclesiam Bambergensem de tradito sibi Pontificatu facit certiorem, ita colligit: *Videtur factus Pontifex non dimisisse Titulum* Episcopi Bambergensis, *uti neque paullo post secuti* Victor II. *&* Nicolaus II. *dimiserunt Titulos* Aistettensis *ac* Florentini. Quibus adde Leonem IX qui Tullensem Episcopatum, referente Baronio ad an. 1049. §. 6. retinuit, *Paulum* IV. qui Neapolitanum, & *Benedictum* XIII. qui hac ætate nostra Beneventanum. Vide annotat. 1. ad Nicolaum II. ad Alexandrum II. Alexandrum IV. & Paulum IV.

posset ad tanti honorem sufficere Sacerdotii. (2) Natali Christi Domini die inauguratus, *ipsa die Henricum Regem, & conjugem ejus Agnetem Imperiali benedictione sublimavit.* (3) Anno insequente ad extinguendam labem Simoniæ conventum Romæ egit, in quo cum illata esset quæstio, num ab Simoniaco Episcopo initiati deberent Ordinem retinere, decretum est a Clemente, *ut quicumque a Simoniaco consecratus esset, in ipso Ordinationis suæ tempore non ignorans Simoniacum, cui se obtulerit promovendum, quadraginta dierum pœnitentiam ageret, & sic in accepti Ordinis officio ministraret.* (4) Idem Clemens una cum Imperatore iter in Germaniam suscepit. Haud tamen diu mansit in regione ea. Nam anno eodem 1047. regressus, Romæ, vel in partibus Romanis VII. Idus Octobr. interiit, *mense nono, & die decimo quinto*, ex quo Pontifex factus fuerat. Cujus mortui corpus Bambergam perlatum est, ibique tumulatum.

Bar. an. 1047. §. 1. 2. 3. 16. Pag. §. 1. 2. 3.

CLI

(2) Victor III. lib. 3. Dialog. tom. 18. Bibl. Patr. pag. 854.

(3) Hermannus Contractus in Chron. ad an. 1047. apud Canisium Antiquarum Lect. tom. 3. pag. 268. edit. Jac. Basnage.

(4) S. Petrus Damiani in eo libro, qui appellatur *Gratissimus* cap. 35. pag. 58.

In eodem Concilio, ut est apud Hieronymum Rubeum lib. 5 Hist. Ravennat. pag. 283. oborta inter Antistites Mediolanensem, Aquilejensem, ac Ravennatem controversia, quis eorum dexteram tenens Pontifici proximus sederet, Ravennati caussa adjudicata est.

CLI.

DAMASUS II.

ANNO CHRISTI 1048.

HENRICI III. 3. CONST. MONOMACHI 7.

DAMASUS II. *Poppo* antea dictus, Brixenorum Episcopus, *ex Germania oriundus*, *fultus* Bar. an. 1048. §. 1. Pag. §. 1. *auctoritate Regia* (Henrici III. Clementi II.) *succedens*, *Sacerdotium est adeptus* anno 1048. XVI. Kal. Sextil. *Et non amplius quam* viginti & tribus diebus *Sacerdotio administrato*, *diem clausit extremum* (1) VI. Idus Augusti apud Prænefte, *quo se*, ut ait Ciaconius, *animi caussa & ad fugiendos urbanos astus contulerat*. (2) Cadaver Romam delatum in Æde S. Laurentii extra muros sepultum est.

CLII.

(1) Victor III. lib. 3. Dialog. tom. 18. Bibl. Patr. pag. 854.

(2) Veneno necatum a Benedicto IX. qui tertio Pontificatum occupaverat, Benno scribit. *Sed cum historici hujus*, ut ait Baronius ad an. 1048. §. 1. *plura sint mendacia*, *quam verba*, *quod affirmari possit*, *nihil penitus est*. Apud ipsum Gerardum Joannem Vossium lib. 2. De Historicis Latinis cap. 46. Bennonis fides laborat.

CLII.

S. LEO IX.

ANNO CHRISTI 1049.

HENRICI III. 4. CONST. MONOMACHI 8.

LEO IX. *vir per omnia Apostolicus, regali genere ortus, sapientia praditus, religione conspicuus, omnique doctrina Ecclesiastica apprime eruditus*, (1) Comitis Dasburgensis filius, *Bruno* antea vocatus, Tullensium Episcopus, ab Henrico III. in conventu Vormatiensi invitus ac repugnans Pontifex designatus, ea demum lege consensit, si electio confirmaretur ab Clero, populoque Romano. Profectus Romam peregrini habitu, Urbemque ingressus nudis pedibus, electus est consensu magno, ac pridie Idus Februar. anno 1049. inauguratus. Hic *Sanctorum scita canonum passim restituere conatus est, qua jam transactis temporibus nimis deciderant, & pene a notitia hominum defluxerant*. (2) Romæ primum, alterum Ticini Concilium habuit. Alpes transgressus tertium coegit Remis in Gallia, quartum in Germania, præsente Imperatore, Moguntiæ. Decretum in omnibus, ne Episcopi Ordines sacros venderent, quique a Simoniacis emissent, per injunctum a Clemente II. piaculum Ordines retinerent, neve Clerici uxores haberent aut concubinas. Rediens in Italiam Natalem Domini peregit Veronæ. Pro-

Bar. an. 1049. §. 1. 2. 7. Pag. §. 1. 2. 10. 11. 12.

(1) Victor III. lib. 3. Dialog. tom. 18. Bibl. Patr. pag. 854.
Trithemius De Scriptor. Eccl. cap. 331. *Scripsit nonnulla praclara opuscula, in quibus eloquii venustas & sententiarum sublimitas merito commendatur.*

(2) Ordericus Vitalis lib. 1. Hist. Eccl. inter Scriptores Historiæ Normannorum Duchesnii pag. 372.

Progressus Venetias *ob singularem devotionem, quam ad beatum Marcum gerebat, a Duce & a Civibus reverenter suscipitur, & Ecclesiam intravit, & Euangelistæ orationes, & laudes exsolvit, ac Ducatui, & huic Ecclesiæ, & aliis piis locis Indulgentias & immunitates indulsit*. (3) Demum Romam regressus Berenga-

Bar. an. 1050. §. 1. 2. 3 4. Pag. §. 6. 7. 2.

rium Diaconum Andegavensem, pertinaciter negantem, veram corporis & sanguinis Christi substantiam in Eucharistia contineri, advocato Concilio damnavit, absoluto Lanfranco, qui venerat in ejusdem hæresis suspicionem. (4) Cepit inde eum cupido Tullensis Ecclesiæ, cujus adhuc retinebat administrationem summam, visitandæ. Itaque in Galliam iterum perrexit, & celebrato in itinere Vercellis Concilio, Joannis Scoti librum *De corpore Christi*, rursumque Berengarii hæresim exsecratus est.

Bar. an. 1051. §. 1. Pag. §. 2.

Reversus Romam conventum egit, in quo Gregorium Vercellensem Episcopum abdicavit, adulterii, perjuriique compertum.

Bar. an. 1052. §. 1. 2. Pag. §. 1. 2. 4.

Post hæc Capua, Benevento, ac Salerno lustratis, in Germaniam tertio se contulit, tum ad sedandas contentiones exortas inter Imperatorem & Regem Hungarorum, tum ad auxilia contra Normannos ab Cæsare imploranda.

Bar. an. 1053. §. 1. 8. 9. 23. Pag. §. 2. 5. 8. 12.

(5) Quibus impetratis in Italiam

(3) Andreas Dandulus in Chronico, inter Scriptores Rerum Italicarum tom. 12. pag. 244. Sabellicus Rer. Venetarum Decadis I. lib. 4. pag. 65.

(4) Anonymus scriptor *De Berengarii Hæresiarchæ damnatione multiplici*, qui scribebat anno 1088 quo mortuus est Berengarius, apud Labbeum tom. 9. Conc. pag. 1050. *Berengarius Andegavensis hæresim sui nominis condidit, & veritatem Dominici corporis & sanguinis contra Euangelicam veritatem abnegare præsumsit. Videlicet asserens, panem & vinum in Sacrificio Domini non vere, nec essentialiter, sed figurate tantum converti in corpus & sanguinem Dominicum: quod Catholicæ fidei & Euangelicæ veritati apertissime adversatur, uti sancti Patres docuerunt.*

(5) Leo Ostiensis lib. 2. Chron. Casin. cap. 84. *Tunc temporis facta est commutatio inter eumdem Apostolicum, & Im-*

liam redux exercitum duxit adversus eos, qui Apuliam, & alia Pontificiæ ditionis loca divexabant. (6) Prælio magna utrinque cæde commisso, ab Normannis victus leges dedit victoribus: & quos armis superare non potuit, offusa oculis animisque religione fregit. Cum enim Hunfridus hostis & victor majestatem Pontificis vereretur, eumque quasi pœnitentia victoriæ ultro dimitteret, re-

la-

Imperatorem de Benevento & Episcopio Bambergense, sicut jam supra retulimus cap. 46. ubi: *Leo nonus Papa vicariationis gratia Beneventum ab Henrico Corradi filio recipiens prædictum Episcopium Bambergense sub ejus ditione remisit, equo tantum, quem prædiximus, sibi retento.*

Hermannus Contractus ad an. 1053. *Imperator cum domino Papa, multisque Episcopis & Principibus natalem Domini Wormatiæ egit, ubi cum Papa, sicut dudum cœperat, Fulgensem Abbatiam, aliaque nonnulla loca & cœnobia, quæ sancto Petro antiquitus donata feruntur, ab Imperatore reposcens exegisset, demum Imperator pleraque in ultra Romanis partibus ad suum jus pertinentia pro cisalpinis illi per concambium tradidit.*

(6) Leonem IX *militaribus copiis se miscentem* perstringit S. Petrus Damiani epist. 9. libri 4. ad Firmanum Episcopum: defendit Baronius ad an. 1053. §. 10. *Cum enim ipse* (Petrus Damiani) *esset mærens animo, ac lugens Eremi incola, quod frequenter audiret, Episcopos aliquos in Galliis, atque Germaniis galeatos ac loricatos ad bella procedere, facinus exsecratus scripsit epistolam* memoratam, *qua deplorans mundi hujus mala, præcipue vero discordias oboriri solitas inter Imperatores atque Pontifices, sic vult munera eorum esse distincta, ut nec Imperatores attingant, quæ sunt Sacerdotum, nec Sacerdotes, quæ sunt Imperatorum, ut bella tractare, & alia id genus, quæ ipsis omnino reservat.* Et recitatis Epistolæ verbis subdit §. 14. *Huc usque de his Petrus Damiani, cui Catholica dogmata penitus adversantur, quibus hæresis errore notantur omnes, qui ab Ecclesia Romana Cathedra Petri e duobus alterum gladium auferunt, nec nisi spiritualem concedunt.* Baronio consentiens est Bellarminus De Scriptor. Ecclesiasticis ad an. 1060. in Petro Damiani. Vide Joannis de Carthagena *Propugnaculum Catholicum de jure belli Romani Pontificis adversus Ecclesiæ jura violantes* impressum Romæ anno 1609. in 8.

Bar. an. 1054. §. 1. 28. 46. Pag. §. 1. 3. *laxari noluit, nisi etiam suis relaxatis*. (7) Per idem tempus Michael Cerularius Patriarcha Constantinopolitanus, datis litteris ad Joannem Episcopum Tranensem in Apulia, & ad Petrum Antiochenum, multa in Romanam Ecclesiam invectus est, quæ doctissimus Pontifex confutavit omnia. (8) Legatos quoque Constantinopolim ad reconciliandam concordiam misit, Humbertum Card. Episcopum Silvæ Candidæ, Federicum Card. S. R. E. Cancellarium, & Petrum Archiepiscopum Amalphitanum. (9) Interim Beneventi in morbum incidit, & Romam delatus, antequam Legati reverterentur, anno 1054. XIII. Kal. Majas, prænunciato mortis die, multis variisque perfunctus laboribus acquievit, *& in Ecclesia Beati Petri humatus, miraculis clarus habetur*. (10) Regnavit *annos quinque, men-*

(7) Sigebertus in Chron. ad an. 1050. inter Scriptores Rerum Germanicarum Pistorii tom. 1. pag. 835.

Leo IX. epist. 7. ad Constantinum Monomachum Imp. apud Lab. tom. 9. Conc. pag. 982. Expeditionem adversus Normannos suscipiendam *censui, non ut cujusquam Normannorum, seu aliquorum hominum interitum optarem, aut mortem tractarem, sed ut saltem humano terrore resipiscerent, qui divina judicia minime formidant. Interea nobis eorum pertinaciam salutari admonitione frangere tentantibus, & illis ex adverso omnem subjectionem ficte pollicentibus, repentino impetu comitatum nostrum aggrediuntur; sed adhuc de victoria sua potius tristantur, quam lætentur*.

(8) Eruditissima epistola illa, quæ est apud Labbeum tom. 9. Conc. pag. 949. Extant ejusdem Homiliæ seu sermones plurimi editi nec uno in loco, nec semel.

(9) Hi Michaelem Cerularium in incepto manentem obstinate, recusantemque accipere Pontificia jussa, una cum sectatoribus anathematizarunt. Ob id ira incensus, Legatis anathemate damnatis, deletoque e sacris diptychis nomine Pontificis Romani, effecit, ut obrutus Photiani schismatis ignis novum ex improviso incendium daret. Vide annotat. 4. ad Nicolaum I.

(10) Otto Frisingensis lib. 6. cap. 33. pag. 126.

Mabillonius lib. 2. De re diplomat. cap. 25. animadvertit,

menses duos & dies septem, æternum cum Deo regnaturus. Inter cetera sanctitatis ejus argumenta hoc quoque numeratur (11) quod, dum Romæ ageret, tribus per hebdomadam diebus a Laterano in Vaticanum nudis pedibus, tribus tantum Clericis comitatus, silentio noctis procedere psallendo atque orando soleret.

CLIII.

VICTOR II.

ANNO CHRISTI 1055.

HENRICI III. 10. THEODORÆ PORPHYR. 2.

VICTOR II. antea *Gebeardus*, Episcopus Aistettensis, Henrici III. Consiliarius, utque putant aliqui, consanguineus fuit. Hunc per legatum Hildebrandum ab Imperatore petiere Romani, *quoniam in Romana Ecclesia persona ad tantum officium idonea reperiri non poterat*. (1) Henricus virum sibi probatum in primis & carum ægre dimisit, multoque ægrius ipse Gebeardus petitioni Romanorum concessit. Invitus ab Hildebrando Romam deductus, ingenti omnium gaudio susceptus est, & Idibus April. anno 1055. inauguratus. Leonis IX. vestigia secutus præsentem Ecclesiæ statum formare perrexit. Propterea Concilium indixit Floren-

Bar. an. 1055. S. 1. 2. 23. 25. 28. Pag. S. 1.

tit, *Leonem* IX. *annos Incarnationis statim ab ipso Pontificatus sui exordio, non tamen semper usurpasse, eodemque calculo usos postea Victorem* II. *Stephanum* IX. *Nicolaum* II. *Gregorium* VII. *Alexandrum* II. *& Victorem* III ideoque *annos Incarnationis litteris Romanorum Pontificum appositos fuisse longe ante Eugenium* IV. qui anno 1431. Pontifex dictus est.

(11) A Leone Ostiensi lib. 2. Chron. Casin. cap. 87.

(1) Leo Ostiensis lib. 2. Chron. Casin. cap. 89. tom. 4. Script. Rer. Italic. pag. 403.

rentiam, in quo coram Imperatore Ecclesiæ bona vetuit alienari, & anathema in Berengarium redintegravit. Contra eumdem Berengarium aliud Turonis Concilium per legatum suum Hildebrandum habuit, in quo ille non ausus uti defensione, Catholicæ Ecclesiæ fidem professus est. Ferdinandum quoque illum *Magnum* Castellæ, ac Legionis Regem cohibuit, ne contra jus, moremque majorum usurparet nomen *Imperatoris*. In Germaniam ab Cæsare accitus venit, eumque morientem Apostolica benedictione prosecutus est: Romam redux, brevi tempore in Urbe mansit, neque diu superstes fuit. Suscepto enim itinere in Hetruriam, Florentiæ, seu in alio Hetruriæ loco anno 1057. V. Kal. Augusti extremum vitæ spiritum edidit, cum *annum* Pontificatus *alterum*, *mensem tertium & diem decimum quintum* implevisset. (2)

Bar. an. 1056. §. 1. Pag. §. 1. Bar. an. 1057. §. 1. 9. Pag. §. 1.

CLIV.

STEPHANUS IX.

ANNO CHRISTI 1057.

HENRICI IV. REGIS 2. ISAACI COMNENI 1.

STEPHANUM IX. Gozzelonis Ducis Lotharingiæ filium, qui *Federicus* antea dicebatur, Casinensem Abbatem & Cardinalem Presbyterum, Romam ex Hetruria paullo ante reversum, IV. Nonas Augusti anno 1057. Romani *uno omnes consilio*, *ac voluntate concordi*, per vim ex hospitio eductum in Basilicam S. Petri ad vincula trahunt, eliguntque in Pontificem, ac postridie Cardinalibus omnibus cum Clero, populoque ad eum confluen-

Bar. an. 1057. §. 10. 11. 12. 18. Pag. § 2. 3.

(2) *Defunctum Florentiæ, ibique sepultum*, dicit Baronius ad an. 1057. §. 9.

fluentibus, in Vaticano ingenti cunctorum lætitia consecrant. (1) Quatuor menses in Urbe moratus, Ecclesiasticæ disciplinæ regendæ intentus, novis constitutionibus Clericorum conjugia, nuptiasque consanguineorum interdixit. Pridie Kal. Decembris Casinum profectus, Desiderii monachi lectionem in Abbatem ratam habuit, ita tamen, ut se vivo Abbas designatus esset, mortuo tantum succederet, eumdemque Legatum Constantinopolim misit ad Ecclesiam Constantinopolitanam Romanæ consociandam. Ubi Romam rediit, S. Petrum Damiani Episcopum Ostiensem, & Cardinalem creavit invitum recusantemque. Eodem tempore Hildebrandum Subdiaconum legavit ad Agnetem Augustam Henrici IV. Germaniæ Regis matrem, & communi Episcoporum, Cleri, populique Romani consensu statuit, ut si ante reversionem ejus sibi mori contigisset, in ejusdem usque adventum comitia Pontificia protraherentur. Cujus decreti nulla ratio est habita. Cum enim haud multo post, *mense* Pontificatus *septimo ac die septimo supra vicesimum*, IV. Kal. Aprilis anno 1058. Florentiæ obiisset, ubi etiam *digno satis est honore sepultus*, (2) statim *Joannem Mincium* Episcopum Veliternum in ejus locum suffecerunt, qui *Benedicti* X. nomine *menses novem & dies viginti* Pontificatum usurpavit. (3)

Bar. an. 1058. §. 1. 4. 6. 10. Pag. §. 1. 6.

Y CLV.

(1) Leo Ostiensis lib. 2. Chron. Casin. cap 97.

Idem cap 98 & lib. 3. cap. 9. dicit Stephanum IX. perseverasse Abbatem esse Præfectumque Cœnobii Casinensis ad mortem usque.

Petrus Diaconus de viris illustribus Casinensibus cap. 17. tom. 6. Scriptor. Rer. Italic. pag. 30. *Scripsit* Stephanus IX. *librum de Corpore Domini, in quo omnia, quæ Græci adversus Latinorum Sacrificium delatrabant, destruxit. Alium etiam librum de eadem re edidit adversus quemdam Monachum Constantinopolitanum*, scilicet Nicetam Pectoratum.

(2) Leo Ostiensis lib. 2. Chron. Casin. cap. 100.

(3) Quamvis nullum hic inter Pontifices legitimos locum

CLV.

NICOLAUS II.

ANNO CHRISTI 1058.

HENRICI IV. REGIS 4. CONST. DUCÆ 1.

Bar. an. 1058. §. 15. Pag. §. 7. Bar. an. 1059. §. 1. 2. 11. 23. 33. 43. 68. Pag. §. 1. 2. 4. 11.

NICOLAUS II. cui *Gerardo* antea nomen, Burgundus, Episcopus Florentinus, Romanorum consensu universæ Ecclesiæ administrandæ anno 1058. V. Kal. Januar. præpositus est ab Hildebrando, qui in Italiam rediens, audito, comitia contra Stephani IX. decretum habita fuisse, Florentiæ substiterat. (1) Eodem mense Januario anni insequentis Romam deductum Clerus populusque Romanus in Petri sede collocarunt. Tum Benedictus X. in Concilio Sutrino jam gradu dejectus, veniam petiturus accessit. Nicolaus summittentem se ad pedes, atque errati pœnitentem

ad

cum habeat, dicendus tamen Benedictus X Nam Benedictus, qui initio sæculi XIV. factus est Pontifex, Benedictus XI. appellari voluit. Itaque falluntur, qui Leonem VIII. verum Pontificem existimant, quod *Leo*, qui eum postea secutus est, Leonem se IX. non VIII nominaverit.

(1) S Petrus Damiani lib 3 Epist. 4. ad Archiepiscopum Ravennatem de Nicolao II. *De electo hoc mihi videtur, quia bene litteratus est, & vivacis ingenii, sine suspicione castus, in erogandis eleemosynis pius*. Et Opusculo IX. quod est *de eleemosyna*, cap. 7. *Nicolaus Papa, qui ante triennium ex hac in Domino luce migravit, numquam in toto anno prætermittebat diem, quin pedes duodecim pauperibus semper ablueret. Quod si facere per totum non occurreret diem, lucidum pietatis opus explebat in nocte.*

Ughellus De Archiepiscopis Florentinis tom. 3. Italiæ Sacræ pag 72. edit. Venet. *Gerardus tametsi ad summum Pontificatum ascendisset, dum tamen vixit, Ecclesiam Florentinam gubernare perrexit.*

ad laicam communionem admisit. (2) Nihil exinde egit intentiore cura, quam ut *Simoniacos*, qui interdicta sacrorum commercia, & *Nicolaitas*, qui prohibita Clericorum connubia defendebant, reduceret ad officium, erroremque eriperet Berengario, qui mutaverat propositum, & juxta Sanctam Scripturam *canis reversus ad vomitum suum*, 2. Petri II. 22. Euchariftiæ Sacramentum rursus oppugnabat. Itaque habito Romæ conventu Episcoporum, multa constituit *Simoniacis & Nicolaitis* exterminandis, (3) tenuitque, ut Berengarius *libros propria hæreseos in conspectu totius Synodi manu propria concremaret: & errore abnegato, Catholicam professionem, quam in Turonensi Concilio fecerat, sub jurejurando iterum renovaret*. (4) In eodem Romano conventu Cardinalibus Episcopis in primis permisit Pontificis electionem, (5) & in ea jus idem Henrico IV.

Y 2 affir-

(2) *Communio laica est illa, quæ Presbyteris aut Clericis ex delicto aliquo imponebatur per pænitentiam vel in pœnam, ut videlicet non ut Presbyteri & Clerici, sed inter Laicos communicarent, hoc est in Laicorum ordine deinceps censerentur, ita ut neque Missam facere, neque cum Clericis in Choro communicare possent*. Ducangius in Glossario tom. 2. pag. 872.

(3) Hæc in primis, ut Quicumque Sacerdos, Diaconus, Subdiaconus, post constitutionem Leonis IX. *de castitate Clericorum*, concubinam palam duceret, vel ductam non relinqueret, ei a sacris faciendis, & Officio Ecclesiastico interdictum esset: Ne quis a laico Ecclesiam aut pretio, aut gratis acciperet, neque per simoniacam hæresim promoveretur ad quodlibet Ecclesiasticum Officium: Qui a Simoniacis gratuito consecrati essent, in adeptæ dignitatis honore permanerent, nondum vero promoti ab eis in posterum ne promoverentur. Ita fere apud Labbeum tom. 9. Conc. pag 1099.

(4) Anonymus Chiffletianus apud Lab. tom. 9. Conc. pag. 1050. qui e vestigio affert verba ipsa jurisjurandi, relata etiam a Gratiano dist. 2. *De consecrat.* cap. *Ego Berengarius* 42. ac postea subjicit, *juratoriam professionem Berengarii Nicolaum statim per diversa transmisisse regna*.

(5) *In primis Cardinales Episcopi diligentissime simul de electio-*

affirmavit, quod concessum fuerat Patri ejus. (6) Conventu dimisso, proficiscens in Apuliam Norman-

ctione tractantes, mox ipsi Clericos Cardinales adhibeant, sicque reliquus Clerus & populus ad consensum novæ electionis accedat, nimirum præcaventes, ne venalitatis morbus aliqua occasione subrepat. In Decreto de electione Romani Pontificis apud Baronium ad an. 1059. §. 25. & apud Lab. tom. 9. Conc. pag. 1013. & apud Gratianum dist. 23. cap. *In nomine Domini* 1.

S. Petrus Damiani, Alexandro II. Pontifice, lib. 1. epist. 20. *Cum electio illa per Episcoporum Cardinalium fieri debeat principale judicium, secundo loco jure præbeat Clerus assensum, tertio popularis favor attollat applausum: sicque suspendenda est caussa, usque dum Regiæ Celsitudinis consulatur auctoritas, nisi, sicut nuper contigit, periculum fortassis immineat, quod rem quantocius accelerare compellat.* Franciscus Pagius in Præfat. tom. 1. § 14. conjicit, Ecclesiæ Romanæ administrationem translatam fuisse ad sacrum Cardinalium Collegium non quidem anno 1241. ut ad annum eumdem §. 21. *insinuat* Spondanus, sed anno 1059. quo Nicolaus II. tribuit jus eligendi Romani Pontificis solis Cardinalibus. *Certe sæculo duodecimo non multum provecto, jus illud competiisse Cardinalibus, habemus ex Arnulpho Sagiensi Archidiacono, postea Lexoviensi Episcopo, qui in Tractatu* De Schismate orto post Honorii Papæ decessum, *quem edidit* Dacherius tom. 2. Spicilegii cap. 4. *verba faciens de Innocentio* II. *qui Pontificatum recusabat, Cardinales sic ei loquentes inducit*: Si acquiescis, exhibemus obsequium; si recusas, exigimus de inobedientia pœnam. Eadem enim quæ Papæ superstitis est, ipso decedente, penes nos præcipiendi & ulciscendi consistit auctoritas, donec alius inducatur. His dictis, *subdit Arnulphus*, parabant excommunicationis proferre sententiam. *Ab eodem anno* 1059. *absente Pontifice regimen fuisse penes aliquot Cardinales a Pontifice designatos, multum verisimile videtur: nam anno* 1118. *cum* Gelasius II. *in Galliam secedere decrevisset, Petrum Portuensem Episcopum pro se Vicarium constituit, & Cardinales aliquot ei in auxilium sociavit, ut testatur* Pandulphus *in ejus Vita*. Vide annotat. 1. ad Benedictum II.

(6) Baronius ad an. 1059. §. 24. *Ut ipsius privilegii concessionem factam in hoc Concilio a Nicolao summo Pontifice Henrico Regi exactissime disquiramus, hac accipe: Non ita quidem apparet concessisse illi Pontificem atque Concilium jus eligen-*

mannos absolvit anathemate, *& Richardo Principatum Capuanum, & Rothberto Ducatum Apuliæ, & Calabriæ, atque Siciliæ confirmavit*, adactis sacramento, fideles se, ac vectigales fore. (7) Postea Romam rediit, atque inde Florentiam, ubi anno 1061. XI. Kal. Augusti finem vivendi fecit, cum per *biennium, semestre, & dies quinque supra viginti* Pontificem egisset. (8) Bar. an. 1061. §. 1.

gendi Romanum Pontificem, ut eo privari voluerit Romanum Clerum: imo ad S. R. E. Cardinales Episcopos voluit id potissimum pertinere, inde ad ceteros, quos sive jura, sive consuetudo hactenus admisissent, ne cuiquam præjudicium inferretur. Nec quidem quis dixerit, plura modo esse Henrico Regi concessa, quam ejus Patri Henrico Imperatori data fuerant a prædecessoribus Romanis Pontificibus, nimirum quod hactenus factum vidimus, ut illum eligeret Imperator, in quem primo, si per pacem licuisset, suffragia Romanorum concurrerent: sicque primum Clerus eligeret, & Cleri electioni Imperator ipse faveret: sin minus id Clero facere licuisset, ipsemet Clerus refunderet tunc liberam in Imperatorem electionem, ut quem vellet eligeret, nomine tamen Romani Cleri. In hoc autem Concilio de Romanorum Pontificum electione constitutio edita est pernecessaria temporibus istis, quibus vis tyrannica vigeret.

S. Anselmus Lucensis lib. 2. contra Guibertum Antipapam tom. 18. Bibl. Patr. pag. 609. ostendit, *præfatum decretum nullius momenti esse, nec umquam aliquid jurium habuisse. Homo quippe fuit* Nicolaus, *eique ut contra fas ageret, surripi potuit.* Et S. Petrus Damiani in Disceptatione Synodali inter Regis Advocatum & Romanæ Ecclesiæ defensorem, apud Baronium ad an. 1062. §. 31. & 50. probat, Regem ipsum & Optimates concessum sibi privilegium irritum fecisse.

(7) Leo Ostiensis lib. 3. Chron. Casin. cap. 16.

(8) Panvinius in Epitome Pontificum Romanorum lib. 2. pag. 66. scribit, *mortuum Romæ in Patriarchio Lateranensi, & in Basilica Principis Apostolorum sepultum.*

CLVI.

ALEXANDER II.

ANNO CHRISTI 1061.

HENRICI IV. REGIS 6. CONSTANT. DUCÆ 3.

ALEXANDER II. patria Mediolanensis nomine antea *Anselmus*, dignitate Episcopus Lucensis (1) anno 1061. Kal. Octobr. *cum altiorem* Bar. an. 1061. §. 1.7. Pag. §. 1.3. *gradum nullatenus appeteret, violento plurimorum consensu, quorum apud Romanos tunc praecellebat auctoritas, ingenti Concilio assentiente, in eo locatus est primatu, quo Praesulum Orbis terrae caput existeret atque Magister. Allectionem hanc sanctitate meruerat atque doctrina.* (2) *Quod cum ad aures Imperatricis* (Agnetis) *ejusque filii* (Henrici IV.) *pervenisset, indignatione nimia ducti, quod hae sine illorum consensu & auctoritate gesta fuissent, Cadaloum Parmensem Episcopum ultra montes a Placentino duntaxat & Vercellino Episcopis ipsa die festivitatis Apostolorum Simonis & Judae in Papam eligi fecerunt.* (3) Interim Bar. an. 1063. §. 31. 32. Pag. §. 5. Alexander habito Romae amplius centum Episcoporum conventu, Leonis IX. & Nicolai II. decreta adversus Clericos Simoniacos & incontinentes ra-

(1) *Tradunt registra Lucana, quod in tantum dilexit dictam Civitatem, quod non permisit ibidem Episcopum fieri toto tempore vitae suae, sed illum sibi reservavit:* Ptolomaeus Lucensis lib. 19. Hist. Eccl. cap. 2. & in Annalibus ad an. 1063. inter Scriptores rerum Italicarum tom. 11. pag. 1072. & 1251. Vide annotat. 1. ad Clementem II.

(2) Gulielmus Pictaviensis De gestis Gulielmi 1. Ducis Normannorum, inter Scriptores Historiae Normannorum Duchesnii pag 197.

(3) Leo Ostiensis lib. 3. Chron. Casin. cap. 21. tom. 4. Script. Rer. Italic. pag. 431.

rata esse jussit, litterisque amice monuit Berengarium, quem tertio pœnituerat propositi, ut errorem deponeret haud simulate. Simoniæ ipse ab Cadaloo accusatus, Concilio Mantuam indicto se coram Episcopis concepto sacramento purgavit, tamque aperte diluit objectum crimen, ut adversarios ipsos pertraheret ad caussam suam, atque obtineret, ut Cadaloo repudiato, & sacris amoto, Pontifex summo omnium consensu haberetur. Romam reversus duobus Conciliis hæresim Incestuosorum a quibusdam Jureconsultis propugnatam damnavit, & obfirmatos in errore perculit anathemate. (4) Idem mandavit Sacerdotibus, ut rem divinam facerent semel tantum in die; (5) *renovavit communem Regularium Canonicorum vitam in Ecclesia Lateranensi*; (6) *dignificavit Episcopatum Lucensem, Cruce coram Episcopo ferenda sicut coram Primate*; (7) jusque Mitræ permisit Uratislao Duci Boe-

Bar. an. 1064. §. 1. 34. Pag. §. 1.

Bar. an. 1068. §. 4. Pag. §. 4.

Bar. an. 1073. §. 12. Pag. §. 3.

(4) Exstat decretum apud Gratianum Caussa 35. quæst. 5. cap. *Ad fidem Apostolicam* 2, & apud Baronium ad an. 1065. §. 18.

(5) In Concilio Romæ celebrato anno 1063. ex quo decretum recitat Gratianus dist. 1. *De Consecrat.* cap. *sufficit* 53. *Sufficit Sacerdoti unam missam in die una celebrare, quia Christus semel passus est, & totum mundum redemit. Non modica res est unam missam facere, & valde felix est, qui unam Missam digne celebrare potest. Quidam tamen pro defunctis unam faciunt, & alteram de die, si necesse fueris.* Qui mos jam abrogatus est. Innocentius enim III. cap. *Consuluisti* 3. De Celebrat. Missar. *Respondemus, quod excepto die Nativitatis Dominicæ, nisi caussa necessitatis suadeat, sufficit Sacerdoti semel in die unam Missam solummodo celebrare.* Plura in hanc rem Bona lib. 1. Rer. Liturgic. cap 18. Martene lib. 1. De antiquis Ecclesiæ ritibus cap. 3. art. 3. §. 4. & 18. Thomassinus De vet. & nova Ecclesiæ disciplina part. 3. l. 1. cap. 57.

(6) Joannes Diaconus in libro de Ecclesia Lateranensi cap. 8. apud Mabillonium tom. 2. Musei Italici pag. 569.

(7) Ptolomæus Lucensis in Annalibus tom. 11. Scriptor. Rer. Italic. pag. 1253.

Boemorum, (8) *Abbati S. Augustini Cantuariæ*, & *Abbati Cavensi*. (9) Exiit e vita anno 1073. XI. Kal. Majas, post *annos undecim, menses sex, dies unum & viginti*, quam Ecclesiæ præesse cœperat.

CLVII.

S. GREGORIUS VII.

ANNO CHRISTI 1073.

HENRICI IV. REGIS 18. MICHAELIS DUCÆ 3.

Bar. an. 1073. §. 20. 23 27. Pag. §. 4. 6. 7. GREGORIUM VII. Hetruscum, seu, ut aliis placet, Romanum, (1) *Hildebrandum* antea dictum, S. R. E. Archidiaconum, commemorabili pietate atque doctrina præditum, rebusque pro Ecclesia gestis spectatissimum, anno 1073.

X.

(8) Idem jus confirmavit Gregorius VII. lib. 1. epist. 38. asserens *laicæ personæ tribui non consuevisse*. Exemplum secuti sunt Lucius II. & Innocentius III. Alter enim, ut est apud Ottonem Frisingensem De gestis Friderici lib. 1. cap. 28. tom. 6. Scriptor Rer. Italic pag. 663. *concessit Siculo* (Regi Rogerio) *virgam & anulum, dalmaticam & mitram, atque sandalia:* alter vero mitram Regi Aragoniæ, referente Rainaldo ad an. 1204. §. 71.

(9) Bona lib 1. Rer. Liturgic. cap. 24. §. 14. Martene de antiquis ritibus l. 1. c 4 art. 1. §. 16. Urbanus II. eumdem mitræ usum indulsit *Abbati Casinensi & Cluniacensi, alii aliis Pontifices indulserunt, frustra reclamantibus S. Bernardo Abbate in epist. 42. & Petro Blesensi epist. 90. qui hac de caussa Abbates ambitionis notant*. Vide annotat. 1. ad Anastasium IV. & annotat. 5. ad Hadrianum IV.

(1) A Paulo Benriedensi qui fuit Gregorio VII. æqualis, in Vita ejus cap. 1. tom. 3. Scriptor. Rer. Italic. pag. 317. dicitur *natione Tuscus*: ab Hugone autem Flaviniacensi Scriptore ejusdem ætatis in Chronico Virdunensi apud Labbeum tom 1. Novæ Bibliothecæ Manuscriptorum Librorum pag. 206. traditur *natus in Urbe Roma parentibus Civibus Romanis, & quod maximum est, religiosis*.

X. Kal. Majas invitum, mœrentemque consensione una Clerus populusque in Alexandri II. locum cooptarunt. (2) Hic statim misit ad Henricum Regem Legatos de electione sua, quam ille approbavit, legavitque Romam Gregorium Episcopum Vercellensem, qui adesset consecrationi ejus. (3) Post susceptum sacrum Presbyteratus Ordinem III. Kal. Jul. Pontifex inauguratus est. (4) Nullam aliam priorem curam egit, quam ut Simoniacam la-

(2) Id patet ex decreto electionis ejus apud Baronium ad an. 1073. §. 24. & apud Labbeum tom. 10. Conc. pag. 6. Itaque mentitur Benno PseudoCardinalis creatus a Pseudopontifice *Clemente* III. scribens, Gregorium VII. per vim occupasse Sedem Apostolicam, nullo Cardinale suffragante, nullo Cleri populique consensu. Eumdem Bennonem, ejusque sectatores recentes Heterodoxos mentiri affirmantes, Gregorium dubitasse de præsentia Corporis Christi in Eucharistia, satis superque ostendit Gregorius ipse epist. 47. lib. 1. qua Mathildem Comitissam hortatur ad Eucharistiæ sacramentum frequenter sumendum. *Inter cetera, quæ tibi contra principem mundi arma, Deo favente, contuli, quod potissimum est, ut Corpus Dominicum frequenter acciperes, judicavi, & ut certæ fiduciæ Matris Domini te omnino committeres, præcepi*. Postea D. Ambrosii, Gregorii, Joannis Chrysostomi in id testimonia recitat: tandem laudata B. Virginis erga *conversos peccatores & peccatrices* clementia, ita concludit: *Pone itaque finem in voluntate peccandi, & prostrata coram illa ex corde contrito & humiliato lacrymas effunde. Invenies illam, indubitanter promitto, promtiorem carnali matre, ac mitiorem in tui dilectione*.

Ex memorato decreto electionis Gregorii VII. ita colligit Angelus de Nuce annotat. in Chron. Casin. lib. 4. cap. 2. tom. 4. Script. Rer. Italic. pag. 491. *Gregorius VII. a solo Clero Romano, præsentibus tamen Episcopis Cardinalibus, aliisque Episcopis & Abbatibus, eligitur*. Et verbis decreti interjectis: *Clerus ergo Romanus, ad quem spectabat electio, Presbyteros & Diaconos tantum Cardinales cum inferioribus Ordinibus complectebatur, non Episcopos*.

(3) Pagius ad an. 1074. §. 6 animadvertit, *Gregorium* VII. *ultimum fuisse, cujus electio ante consecrationem Imperatori significata fuerit*.

(4) Vide annotat. 1. ad Sabinianum.

Bar. an. 1074. §. 37. 40. Pag. §. 4. 5. 6. Bar. an. 1075. §. 4. Pag. §. 1. 2.

labem, & Nicolaitarum hæresim extingueret. Hinc magnum in odium pervenit Henrici usurpantis sibi Simoniacas *investituras*, & Clericorum, qui Simoniæ erant obnoxii, quique contendebant licere sibi uxorem ducere. Utrisque restitit constantia pari. Namque frequentibus Synodis, veterum Pontificum, & canonum (5) auctoritatem secutus, e-

di-

(5) De quibus commemorat auctor Apologetici *super decreta, quæ Gregorius VII. in Romana Synodo promulgavit contra Simoniacos & incontinentes Altaris ministros* cap. 11. & seqq. apud Labbeum tom. 10. Conc pag. 324. & Natalis Alexander dissertat. 19. in Hist. Eccl. sæc. IV. Hinc refelluntur, qui dicunt, onus cœlibatus ab hoc primum Pontifice Clericis impositum. Lambertus Schafnaburgensis *hujus temporis rerum gestarum inspector & scriptor*, ut ait Baronius ad an. 1074. §. 35. in Chron. inter Scriptores Rer. Germanic. Pistorii tom. 1. pag. 418. *Cum magna pars Italiæ ejus* (Mathildis Comitissæ) *pareret imperio, & omnibus, quæ prima mortales ducunt, supra ceteros terræ illius Principes abundaret, ubicumque opera ejus Papa indiguisset, ocins aderat, & tamquam Patri vel Domino sedulum exhibebat officium. Unde nec evadere potuit incesti amoris suspicionem, passim jactantibus Regis fautoribus, & præcipue Clericis, quibus illicita, & contra scita canonum contracta conjugia prohibebat, quod die ac nocte impudenter Papa in ejus volutaretur amplexibus, & illa furtivis Papæ amoribus præoccupata, post amissum conjugem, ultra secundas contrahere nuptias detrectaret. Sed apud omnes sanum aliquid sapientes luce clarius constabat, falsa esse, quæ dicebantur. Nam & Papa tam eximie, tamque Apostolice vitam instituebat, ut nec minimam sinistri rumoris maculam conversationis ejus sublimitas admitteret, & illa in Urbe celeberrima, atque in tanta obsequentium frequentia obscenum aliquid perpetrans latere nequaquam potuisset. Signa etiam & prodigia, quæ per orationes Papæ frequensius fiebant, & zelus ejus ferventissimus pro Deo, & pro Ecclesiasticis legibus, satis eum contra venenatas detractorum linguas communiebant.* Ceterum Gregorius, dum viveret, obtrectatores laudum suarum habuit impudentissimos, ut non sine magno animi dolore legere liceat Apologias, quibus impositas sanctissimo Pontifici injurias confutarunt S. Anselmus Episcopus Lucensis, Paulus Benriedensis, Gerohus Reicherspergensis. Veteres in Gregorium calumnias renovarunt postremæ ætatis Hetero-

ro-

dixit, ne Clerici uxorem sibi adjungerent, ne Ordinis Sacramentum conferretur nisi professis cœlibatum perpetuum, neve quis interesset sacris Sacerdotum, qui uxorem haberent. (6) De Simoniacis ita decrevit, *ut Clerici aliquem Sacrorum Ordinum gradum & officium per pretium adepti nullatenus deinceps in Ecclesia ministrarent*, quique ab laicis Ecclesiæ *investituram* acciperent, & laici ipsi, qui darent, anathemate plecterentur. Ob id ira crevit Henrico arroganti sibi jus istiusmodi. Ut eum leniret, & ab errore deduceret, nihil inexpertum Gregorius reliquit. Summa erga ipsum humanitate per annos amplius quinque usus est. Per epistolas, per Legatos, per matrem ejus Agnetem admonuit, castigavit: ac tamquam medicus, qui salutis caussa remedia adhibet tristiora, percussit anathemate. Amantissimi parentis officio functus experiri ultima statuit. Concilio itaque Romæ habito, rursus ab communione Ecclesiæ sejunctum privavit Regis titu-

Apud Labb. tom. 10. Conc. pag. 319.

Bar. an. 1076. §. 6. Pag. §. 4.

rodoxi confutati a Bellarmino lib. 4. De Rom. Pont. cap. 13. a Gretsero in Apologia pro Gregorio VII. ubi quinquaginta recenset ejus laudatores, aliisque recentibus ejusdem Pontificis defensoribus, & nuperrime a Vincentio Ludovico Gotti, nunc S.R.E. Cardinali, in Colloquiis Theologico-Polemicis, & Gregorii VII. Vindiciis. Vide Lambertinum De Serv. Dei Beatif. & Beat. Canoniz. lib. 1. cap. 41. §. 10.

(6) Baronius ad an. 1074. §. 40. *Sigebertus invehitur refractarius ipse in Gregorii renovatum decretum prædecessorum, quo juberetur, ne conjugatorum Sacerdotum quis Missas audire præsumeret, quasi negaret ipse Gregorius, vel alii, qui hoc statuissent, per improbos Sacerdotes non confici sacramenta. Numquam istud dixit aliquis Romanorum Pontificum, sed tantum quod ea ratione statuissent, ut si fornicarius Sacerdos sic se contemni videret, abstineret ab infami consortio feminarum.* En verba ipsa Gregorii in epist. ad Ottonem Episcopum Constantiensem apud Labbeum tom. 10. Conc. pag. 316. *Statuimus etiam, ut si ipsi contemtores fuerint nostrarum, imo sanctorum Patrum constitutionum, populus nullo modo eorum officia recipiat, ut qui pro amore Dei & officii dignitate non corriguntur, verecundia sæculi & objurgatione populi resipiscant.*

Bar. an. 1080. §. 7. 12. 16. 19. Pag. §. 1.3. tulo, & jurato Principum ac populorum obsequio: (7) Regnum Henrico abrogatum affirmavit Rodulpho Sveviæ Duci a Principibus Rege Germaniæ jam creato, missa ad eum regia corona, in qua erat sententia hæc:

Petra dedit Petro, Petrus diadema Rodulpho.

Quod simul audivit Henricus, huc excessit ira ejus, ut habito Brixinæ conventu Episcoporum factionis suæ, Gregorium dejiceret Pontificatu, & Guibertum Præsulem Ravennatem, diris ab eodem Gregorio triennio ante devotum, substitueret, deductumque Romam in Petri sede *Clementis* III. nomine per vim collocaret. (8) Ausum rem hanc novis

(7) Antiqui, recentesque, qui sequuntur Ottonem Frisingensem, existimant Gregorium VII. omnium primum usurpasse sibi jus regiæ potestatis abrogandæ. Verba Ottonis sunt hæc ex cap. 35. lib. 6. *Lego & relego Romanorum Regum & Imperatorum gesta, & nusquam invenio quemquam eorum ante hunc* (Henricum IV.) *a Romano Pontifice excommunicatum, aut Regno privatum.* Bellarminus in Tractatu de potestate summi Pontificis in rebus temporalibus adversus Gulielmum Barclajum cap. 9. respondet: *Fuit quidem Otto Frisingensis doctrina, moribus, & nobilitate insignis: sed tamen legendo & relegendo non invenit omnia. Nam Arcadium Imperatorem ab Innocentio* I. *Pontifice propter ejectionem S. Joannis Chrysostomi excommunicatum fuisse, testatur Nicephorus* lib. 13. cap. 34. *qui & sententiam ipsam excommunicationis ad verbum recitat: ejusdem excommunicationis meminit Gregorius* VII. *in epist. ad Episcopum Metensem. Leonem quoque Isauricum Imperatorem a Gregorio* II. *& rursum a Gregorio* III. *excommunicatum propter hæresim Iconomachorum, & vectigalibus Italiæ privatum, testantur Historici Græci & Latini, ut supra demonstravimus.* Bellarmini auctoritatem septima ex nostris dissertationibus secuti sumus, & adversariorum argumenta confutavimus.

(8) Falsus iste Pontifex, ut Henrico redderet vicem, eum solemniter Imperatorem coronavit. Schisma ab Henrico IV. & Henrico V. ejus filio ad annos amplius quadraginta propagatum est. Ex schismate manavit hæresis, quam qui sequerentur, *Henriciani* dicti sunt, & in Concilio Quintilineburgensi damnati. Asserebant, summam esse Impera- to-

vis exsecrationibus Gregorius prosecutus est, nec morti proximus, quod tradidere quidam, sententiam in eum sæpius latam abolevit. (9) *Regem insuper Boleslaum* (ob necem illatam Stanislao Episcopo Cracoviensi) *& Regnum Poloniæ omni honore, dignitate, & excellentia Regali privavit*. (10) Eodem tempore etiam in hoc versata cura ejus, ut Berengarium traduceret ad bonam mentem. Duabus enim Synodis anno 1078. & 1079. Romæ celebratis obtinuit, ut ille semel atque iterum hæresim ejuraret, edita secunda ac tertia Catholicæ Fidei formula. (11) Gregorio adversus Henricum Re-

Bar. an. 1081. §. 1. Pag. §. 1. 2.

toris auctoritatem in electionibus Episcoporum, ac Pontificum Romanorum; ideoque illum solummodo esse Pontificem legitimum, quem Imperator, seu Rex Germaniæ nominasset, nullamque rationem habendam esse anathematis dicti a Pontifice in Regem.

(9) Paulus Benriedensis in Vita Gregorii VII. cap. 110. tom. 3. Scriptor. Rer. Italic. pag. 348. ubi agit de ejusdem Pontificis obitu: *Interea B. Gregorius super his, quos excommunicaverat, requisitus, si quam dispensationem facere vellet, respondit:* Præter Henricum Regem dictum, & Guibertum Apostolicæ Sedis invasorem, & omnes illas principales personas, quæ aut consilio aut auxilio favent nequitiæ vel impietati illorum, omnes absolvo & benedico, quicumque me hanc habere specialem potestatem in vice Apostolorum Petri & Pauli credunt indubitanter.... *Ubi vero in extremo positus erat, ultima verba ejus hæc fuerunt*. Dilexi justitiam, & odivi iniquitatem, propterea morior in exilio.

Consentiens est Hugo Flaviniacensis in Chronico Virdunensi apud Labbeum tom. 1. Novæ Bibliothecæ Manuscriptorum Librorum pag. 232.

(10) Duglossus seu Longinus Episcopus Leopoliensis lib. 3. Historiæ Polonicæ ad an. 1079. pag. 295.

(11) Primam ediderat anno 1059. coram Nicolao II. Sed sicut post primam, ita post tertiam rediit ad errorem pristinum. Postea tamen eum pœnituit ex animo per annos octo. Obiit enim die 6. Februarii anno 1088. octavo post Concilium Burdegalense, quod postremum in ejus caussa celebratum est. Vide Mabillonii *Observationes de multiplici Berengarii damnatione, Fidei professione, & relapsu, deque ejus pœnitentia*. Tom. 2. Analect. pag. 477.

Regem quamvis propinquum suum præsto fuit *Mathildis Comitissa Romanæ Ecclesiæ filia virilis animi constantiam tenens; tantoque ei fortius restitit, quanto magis hujus astutiam, & Papæ innocentiam noverat.* (12) Eidem, *& Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Liguriam & Tusciam provincias devotissime obtulit.* (13) Anno 1085. VIII. Kal. Jun. mortuus est tumulatusque Saler-

(12) Hugo Flaviniacensis in Chronico Virdunensi apud Labbeum in Nova Bibliotheca Manuscriptorum Librorum tom. 1. pag. 228. Vide paullo ante positam annotat. 5.

(13) Leo Ostiensis lib. 3. Chron. Casin. cap 49. a quo ibidem Mathildes dicitur *Comitissa Liguriæ & Tusciæ*, a Ptolomæo autem Lucensi in Annalibus ad an. 1115. *Domina totius Tusciæ, & Lombardiæ.*

Donizo Presbyter in Vita Mathildis lib. 2. cap. 1. tom. 5. Scriptor. Rer. Italic. pag. 366. 367.

Postposuit Regem: per tres tenuit pia menses
Gregorium Papam, cui servit ut altera Martha:
Auribus intentis capiebat sedula mentis
Cuncta Patris dicta, ceu Christi verba Maria:
Propria clavigero sua subdidit omnia Petro,
Janitor est Cæli suus heres, ipsaque Petri:
Accipiens scriptum de cunctis Papa benignus.

Muratorius in hunc locum: *Invaluit eo sæculo, ac potissimum Gregorii VII. Papæ temporibus, mos offerendi non Castra solum, sed & integra Regna Apostolicæ Sedi, eaque rursus ab illa accipiendi in feudum. Id præstitit Demetrius* Russorum Rex *duobus ante pacem Canusinam annis, nempe anno* 1075. *tum alter Demetrius* Croatiæ & Dalmatiæ Dux, *sive Rex. Bertramus quoque* Provinciæ Comes *omnia sua eidem obtulit anno* 1081. *ut alia exempla prætermeam. Imo idem Gregorius* VII. *insinuasse videtur epist.* 3. *lib.* 9. *ut id ab* aliis Potentibus viris fieret amore Beati Petri, pro suorum peccatorum absolutione.

Idem Gregorius VII. lib. 8. epist. 23. apud Lab. tom. 10. Conc. pag 274. *Dicendum est omnibus Gallis, & per veram obedientiam præcipiendum, ut unaquæque domus saltem unum denarium annuatim solvat B. Petro, si eum recognoscunt Patrem & Pastorem suum more antiquo. Nam Carolus Imperator (sicut legitur in tomo ejus, qui in Archivo Ecclesiæ B. Petri habetur) in tribus locis annuatim colligebat mille & ducentas libras ad servitium Apostolicæ Sedis, id est Aquisgrani,*

lerni, quo confugerat, ut Henrici insidias evitaret. *Annos duodecim, mensem unum, & dies tres* vigilantissimus Pontifex fuit, & in Martyrologio Romano præcipuam habet laudem *propugnatoris ac defensoris acerrimi Ecclesiasticæ libertatis*. (14) Bar. an. 1085. §. 11. Pag. §. 6. 7.

CLVIII.

VICTOR III.

ANNO CHRISTI 1086.

HENRICI IV. IMP. 3. ALEXII COMNENI 6.

VICTOR III. Beneventanus a Gregorio VII. Pontifex designatus est. Is enim tribus ante diebus, quam iret ad superos, rogatus ab Episcopis & Cardinalibus, ut significaret, quem Pon- Bar. an. 1086. §. 1. 4. 5. Pag. §. 1.

ni, apud Podium S. Mariæ, & apud S. Ægidium; excepto hoc quod unusquisque propria devotione offerebat. Idem vero magnus Imperator Saxoniam obtulit B. Petro, cujus eam devicit adjutorio.

Donationis diploma a Mathilde renovatum anno 1102. legas apud Baronium ad an. eumdem §. 20. & ad calcem Donizonis tom. 5. Scriptor. Rer. Italic. pag. 384. Vide annotat. 6. ad Gregorium III. & annotat. 2. ad Lucium II.

(14) Post Gregorii VII. epistolam 55. libri 2. apud Labbeum tom. 10 Conc. pag. 110 & apud Harduinum tom. 6. pag. 1304. leguntur enunciata septem & viginti, quibus continentur Romani Pontificis jura. Eorum titulus *Dictatus Papæ*. Ad Synodum Romanam an 1076. a Gregorio VII. celebratam illa pertinere, existimat Baronius ad annum eumdem §. 31. Singula exponit atque defendit Christianus Lupus Operum part. 5. pag. 164. edit. Venetæ. Petrus quoque de Marca lib. 7. De Concordia Sacerdotii & Imperii cap 26. §. 4. eorum auctorem esse dicit Gregorium VII. Negat Launojus lib. 6. epist. 13. Natalis Alexander dissertat. 3. in Hist. Eccl. sæc. XI. & XII. Dupinus in Nova Bibliotheca Auctorum Ecclesiasticorum tom. 8. sæc. XI. extremo cap. 5. pag. 68. 69.

Pontificatu dignum haberet præ reliquis, *trium dedit optionem, videlicet Desiderii Cardinalis & Abbatis Cœnobii Casinensis, atque Episcoporum Ottonis Ostiensis, & Hugonis Lugdunensis*. (1) His Anselmum Lucensem addit Leo Marsicanus lib. 3. Chron. Casin. cap. 65. Gregorio igitur mortuo, *unanimi concordia Episcopi & Cardinales & comprovinciales Episcopi & Clerus ac populus Romanus Desiderium omnibus modis contradicentem & renitentem Apostolicæ Sedi præfecerunt* (2) anno 1086. IX. Kal. Jun. Quarto die ab electione sua, Roma discedens, Pontificiis insignibus Tarracinæ depositis, rediit Casinum, & XII. Kal. April. anni insequentis *multis rationibus & orationibus coactus vix tandem succubuit, & præteritam electionem Crucis & purpuræ resumtione* (in Synodo Capuana) *firmavit*. (3) Romam reversus VII. Idus Majas consecratus est. Hic ingenti exercitu ex omnibus Italiæ partibus comparato, & in Africam misso, insignem de Saracenis victoriam reportavit, centum millibus cæsis, captaque Urbe eorum maxima. (4) Inde adversus falsum Pontificem *Clementem* III. & factionem ejus Concilium indixit Beneventum, in quo eum sacerdotali officio & honore privatum obligavit anathemate. Cavit insuper, ne Laici darent, neve Clerici ab eis acciperent alicujus Ecclesiasticæ dignitatis *investituram*, irrogata utrisque pœna anathematis. Vetuit etiam, Pœnitentiæ & Eucharistiæ Sacramenta susci-pi

Bar. an. 1087. §. 1.2. 8 12. 15. 16. 17. Pag §. 2. 4. 7.

(1) Paulus Benriedensis in Vita Gregorii VII. cap. 109. inter Scriptores Rer. Italicarum tom 3. pag. 347.

(2) Leo Marsicanus seu Ostiensis lib. 3. Chron. Casin. cap. 72.

(3) Idem eodem libro 3 cap. 68.

(4) Eam Leo Ostiensis lib 3. Chron. Casin. cap. 71. vocat *Urbem Africanam*. Ad quem locum ita scribit Angelus de Nuce: *Africa Urbs erat litoralis incolis* Mahdia, *posita ad Orientem Tuneto*. De ea meminit Fazellus Hist. Siculæ decad. 2. lib. 10. pag. 615.

pi ab Hæreticis & Simoniacis. (5) Celebrantem Concilium invasit repente morbus. Itaque repetit Casinum. Morti proximus Episcopos & Cardinales monet, ut Ottoni Episcopo Ostiensi, quem Gregorius VII. præoptaverat, deferant Pontificatum. Post triduum, *bis sex lustra gerens*, ut est in ejus epitaphio, decedit anno 1087. XVI. Kal. Octobr. *anno primo, mense tertio, die tertio ac vicesimo*, quàm Pontifex electus erat. De mortis genere non convenit. Sigebertus in Chronico dysenteria confectum scribit, Trithemius lib 4. *De viris illustribus Ordinis S. Benedicti* cap. 13. tradit, fuisse suspicionem, eum sublatum veneno per insidias Henrici IV. in calicem, dum sacrificaret, injecto. (6) Sepultus est in templo Cœnobii Casinensis.

Z CLIX.

(5) Vide Angeli de Nuce Excursum Historicum ad cap. 71. lib. 3. Chron. Casin. Leonis Ostiensis, inter Scriptor. Rer. Italic. tom. 4. pag. 481. ubi quærit, *Utrum Sacerdotes & Episcopi Schismatici, Simoniaci & excommunicati sint veri Sacerdotes*.

(6) Ptolomæus Lucensis Hist. Eccl. lib. 19. cap. 13. tom. 11. Scriptor. Rer. Italic. pag. 1078. Victor III. *ut Martinus scribit, veneno in Calice posito, & ipsum sumens extinguitur. Vincentius autem dicit, quod dysenteria moritur: quod esse potuit ex virtute veneni administrati sibi per amicos Henrici, quia dictus Victor favebat prædicto Gregorio* VII. *contra ipsum, ut Historiæ tradunt*.

Lambertinus De Serv. Dei Beatif. & Beat. Canoniz. lib. 1. cap. 41. num. 24. *Etsi Hugo Abbas Flaviniacensis* in suo Chronico *mortem Victoris* III. *hisce verbis describit*. Hic igitur consecratus ab Ostiensi Episcopo, cum Missas apud S. Petrum diceret, infra actionem judicio Dei percussus est; & quamvis tarde cognoscens, se errasse, se ipse deposuit; & accitis Fratribus de Monte Casino, qui secum aderant, præcepit, se illo deferri, & in Capitulo non ut Papam, sed ut Abbatem sepeliri; *huic tamen Hugoni nulla fides habenda est, cum steterit a partibus Hugonis Archiepiscopi Lugdunensis, qui immoderato Pontificatus desiderio ægre tulerat electionem Victoris, ejusque Consecrationem, ut videre est* in ejus

CLIX.

URBANUS II.

ANNO CHRISTI 1088.

HENRICI IV. 5. ALEXII COMNENI 8.

URBANUS II. Gallus, antea *Otto* Episcopus Ostiensis, cui ut Pontificatus daretur, Victor III. moriens auctor fuerat, non Cardinalium magis, quam aliorum studiis anno 1088. IV. Idus Martii Tarracinæ Pontifex renuntiatus est. Latum a decessoribus suis in Henricum IV. anathema integravit, eo etiam nomine, quod Adelaidem conjugem in carcerem detrusam non solum ab alienis, sed etiam a filio Conrado violari jussisset, recusantemque polluere se tanto scelere nothum declarasset. Versa inde cogitatio omnis ad continendam Ecclesiæ disciplinam, & Schisma extinguendum. Duodecim, partim in Italia, partim in Gallia, separatis temporibus, Concilia celebravit, quibus hæresim Berengarii, *Investituras*, Pseudopontificem Clementem, Simoniacos, Nicolaitas, teterrimas pestes ætatis ejus opprimere atque delere studuit. Horum Conciliorum celebratissima tria, Beneventanum, Melfitanum, & Claromontanum. In primo decernit, ut *Nullus Episcopus eligatur, nisi in sacris Ordinibus religiose vivens fuerit inventus. Sacros autem Ordines dicit Diaconatum & Presbyteratum. Hos*

fiqui-

Bar. an. 1088. §. 1. Pag. §. 1.

Bar. an. 1089. §. 1. & 1093 §. 4. Pag. §. 2.

Bar. an. 1095. §. 24. 33. 51. Pag. § 5. 11.

ejus Epistola tom. 10. Conc. pag. 414. *qua nempe conviciis Sanctissimum impetit Pontificem.*

Fasti Benedictini ejus memoriam die 16. Septembris *recolunt his verbis*: In Monasterio Casinensi Obitus Beati Victoris Papæ III. sanctitate vitæ, & Miraculorum gloria clarissimi.

siquidem solos primitiva legitur habuisse Ecclesia. (1) In altero atque item tertio Presbyterorum filii prohibiti Sacerdotio, exceptis iis, qui monasticum institutum susciperent. (2) Illud præterea statutum in Claromontano, cui ipse præsens adfuit, ne quis sacram Eucharistiam sumeret, nisi sub utraque specie; (3) privatus item Christianis sacris Philippus Rex Francorum, propter secundas nuptias cum Bertrada contractas, priore vivente uxore: (4) itemque Christi sepulcro Terræque Sanctæ vindicandæ ab tyrannide Saracenorum tunc primum decretum bellum sacrum, quod tribus luculentis

 ora-

(1) Gratianus dist. 60. cap. 4 *Tardius ergo*, concludit Martene De antiquis Ecclesiæ ritibus cap. 8. *inter sacros majores Ordines Subdiaconatus annumerari cœpit, plane necdum exeunte sæculo* XI. *sub cujus finem hoc anno* 1091. *celebratum Beneventi Concilium præsidente Urbano Papa* II. Acta hujus Concilii recitat Baluzius in additione ad cap. 13. lib. 8. De Concordia Sacerdotii & Imperii Petri de Marca, & Harduinus tom. 6. Conc. pag. 1695.

(2) Ex hoc Urbani II. decreto, aliisque monumentis Christianus Lupus Operum tom. 4. dissertat. 1. Prœmiali extremo cap. 12. ita concludit: *Permaneat ergo Bastardorum ad Episcopatum irregularitatem, licet præcisum ignoremus exordium, esse antiquam, & ad sacros inferiores Ordines extensam ab Urbano II. Quis ad minores & primam tonsuram extenderit, item ignoro.*

(3) Canone 28. *Ne quis communicet de Altari, nisi corpus separatim, & sanguinem similiter sumat, nisi per necessitatem, & per cautelam.* Paschalis II. epist. 32. *Novimus, per se panem, per se vinum ab ipso Domino traditum. Quem morem sic semper in sancta Ecclesia conservandum docemus, atque præcipimus, præter in parvulis ac omnino infirmis, qui panem absorbere non possunt.* Ad abrogandum videlicet pravum eorum morem, qui Fidelibus administrabant Corpus Christi Domini intinctum ejusdem Christi sanguine, ut narrat Micrologus hujus sæculi Scriptor *De Ecclesiasticis observationibus* cap 19. tom. 18. Bibl. Patr pag. 477

(4) *Quod anathema tam accurate servatum, ut hoc tempore in plerisque diplomatis, non* regnante Philippo, *sed* regnante Jesu *scriberetur.* Brietius in Annal. ad an. Ch. 1095.

orationibus Urbanus suasit. (5) Idem, si aliquibus fides sit, dum Salerni moraretur, Rogerium Calabriæ & Siciliæ Comitem privilegio insignivit, ex quo *Monarchia Sicula*, uti appellant, initium deducitur. (6) Idemque, referente Bona lib. 2. Rer. Li-

(5) Ordericus Vitalis Hist. Eccl. lib. 9. apud Duchesnium inter Scriptores Historiæ Normannorum pag 720. *Providus vero Papa omnes, qui congrue arma ferre poterant, ad bellum contra inimicos Dei excivit, & pœnitentes cunctos ex illa hora, qua crucem Domini sumerent, ex auctoritate Dei ab omnibus peccatis suis absolvit, & ab omni gravedine, quæ fit in jejuniis, aliisque macerationibus carnis, pie relaxavit.*

Joannes Morinus lib. 10. De administratione Sacramenti Pœnitentiæ cap. 19. §. 10. *Interrogabis, Lector, an primum in Claromontano Concilio institutum fuerit, & usurpatum hoc Pœnitentiæ genus? Minime, reperiuntur paullo antiquiora exempla:* quæ idem Morinus subjicit e vestigio.

Mabillonius Sæculo sexto Benedictino pag. 903. num. 6. In Concilio *apud Clarummontem Galliæ Urbem decreta & promulgata primum fuit expeditio sacra adversus infideles, qui cum jam multis abhinc annis Terram Sanctam invasissent, ceteris etiam Orientalis Imperii provinciis infesti erant. Conscriptus est trecentorum millium hominum exercitus, qui ob Crucem suis vestibus assutam* Cruciati *dicebantur, & expeditio* Cruciata *appellata. Illi post varias fortunas multasque captas Urbes ac provincias, occupata tandem ipsa sacra Urbe, quæ Christi Domini vita ac morte consecrata est, novo Hierosolymitano Regno, vicinisque Christianorum Toparcharum principatibus in Oriente initium præbuerunt.*

(6) *Sed quæ sibi jura eadem vindicet Monarchia dicendum. Quod enim auctoritate Urbani Papæ diplomatis ipsum Rogerium Siciliæ Comitem, atque ejus heredes Legatos a latere constitutos omnino velint; omnes pariter successores Reges esse in Siciliæ Regno Legatos natos, contendunt, eosdemque omnia, quæ sunt Legatorum a latere, efficere posse confirmant: imo & substituendi potestatem habere cum eadem auctoritate, nimirum ut judicare & punire possint, absolvere & excommunicare quos velint, laicos, monachos, clericos etiam Ecclesiastica dignitate Prælatos, Abbates, Episcopos, Archiepiscopos, imo & S. R. E. Cardinales ibi degentes eidem Monarchiæ subditos esse velint. Ejusdem quoque Monarchicæ esse facultatis appellationes ad sanctam*

Liturgic. cap. 10. §. 3. & Divinæ Pſalmodiæ cap. 12. §. 2. Præfationem de B. Virgine inſtituit, *ejuſdemque Officium natum educatumque in clauſtris Monachorum in lucem gentium ſapienter eduxit*. (7) Mortem oppetiit Romæ anno 1099. IV. Kal. Auguſti clarus itineribus ac laboribus pro Eccleſia ſuſce- Bar. an. 1099. §. 24. Pag. §. 9.

 ptis

ctam Sedem Apoſtolicam impedire, Nuntios ejuſdem ſanctæ Sedis non admittere, atque demum reſpectu Eccleſiaſticæ juriſdictionis neque ipſam Apoſtolicam Sedem recognoſcere & habere ſuperiorem, niſi in caſu præventionis. Iſta ſunt, quæ Urbani auctoritate diplomatis Reges in Sicilia velint ſibi licere: Baronius ad an. 1097. §. 29. *ubi*, ut ait Brietius in Annalibus, *doctiſſime confutat* Monarchiam *illam, quam Hiſpani* Spiritualem *appellant, & Magiſtratum illum Clerico-laicum, quem dicunt Siculi* Monarchiæ Spiritualis Judicem, ſeu Inquiſitorem, *a quo grande nefas provocare ad Pontificem, & cui, licet homini laico, oblati Libelli inſcribuntur* Beatiſſimo Patri. *Oſtendit autem doctiſſimus Cardinalis, hoc inſtrumentum mutilatum eſſe, datum duntaxat Rogerio ejuſque filiis, toties revocatum eſſe, quoties Siciliæ Regnum in novam familiam tranſiit. Sed & tomi hujus Baroniani lectio ſevere prohibita eſt in utroque Siciliæ Regno: hæc queſtio ex Antuerpienſi Annalium Eccleſiaſticorum editione ſublata.* Eadem quæſtio paucis abhinc annis retractata ſcriptis in partem utramque libris, inter quos ille maxime commendatur, cui titulus: *Iſtoria della preteſa Monarchia di Sicilia*, editus Romæ anno 1715. Clemens XI. conſtitutione *Romanus Pontifex* 76. anno 1714. promulgata *Siculam Monarchiam* abolevit.

(7) Radulphus Tungrenſis *De canonum obſervantia* propoſit. 20. tom. 26. Bibl. Patr. pag. 311. *De Officio B. Virginis legitur in Chronicis, quod Urbanus* II. *qui novem Præfationibus prioribus decimam de B. Maria Virgine addidit, in Gallias veniens Concilium apud Claromontem urbem celebravit anno Domini* 1096. *de menſe Novembri: in quo ſtatutum eſt, quod horæ B. Mariæ Virginis quotidie dicantur, Officiumque ejus diebus Sabbatorum ſolemniter fiat. Quod quidem*, ut eſt apud Labbeum tom. 10. Conc. pag. 517. *tunc a ſancta Synodo, Urbano agente, indictum, & a Clericis pie ſuſceptum ad laicos quoque fuit tam viros, quam mulieres propagatum, & quidem cum magno fœnore gratiarum, ut experti ſunt omnes, jugiterque experiuntur Fideles illud ex animo frequentantes.*

ptis per *annos undecim*, *menses quatuor*, *&* *dies duodeviginti*. (8)

CLX.

PASCHALIS II.

ANNO CHRISTI 1099.

HENRICI IV. 16. ALEXII COMNENI 19.

PASCHALIS II. Hetruscus, *Rainerius* antea dictus, Presbyter Cardinalis, anno 1099. XIX.
Bar. an. 1100. §. 2. 4. 16. 18. Pag. §. 1. 2. 4. — Kal. Septembr. relictum ab Urbano II. locum vel invitus tenere cogitur. Hic contra tres Pseudopontifices ab Henrico IV. alium post alium, Clemente mortuo, sibi oppositos stetit impavide. (1) Henrico autem IV. erepto e vivis, majorem ab ejus filio
Bar. an. 1106. §. 2. 25. Pag. §. 2. 5. Bar. an. 1107. § 1. 5. Pag. §. 1. 3. 8. — Henrico V. passus est calamitatem. Hanc ut declinaret, in Galliam se recepit, auxilium petiturus ab Rege Philippo, quem pœnitentem commissi biennio ante restituerat communioni Christianorum. Post annum ferme integrum revertit Ro-
Bar. an. 1111. §. 1. 9. 14. 23. 24. Pag. §. 1. 2. 3. 6. — mam. Quod ubi Henricus audivit, eodem ipse quoque concessit, Imperialem consecrationem ab eo suscepturus. At Paschalis conferre recusavit, nisi prius ille *investituras*, hoc est *Dominiorum Eccle-*

sia-

(8) *Nomen* hujus Pontificis *in nonnullis Martyrologiis & sacris Fastis* Beati *titulo est insignitum*. In Martyrologio *videlicet* Benedictino *apud Mabillonium* sæculo VI. Benedictino part. 2. pag. 904. In Menologio Benedictino IV. Kal Augusti fol. 529. *Philippus etiam Ferrarius* in Catalogo Sanctorum, qui non sunt in Martyrologio Romano, *de eo* meminit præposito *Beati* titulo. Lambertinus De Serv. Dei Beatif. & Beat. Canoniz. lib. 1. cap. 41. num. 25.

(1) Albertum videlicet, Theodoricum, & Magninulfum, qui quidem *Silvester* IV. appellatus est. Quodnam alii nomen sumserint, non invenio.

ſiaſticorum poſſeſſionem dandi, a Gregorio VII. *aliiſque Pontificibus damnatum privilegium* (2) dimitteret, & Romanæ Eccleſiæ jura confirmaret. (3) Incenſus ira Henricus, atque impotenti conſilio inſtructus Pontificem in militari cuſtodia habuit, & captivum una cum Cardinalibus, magnoque Clericorum & Civium numero abduxit. Dies amplius quinquaginta indignum in modum detinuit, donec ab eo non tam ſuis, quam ſociorum ærumnis permoto conceſſum expreſſit, ut liceret ſibi, quemadmodum ait Paſchalis ipſe apud Baronium, *regni ſui Epiſcopis & Abbatibus libere præter violentiam & ſimoniam electis inveſtituram virga & anuli conferre*, eoſque in poſſeſſionem mittere. (4) Compos optati Paſcha-

Z 4 lem

(2) Cardinalis Lambertinus De Serv. Dei Beatif. & Beat. Canoniz. lib. 1. cap. 41. num. 27.

(3) Id convenerat primum inter Legatos Pontificis & Henrici, ut hic, quemadmodum dicit Petrus Diaconus apud Baronium ad an. 1110. §. 2. *Patrimonia, poſſeſſioneſque beati Petri reſtitueret, ſicuti a Carolo, Ludovico, Henrico, aliis Imperatoribus conceſſa ſunt libera; ſervaretque ea beato Petro pro viribus*: deinde, ut eſt apud eumdem Baronium ad an. 1111. §. 20. Henricus ipſe promiſerat: *Patrimonia & poſſeſſiones ſanctæ Romanæ Eccleſiæ, quæ abſtuli, reſtituam, & cuncta, quæ habere debet, more anteceſſorum meorum recuperare & tenere adjuvabo bona fide*. Sed non ſtetit promiſſis.

(4) Hinc carpſere nonnulli Paſchalem II. Horum accuſationem exarmat Baronius ad an. 1112. §. 18. Non eſt enim *hæreſis ipſas inveſtituras diſpenſando concedere* (quod unum Paſchalis II. fecit) *ſed aſſerere atque defendere, de jure eſſe & debere fieri per Laicos inveſtituras*, (quod numquam aſſeruit Paſchalis II.) *id hæreſis eſt, cum id ſit, falſum dogma, bonis moribus, & ſacris Patrum inſtitutionibus repugnans in Eccleſiam introducere*. Præterea, ut animadvertit Lambertinus lib. 1. De Serv. Dei Beatif. & Beat Canoniz. cap. 41. num. 28. *ſi Dominii ipſius Eccleſiaſtici conſtituendi a Laicis uſurpata facultas hæreſis abſolute & ſimpliciter fuiſſet, non eam Gregorius* VII. *aliique Pontifices in ſola Eccleſia Occidentali reprobaſſent, ſed eamdem reprobationem ad Eccleſiam etiam Orientalem, in qua illa vigebat, ſine ulla dubitatione extendi voluiſſent*. Vide Baronium ad an. 1116. §. 3. & Angelum de

Nu-

lem Romam deduxit, a quo in Æde S. Petri Imperii corona est insignitus, & Augustus consecratus. Post hæc Paschalis facti pœnitens ita doluit, ut voluerit *deponere se a Papatu, & ad Poncianas insulas habitu religioso exul ire*, (5) atque in Lateranensi Concilio in hanc rem habito *illud malum scriptum, quod in tentoriis factum fuerat, quod pro pravitate sua pravilegium dicebatur, condemnaverit sub perpetuo anathemate*, (6) renovato sub eadem anathematis pœna Gregorii VII. decreto, ne Laici darent; neve Clerici ab eis Sacerdotiorum *investituras* acciperent. Qua de caussa Henrico Romam rursus adveniente, Beneventum se contulit. Inde post abitum Imperatoris in Urbem regressus anno 1118. XII. Kal. Februar. concedit vita, cum regnasset *annos duodeviginti, menses quinque, & dies septem*.

Bar. an. 1116. §. 2. Pag. §. 1.

Bar. an. 1117. §. 1. Pag. §. 2. Bar. an. 1118. §. 1. 2. Pag. §. 1. 2.

CLXI.

GELASIUS II.

ANNO CHRISTI 1118.

HENRICI V. 8. JOAN. COMNENI 1.

ANNO *ab Incarnatione Domini* 1118. VIII. Kal. Februar. *Joannes Cajetanus, Romanorum Pontificum antiquus Cancellarius & magister, in Gelasium Papam electus est, & contradicente Imperatore a Romano Clero canonice consecratus*. (1) *Eruditione litterarum*

Bar. an. 1118. §. 3. & seqq. Pag. §. 4. & seqq.

Nuce annotat. 3. in cap. 4. lib. 4. Chron. Casin. tom. 4. Scriptor Rer. Italic. pag. 519.

(5) Incerti Auctoris, qui vixit anno 1159. Historia Pontificum, & Comitum Engolismensium cap 35. in Labbei Nova Bibliotheca Manuscriptor. Librorum tom. 2. pag. 259.

(6) Abbas Urspergensis in Chronico apud Baronium ad an. 1116. §. 2. & apud Labbeum tom. 10. Conc. pag. 807.

(1) Fuit Cancellarius Urbani II. & Paschalis II.

rum apprime instructus fuit, & longa exercitatione, utpote qui Præsulum Apocrisiarius fere quadraginta annis enituerat, calluit. (2) Hunc Cencius Frangipanius, vir in Urbe potens, qui cupiebat alium creari Pontificem, *distraxit, pugnis, calcibusque percussit, & tamquam brutum animal, intra limen Ecclesiæ acriter calcaribus cruentavit*, & catenis constrictum inclusit in custodiam. (3) Mox procerum ac populi favore est vindicatus in libertatem. Romam adveniente haud ita multo post Henrico V. Cajetam se recepit, ubi demum VI. Idus Martii Pontifex consecratus est. Eodem fere tempore Imperator scelera sceleribus cumulans, *Mauritium* quemdam *Burdinum* Episcopum Bracarensem inaugurari Pontificem jussit Gregorii VIII. nomine. Is IV. Nonas Junii die festo Pentecostes Henricum Imperatorem iterum coronavit. Hæc simul Gelasius II. cognovit, habito Capuæ Concilio, Henricum pariter, Gregoriumque damnavit. Post Imperatoris discessum, magis ut peregrinus, quam ut Dominus reversus in Urbem, divertit apud amicos. Cum autem ei tuto Romæ esse non liceret, in Galliam transmisit auxilium petiturus ab Rege Ludovico VI. contra Pseudopontificem & Imperatorem. Morbo pleuritidis Matisconæ correptus, in Cœnobium Cluniacense deferri voluit, ubi anno 1119. IV. Kal. Februar. mortuus sepultusque est, cum per *annum & dies quatuor* Pontifex fuisset. *Quo quidem post Martyres, qui fuso sanguine martyrium consummarunt, haud facile inter Romanos Pontifices aliquem quis inveneris, qui breviori vitæ tempore majora sit passus, ob idque præclario-*

Bar. an. 1119. S. 1. 2. 3. Pag. S. 3. 4.

(2) Ordericus Vitalis initio libri 12. Hist. Eccl. inter Scriptores Historiæ Normannorum Duchesnii pag. 842.

(3) Pandulphus Pisanus in vita hujus Pontificis tom. 3. Scriptor. Rer. Italic. pag. 384. ubi etiam dicit, Gelasium II. Pontificem creatum *invitum, ac renitentem*.

riori corona donandus, atque celebrioribus fuerit præconiis celebrandus. (4)

CLXII.

CALLISTUS II.

ANNO CHRISTI 1119.

HENRICI V. 9. JOAN. COMNENI 2.

CALLISTUS II. *Guido* antea dictus, *natione Burgundus, frater Ducis Burgundiæ, prius*
Bar. an. 1119. §. 2.4. 6. 9. *Archiepiscopus Viennensis, vir in divinis Scripturis eruditus, & sæcularium litterarum non ignarus,* (1) an-
Pag. §. 5. 6. 10. no 1119. Kal. Febr. Cluniaci Pontifex creatus est tali modo. Gelasius II. gravi morbo æger Cardinales admonuit, ut *Cononem* Episcopum Prænestinum sibi substituerent. Is amplissimam dignitatem constanter recusavit, suadens, ut Guidoni Archiepiscopo Viennensi mandaretur. *Guido* itaque summo Sacerdotio præfectus est, qui Cluniaco discedens Viennam cum venisset, V. Idus Februarii Pontifex inauguratus est. Inde Tolosam se contulit, & post celebratum ibidem Concilium, Remos.

(4) Baronius ad an. 1119. §. 2.

Bolland. 29. Januar. pag. 916. Sanctus *appellatur a Ferrario, IVione, Dornavio. Piis accensetur a Saussajo.*

Petrus Diaconus lib. 4. Chron. Casin. cap. 24. inter Scriptor. Rer. Italic. tom. 4. pag. 596. Casinense Cœnobium *Romanæ Sedi Stephanum Septimum* (Nonum) *Victorem Tertium, ac Secundum Gelasium Apostolicos dedit, & multis Ecclesiis Catholicos, idoneosque Pastores.*

(1) Trithemius De Script. Eccl. cap. 359. ubi statim subdit: *Amator S. Jacobi Apostoli præcipuus, ob cujus honorem Ecclesiam Compostellanam in Archiepiscopatum sublimavit. Scripsit composito sermone & maxima diligentia de miraculis S. Jacobi lib. 1. Epistolarum ad diversos lib. 1. & quædam alia.*

mos. Qua in Urbe habito conventu Episcoporum amplius ducentorum, Henricum Cæsarem, & *Burdinum* Pseudopontificem cœtu Christianorum ejecit, *investituras* damnavit, & uxores Clericis interdixit. Postea Romam cogitare cœpit. Ingressus in Italiam, tanto ubique consensu & gaudio populorum exceptus est, ut Burdinus terrore perculsus Roma cedens Sutrium se reciperet. Urbem vero inivit eo civium omnium favore ac plausu, quo lætitia effusa significatur. Haud diu Romæ commoratus petiit Beneventum, ut Normannos hortaretur ad Sutrium expugnandum, quo se tenebat Burdinus. Prosperum fuit inceptum, captus falsus Pontifex, ac traditus in custodiam. Sed illud de se Callistus maxime memorandum præbuit, quod controversiam de *investituris*, *quæ quinquaginta per annos Imperium & Sacerdotium inter se commiserat*, (2) advocato Lateranensi Oecumenico Concilio, composuit. (3) Mortem obiit anno 1124. Idibus De-

Bar. an. 1120. §. 1. 3. 6. 8. Pag. §. 6. 11. 12.

Bar. an. 1121. §. 1. 2. Pag. §. 1. 4. Bar. an. 1122. §. 1. Pag. §. 1. 3.

(2) Petrus de Marca lib. 8. De Concordia Sacerdotii & Imperii cap. 21. §. 3.

(3) Primum est ex Conciliis Oecumenicis habitis in Occidente, & nonum inter Oecumenica locum obtinet. Vocatur Lateranense a Basilica Lateranensi, in qua anno 1123. est celebratum. Interfuerunt Episcopi amplius tercenti. Præfuit Callistus ipse II. Pacta in conventu Vormatiensi anno superiore inita inter Callistum & Henricum, confirmata. Imperator receptus in Ecclesiæ communionem, jus Episcoporum Abbatumque instituendorum dimisit in perpetuum, & bona omnia hactenus ablata Ecclesiæ Romanæ aliisque restituit. Pontifex id concessit Imperatori, ut electiones Episcoporum & Abbatum Regni Germanici sine vi ac simonia fierent eo præsente, electique *Regalia*, id est Feuda, & hujusmodi bona alia a Principibus olim Ecclesiæ concessa per sceptrum, aliudve externum signum ab eo acciperent. Integratæ præterea exsecrationes in Nicolaitas & Simoniacos: conditi canones ad regendam Ecclesiæ disciplinam, & promovendas expeditiones sacras in Palæstinam & Hispaniam adversus hostes nominis Christiani. Duos & viginti exhibent vulgatæ Conciliorum editio-

Conc. Oecum. IX.

Bar. an. 1124. §. 6. Pag. §. 7. 9. Decembr. post *annos* Pontificatus *quinque*, *menses decem*, & *dies duodecim*.

CLXIII.

HONORIUS II.

ANNO CHRISTI 1124.

HENRICI V. 14. JOAN. COMNENI 7.

HONORIUS II. Bononiensis, obscuro loco natus, sed moribus & doctrina clarus, antea *Lambertus* Episcopus Ostiensis, Pontificatum, quem, utpote sibi minus rite traditum, abdicarat, anno 1124. XII. Kal. Januar. magno omnium consensu recepit. (1) Is, Henrico V. mortuo sine stirpe sexus virilis, Germaniæ Regnum tradidit Lothario Saxoniæ Duci, Federicum vero & Conradum post avunculi Henrici decessum affectantes Imperium, ob eamque rem Lotharium Regem armis persequentes, usu sacrorum interdixit. Hinc Anselmo Mediolanensium Archipræsuli, qui

Bar. an. 1124. §. 7. 8. Pag. §. 10.

Bar. an. 1125. §. 1. Pag. §. 10.

tiones, septemdecim antiquus Codex MS. Monasterii Anianensis, ex quo illos edidit Baluzius apud Petrum de Marca ad calcem cap. 21. lib. 8. De Concordia Sacerdotii & Imperii. Plerosque in Decretum suum retulit Gratianus, qui hoc sæculo floruit.

(1) Post obitum Callisti II. statim habita comitia Pontifici creando. Invitus & reluctans Pontifex factus *Theobaldus* Presbyter Cardinalis S. Anastasiæ nomine *Cælestini* II. Quæ electio cum Leoni Frangipanio aliisque non probaretur, *Lambertum* Cardinalem Episcopum Ostiensem Pontificem legerunt. Schismati averruncando *Theobaldus* quo die Pontifex dictus est, eodem cessit Pontificatu. *Lambertus* quoque videns, se creatum lectione prava, post dies septem Pontificatum deposuit. Tum Cardinales admirati summam hominis modestiam, eum pro vero ac legitimo Pontifice habendum decreverunt.

qui Conrado Italici Regni coronam Modoetiæ imponere ausus fuerat, abrogavit Archiepiscopatum. Rogerium quoque Siciliæ Comitem, quod Gulielmo II. Apuliæ Duce vita defuncto, regionem illam invasisset, iterato anathemate damnavit, nullisque muneribus ejus ac pollicitationibus potuit perpelli, ut latam sententiam revocaret. Demum flecti se passus est, & Rogerium exemtum vinculo anathematis, Ducemque Apuliæ constitutum, beneficiarium Ecclesiæ fecit, ea lege, ut Beneventum accedens fidem sibi, *hominio* præstito & jurejurando interposito, obligaret. (2) Benevento Romam regressus paullo post moritur, anno 1130. XVI. Kal. Martii, cum *annos quinque, mensem, & dies viginti quinque* summus Præses fuisset gentium Christianarum.

Bar. an. 1127. §. 1. Pag. §. 2. 5. 7. 9.

Bar. an. 1128. §. 1. Pag. §. 4. 5.

Bar. an. 1130. §. 1. Pag. §. 1. 2.

CLXIV.

(2) Voce hac *hominio* utuntur hujus rei scriptores apud Baronium, & Pagium loc cit. Est autem *Hominium pro Emenda, vel pro* pace habenda, *vel* pro debito solvendo; *cum quis criminis alicujus reus, cum eo, quem offendit, vel illius heredibus, ita paciscitur, ut quoad vixerit, vassallus illorum sit, eoque nomine hominium iis præstet*. Ducangius in Glossario.

CLXIV.

INNOCENTIUS II.

ANNO CHRISTI 1130.

LOTHARII REGIS 6. JOAN. COMNENI 13.

POSTRIDIE mortem Honorii II. summo Sacerdotio invitus præficitur Innocentius II. antea *Gregorius* Cardinalis S. Angeli, Romanus. (1) Huic *Petrum Leonis*, nomine *Anacleti* II. opposuit audacia factiosorum: quibus obsistere cum Innocentius non valeret, Urbe cedens in Galliam navigavit, a Ludovico VI. cui *Crasso* cognomen, exceptus, cultusque honore tanto, quantus proficisci poterat ab summo Rege in Pontificem summum. Ex Gallia ingressus Germaniam Leodium proficiscitur. Habito ibidem una cum Lothario Rege Concilio, Anacletum sacra detestatione perstrinxit, ac Lotharium ad defendendam Ecclesiam excitavit promissa Imperii corona. (2) Itaque in Ita-

Bar. an. 1130. §. 1.3. 58. Pag. §. 3.12. 36. 40.

Bar. an. 1131. §. 7.8. Pag. §. 2.15.

(1) Innocentium II. comminatione anathematis coactum accipere Pontificatum, scribit Arnulphus Sagiensis *De Schismate orto post Honorii* II. *decessum* cap. 4. tom. 3. Scriptor. Rer. Italic. pag 429 Vide annotat. 5. ad Nicolaum II.

(2) Non permissa collatione Sacerdotiorum, ut putat Petrus Diaconus lib. 4. Chron. Casin. cap. 97. Postulavit quidem minaciter Lotharius, ut sibi jus illud, cui nuper Henricus V renuntiaverat, ab Innocentio concederetur: sed minis nihil fractus Pontificis animus. Testatur id S. Bernardus, qui præsens aderat, epist. 150. ad Innocentium II. scribens de congressu ejus cum Lothario: *Sed nec Leodii cervicibus imminens mucro barbaricus compulit acquiescere, obsequi, & obedire nimis importunis, improbisque postulationibus iracundi atque irascentis Regis*. Etiam Otto Frisingensis l. 7. c. 18. narrat, Lotharium licet conquestum acriter apud In-

Italiam redeunti adfuit ex pacto Lotharius, cumque Romam cum exercitu deduxit. Tum Innocentius promisso satisfaciens, Lotharium solemni ritu Imperatorem constituit, eique præterea *Allodium* Comitissæ Mathildis tradidit in eas conditiones, ut vectigal centum librarum argenti quotannis sibi, suisque successoribus persolveret, utque post ejus *obitum proprietas & jus ad dominium sancta Romana Ecclesia cum integritate absque diminutione & molestia revertetur*. (3) Cum Imperator Urbe excessisset, prævalente rursus adversariorum factione, Pisas Innocentius se recepit, ubi ad interitum usque Anacleti mansit. Nec hujus morte sanata discordia. Nam factiosi *Gregorium* quemdam, *Victorem* IV. appellatum, in locum *Anacleti*, adjutore Rogerio Siciliæ Duce, subrogarunt: quo tamen post menses tres abdicante, pax reddita Ecclesiæ est. (4) Ea usus Innocentius universale Concilium Romam indixit, ut Ecclesiæ consuleret perturbatæ factione Schismaticorum, oppugnatæque prava hæreticorum doctrina.

Bar. an. 1133. §. 3.6. Pag. §. 1. 4.

Bar. an. 1138. §. 1.3. 4. Pag. §. 1. 2. 5.

Bar. an. 1139. §. 4. 10. 11. 12. Pag. §. 4. 14. 15.

(5)

Innocentium II. de detrimento accepto ex abrogatione *investiturarum*, attamen obtinere non potuisse, ut sibi facultas esset eas concedendi. Hæc aliquanto fusius explicavi extrema dissertatione nona.

(3) Verba sunt diplomatis, quod exstat apud Baronium ad an. 1133. §. 3. & apud Labbeum tom. 10. Conc. pag. 946.

, Allodium Comitissæ Mathildis complectebatur partem magnam Ducatus Mantuani, Parmensis, Regiensis, Mutinensis, omnemque Garferonianam ex MS. Michaelis Leonici *De donatione Comitissæ Mathildis* apud auctorem libri, cui titulus: *Il Dominio temporale della Sede Apostolica sopra la Città di Comacchio* cap. 43. pag. 165.

(4) Anonymus Casinensis in Chron. ad an. 1137. inter Scriptor. Rer. Italic. tom. 5. pag. 64. & 141. *Obiit Petrus Leonis, qui & Anacletus: sed post duos menses fratres ejus cum suis elegerunt quemdam Gregorium Hæresiarcham, qui post tres menses a Papa Innocentio deponitur.*

(5) Bellum deinde paravit adversus Rogerium, qui mortuo Rainulpho Duce, exercitum transduxerat in Apuliam. Sed ab eo captus, & honorifice tamen habitus, precibusque ad extremum victus, eidem tamquam beneficiario obliganti suam fidem jurejurando, Principatum Capuanum, Apuliam, Calabriam, & Siciliam, addito Regni titulo, confirmavit. Tertio postquam Romam redierat anno 1143. VIII. Kal. Octobr. extinguitur, cum *annos tre-*

Bar. an. 1143. §. 10. Pag. §. 2.

(5) Oecumenicum X. Lateranense II. anno 1139. celebratum. Interfuerunt Episcopi circiter mille. Præfuit summus Pontifex. Canones triginta conditi. Canone 15. novum latum est decretum, *ut si quis suadente Diabolo in Clericum vel Monachum violentas manus injecerit, anathematis vinculo subjaceat*. Canonibus ceteris damnati Simoniaci, Nicolaitæ, quique sacras *investituras* acciperent a Laicis. Rescissa insuper acta falsi Pontificis *Anacleti* II. damnati Arnaldistæ, & Petrobusiani. Hi enim a Petro de Bruis denominati negabant, parvulos nondum habentes usum rationis posse baptismi beneficio æternam beatitatem consequi: Illi vero nacti nomen sunt ab Arnaldo de Brixia, qui, ut narrat Otto Frisingensis De gestis Friderici I. lib 2. cap. 21. *dicebat, nec Clericos proprietatem, nec Episcopos regalia, nec Monachos possessiones habentes aliqua ratione salvari posse: Cuncta hæc Principis esse, ab ejusque beneficentia in usum tantum laicorum cedere oportere*. Baronius etiam ad an. 1141. §. 3. *Dum Romæ esset*, inquit, *jactare ista cœpit, laicorum esse omnia temporalia, & ea a Clericis injustissime detineri*. Quam insanam doctrinam secuti postea sunt Valdenses, seu Pauperes de Lugduno, Hussitæ, Marsilius Jurisconsultus Patavinus, Joannes de Jamduno Perusinus, homines Ludovico Bavaro contra Joannem XXII. mancipati. His adhæsit Vicleffus, inter cujus propositiones ab generali Constantiensi Synodo sess. 8. coram Sigismundo Imperatore damnatas, hæc est trigesima nona, apud Labbeum tom. 12. Conc. pag. 265. *Imperator, & Domini sæculares sunt seducti a Diabolo, ut Ecclesiam dotarent bonis temporalibus*. Ab Vicleffo pestifera lues manavit ad Lutherum, ad Centuriatores Magdeburgenses, Molinæum, Volfium, Goldastum, Corringium, prorsus ut jure Baronius ad an 1141. §. 3. *Politicorum hæreticorum Patriarcham atque Principem* Arnaldum appellaverit.

Concil. Oecum. X.

tredecim, menses septem, & dies novem Catholicæ Ecclesiæ præfuisset.

CLXV.

CAELESTINUS II.

ANNO CHRISTI 1143.

CONRADI III. REG. 6. MANUELIS COMN. 1.

CÆLESTINUM II. Hetruscum, Civem Castellanum, *Vidonem* antea dictum tertio post Innocentii II. mortem die VI. Kal. Octobris *Cardinales, populo Romano acclamante, in Romanum Pontificem concorditer elegerunt.* (1) Itaque dicitur a Panvinio *primus Papa creatus sine ullo populi interventu.* Populum enim, ut idem Panvinius ac Sigonius tradunt, *Pontificiorum jure comitiorum, cujus a primis temporibus ad eam usque diem particeps fuerat,* Innocentius II. *spoliaverat.* (2) Mortuus est Cælestinus anno

Bor. an. 1143. §. 2. Pag. §. 4.

Bar. an. 1144. §. 1. Pag. §. 1.

A a

(1) Cælestinus II. in Epist. ad Cluniacenses apud Lab. tom. 10. Conc. pag. 1031.

Eidem Cælestino electionem pacificam, qualis ab Alexandri II. tempore numquam contigerat, gratulatus est S. Petrus Venerabilis Abbas Cluniacensis lib. 4. epist. 19. tom. 22. Bibl. Patr. pag. 921. *Non hoc, ut jam nobis relatum est, humanus fastus, non sibi providens humana cupiditas, non Romanus turbo sæpe auditus, orbemque terrarum suo impulsu concutere solitus effecit: sed adversa pacificans, diversa uniens, discissa redintegrans, spiritus ille, qui ubi vult spirat... Quis hoc non miretur, a tempore Alexandri II. Papæ per Gregorium, Urbanum, Paschalem, Gelasium, Callistum, Honorium, Innocentium summos Ecclesiæ Dei ac præclaros Pontifices, quantum ad eorum promotionem pertinet, Ecclesiasticam pacem pertransisse, sed in nullo eorum præter vos quievisse?*

(2) Panvinius annotat. ad Platinam pag. 151. Sigonius de Regno Italiæ lib. 10. ad an. 1143. pag. 451.

Communi voto Cleri & populi electum Eugenium III. scribit Otto Frisingensis lib. 7. cap. 31. ex quo apparet, populum rursus admissum ad electionem Pontificis.

anno 1144. VII. Idus Martii, *mense Pontificatus quinto, die decimo tertio.* (3)

(3) Ab hoc Pontifice incipit vaticinatio illa de Pontificibus Romanis ad extremum usque judicii diem futuris, quæ S. Malachiæ Armachano in Hibernia Archiepiscopo adscribitur.

Arnoldus Wion lib. 2. Ligni Vitæ cap. 40. pag. 307. *S. Malachias scripsisse fertur nonnulla opuscula, de quibus nihil hactenus vidi, præter quamdam prophetiam de Summis Pontificibus, quæ quia brevis est, & nondum, quod sciam, excusa, & a multis desiderata, hic a me apposita est.*

Prophetia S. Malachiæ Archiepiscopi de summis Pontificibus.

1143. *Ex castro Tiberis.* CÆLESTINUS II. Tiphernas *ex castro S. Felicitatis ad Tiberim.*

1144. *Inimicus expulsus.* LUCIUS II. De familia Caccianimica.

1145. *Ex magnitudine montis.* EUGENIUS III. Patria Hetruscus oppido Montis magni.

1153. *Abbas Suburranus.* ANASTASIUS IV. De familia Suburra.

1154. *De rure albo.* HADRIANUS IV. natus in oppido S. Albani.

1159. *De tetro carcere.* VICTOR IV. Fuit Cardinalis S. Nicolai in carcere Tulliano. *Pseudopontifex.*

1164. *Via Transtiberina.* PASCHALIS III. Guido Cremensis Cardinalis S. Mariæ Transtiberim. *Pseudopontifex.*

1170. *De Pannonia Tusciæ.* CALLISTUS III. Antipapa, Hungarus natione, Episcopus Card. Tusculanus.

1159. *Ex ansere custode.* ALEXANDER III. De Familia Paperona. *Papero* Italice, *Anser* Latine.

1181. *Lux in ostio.* LUCIUS III. Lucensis, Cardinalis Ostiensis.

1185. *Sus in cribro.* URBANUS III. Mediolanensis, familia Cribella, quæ suem pro armis gerit.

1187. *Ensis Laurentii.* GREGORIUS VIII. Cardinalis S. Laurentii in Lucina, cujus insignia enses falcati.

1187. *De schola exiet.* CLEMENS III. Romanus, domo Scholari.

1191. *De rure bovensi.* CÆLESTINUS III. Familia Bovensi.

1198.

1198. *Comes signatus*. INNOCENTIUS III. Familia Comitum Signiæ.

1216. *Canonicus de latere*. HONORIUS III Familia Sabella, Canonicus S. Joannis Lateranensis.

1227. *Avis Ostiensis*. GREGORIUS IX. Familia Comitum Signiæ, Episcopus Card. Ostiensis, *cujus insigne Aquila*.

1241. *Leo Sabinus*. CÆLESTINUS IV. Mediolanensis, cujus insignia Leo, Episcopus Card. Sabinus.

1243. *Comes Laurentius*. INNOCENTIUS IV. Domo Flisca, Comes Lavaniæ, Card. S. Laurentii in Lucina.

1254. *Signum Ostiense*. ALEXANDER IV. De Comitibus Signiæ, Episcopus Cardinalis Ostiensis.

1261. *Hierusalem Campaniæ*. URBANUS IV. Gallus Trecensis in Campania, Patriarcha Hierusalem.

1265. *Draco depressus*. CLEMENS IV. cujus insignia Aquila unguibus Draconem tenens.

1271. *Anguinus Vir*. GREGORIUS X. Mediolanensis, familia Vicecomitum, quæ anguem pro insigni gerit.

1276. *Concionator Gallus*. INNOCENTIUS V. Gallus Ordinis Prædicatorum.

1276. *Bonus Comes*. HADRIANUS V Ottobonus, familia Flisca ex Comitibus Lavaniæ.

1276. *Piscator Tuscus*. JOANNES XXI. antea Joannes Petrus Episcopus Card. Tusculanus.

1277. *Rosa composita*. NICOLAUS III. Familia Ursina, quæ rosam in insigni gerit, dictus Compositus.

1281. *Ex telonio Liliacei Martini*. MARTINUS IV. cujus insignia lilia, Canonicus & Thesaurarius S. Martini Turonensis.

1285. *Ex Rosa Leonina*. HONORIUS IV. Familia Sabella, insignia rosa a Leonibus gestata.

1288. *Picus inter escas*. NICOLAUS IV. Picenus, patria Esculanus.

1294. *Ex Eremo celsus*. CÆLESTINUS V. Vocatus Petrus de Morrone Eremita.

1294. *Ex undarum benedictione*. BONIFACIUS VIII. Vocatus prius Benedictus, Cajetanus, cujus insignia undæ.

1303. *Concionator Patareus*. BENEDICTUS XI. qui vocabatur Frater Nicolaus Ordinis Prædicatorum. *S. Nicolaus Patara in Licia natus est*.

1305. *De fasciis Aquitanicis*. CLEMENS V. natione Aquitanus, cujus insignia fasciæ erant.

1316. *De sutore osseo*. JOANNES XXII. Gallus, familia Ossa, sutoris filius.

1328\. *Corvus Schismaticus*. NICOLAUS V. qui vocabatur F. Petrus de Corbario, contra Joannem XXII. Antipapa Minorita.

1334\. *Frigidus Abbas*. BENEDICTUS XII. Abbas Monasterii Fontis frigidi.

1342\. *De Rosa Attrebatensi*. CLEMENS VI. Episcopus Attrebatensis, cujus insignia Rosæ.

1352\. *De montibus Pammachii*. INNOCENTIUS VI. Cardinalis SS. Joannis & Pauli T. Pammachii, cujus insignia sex montes erant.

1362\. *Gallus Vicecomes*. URBANUS V. Nuntius Apostolicus ad Vicecomites Mediolanenses.

1370\. *Novus de Virgine forti*. GREGORIUS XI. qui vocabatur Petrus Belfortis Cardinalis S. Mariæ novæ.

1378\. *De Cruce Apostolica*. CLEMENS VII. qui fuit Presbyter Cardinalis SS. duodecim Apostolorum, cujus insignia Crux. *Pseudopontifex*.

1394\. *Luna Cosmedina*. BENEDICTUS XIII. antea Petrus de Luna, Diaconus Cardinalis S. Mariæ in Cosmedin. *Pseudopontifex*.

1424\. *Schisma Barchinonicum*. CLEMENS VIII. Antipapa, qui fuit Canonicus Barchinonensis.

1378\. *De inferno Prignani*. URBANUS VI. Neapolitanus Prignanus, natus in loco, qui dicitur Infernus.

1389\. *Cubus de mixtione*. BONIFACIUS IX. Familia Tomacella a Genua Liguriæ orta, cujus insignia Cubi.

1404\. *De meliore Sidere*. INNOCENTIUS VII. vocatus Cosmas de Melioratis Sulmonensis, cujus insignia Sidus.

1406\. *Nauta de Ponte Nigro*. GREGORIUS XII. Venetus, Commendatarius Ecclesiæ Nigropontis.

1409\. *Flagellum Solis*. ALEXANDER V. Græcus, Archiepiscopus Mediolanensis, insignia Sol.

1410\. *Cervus Sirenæ*. JOANNES XXIII. Diaconus Cardinalis S. Eustachii, qui cum cervo depingitur, Bononiæ Legatus, Neapolitanus, *cujus antiquum insigne Sirenem exhibet*.

1417\. *Corona veli aurei*. MARTINUS V. Familia Colonna, Diaconus Cardinalis ad velum aureum.

1431\. *Lupa Cælestina*. EUGENIUS IV. Venetus, Canonicus antea Regularis Cælestinus, & Episcopus Senensis, *cujus insigne Lupa*.

1439\. *Amator Crucis*. FELIX V. qui vocabatur Amadæus Dux Sabaudiæ, insignia Crux. *Pseudopontifex*.

1447\. *De modicitate Lunæ*. NICOLAUS V. Lunensis de Sarzana, humilibus parentibus natus.

1455.

1455. *Bos pascens*. Callistus III. Hispanus, cujus insignia Bos pascens.

1458. *De Capra & Albergo*. Pius II. Senensis, qui fuit a secretis Cardinalibus Capranico & Albergato.

1464. *De Cervo & Leone*. Paulus II. Venetus, qui fuit Commendatarius Ecclesiæ Cerviensis, & Cardinalis tituli S. Marci, *cujus symbolum Leo*.

1471. *Piscator Minorita*. Sixtus IV. Piscatoris filius, Franciscanus.

1484. *Præcursor Siciliæ*. Innocentius VIII. qui vocabatur Joannes Baptista, & vixit in Curia Alphonsi Regis Siciliæ.

1492. *Bos Albanus in portu*. Alexander VI. Episcopus Cardinalis Albanus, & Portuensis, cujus insignia Bos.

1503. *De parvo homine*. Pius III. Senensis familia Picolominea.

1503. *Fructus Jovis juvabit*. Julius II. Ligur, ejus insignia Quercus Jovis arbor.

1513. *De craticula Politiana*. Leo X. filius Laurentii Medicei, & Scholaris Angeli Politiani. *Craticula est instrumentum mortis S. Laurentii*.

1522. *Leo Florentinus*. Hadrianus VI. Florentii filius, ejus insignia Leo.

1523. *Flos pilei ægri*. Clemens VII. Florentinus de domo Medicea, ejus insignia pila & lilia.

1534. *Hyacinthus Medicorum*. Paulus III. Farnesius, qui lilia pro insignibus gestat, & Cardinalis fuit SS. Cosmæ & Damiani *Medicorum*.

1550. *De corona montana*. Julius III. antea vocatus Joannes Maria de monte. *Ejus insignia montes tres & laurea corona duplex*.

1555. *Frumentum Floccidum*. Marcellus II. cujus insignia cervus & frumentum, ideo floccidum, quod pauco tempore vixit in Papatu.

1555. *De fide Petri*. Paulus IV. antea vocatus Joannes Petrus Caraffa.

1559. *Æsculapii Pharmacum*. Pius IV. antea dictus Joannes Angelus Medices.

1566. *Angelus nemorosus*. Pius V. Michael vocatus, natus in oppido Boschi.

1572. *Medium corpus pilarum*. Gregorius XIII. cujus insignia medius Draco, Cardinalis creatus a Pio IV. qui pilas in armis gestat.

1585. *Axis in medietate signi*. SIXTUS V. qui axem in medio Leonis in armis gestat.

1590. *De rore Cæli*. URBANUS VII. qui fuit Archiepiscopus Rossanensis in Calabria, ubi manna colligitur.

Interpretationes hactenus adjectæ, si Wioni credimus & Gulielmo Cave in Historia Litteraria Scriptor. Ecclesiasticorum pag. 578. sunt Alphonsi Ciaconii, quamvis in ejus Vitis Pontificum Romanorum non appareant: quæ sequuntur, sunt aliorum.

1590. *De antiquitate Urbis*. GREGORIUS XIV. Natus Mediolani, quæ Urbs ædificata dicitur annis circiter 400. ante ortum Christi Domini.

1591. *Pia Civitas in bello*. INNOCENTIUS IX. Bononia ortus, quæ postremis sæculis bello vexata semper est, donec dedit se Pontifici.

1592. *Crux Romulea*. CLEMENS VIII. Ex Familia Aldobrandina, quæ dicitur originem ducere ab eo, qui Romanorum primus Christianus fuit. Ejus insigne fascia Crucis figuras exprimens.

1605. *Undosus Vir*. LEO XI. qui transiit velut unda, cum dies tantum quinque & viginti regnaverit.

1605. *Gens perversa*. PAULUS V. Ejus insignia Draco & Aquila.

1621. *In tribulatione pacis*. GREGORIUS XV. Creatus est Cardinalis quo tempore pax Italiæ turbata est, cui reconciliandæ ipse operam dedit.

1623. *Lilium & Rosa*. URBANUS VIII. Florentinus, cujus insignia Apes, quæ liliis & rosis pascuntur.

1644. *Jucunditas Crucis*. INNOCENTIUS X. Pontifex factus est festo die Exaltationis S. Crucis.

1655. *Montium custos*. ALEXANDER VII. Pro insigni habuit montem sex angulorum, ac præterea Romæ constituit Montes pietatis.

1667. *Sidus Olorum*. CLEMENS IX. In Comitiis Pontificalibus sors ei obtulit cubiculum Olorum, ex quo exiit tamquam lucidum Sidus ad Ecclesiam illustrandam.

1670. *De flumine magno*. CLEMENS X. Natus est Romæ quo die Tiberis extra alveum effluxit.

1676. *Bellua insatiabilis*. INNOCENTIUS XI. Ejus insignia Leo, & Aquila. Vehementer amavit Cardinalem *Cibo*.

1689.

1689. *Pœnitentia gloriosa*. ALEXANDER VIII. Petrus antea dictus, ac Pontifex electus die festo gloriosi Pœnitentis S. Brunonis.

1691. *Rastrum in porta*. INNOCENTIUS XII. Ex familia Pignatella ab rastro ad portam Neapolis.

1700. *Flores circumdati*. CLEMENS XI.

1721. *De bona religione*. INNOCENTIUS XIII.

1724. *Miles in bello*. BENEDICTUS XIII.

1730. *Columna Excelsa*. CLEMENS XII.

Supersunt Pontifices symbolis sequentibus prænuntiati.

1. *Animal rurale*.
2. *Rosa Umbriæ*.
3. *Ursus velox*.
4. *Peregrinus Apostolicus*.
5. *Aquila rapax*.
6. *Canis & Coluber*.
7. *Vir religiosus*.
8. *De balneis Hetruriæ*.
9. *Crux de Cruce*.
10. *Lumen in Cælo*.
11. *Ignis ardens*.
12. *Religio depopulata*.
13. *Fides intrepida*.
14. *Pastor Angelicus*.
15. *Pastor & Nauta*.
16. *Flos florum*.
17. *De medietate Lunæ*.
18. *De labore Solis*.
19. *Gloria olivæ*.
20. *In persecutione extrema Sanctæ Romanæ Ecclesiæ sedebit Petrus Romanus, qui pascet oves in multis tribulationibus, quibus transactis Civitas septicollis diruetur, & Judex tremendus judicabit populum suum*.

Hanc vaticinationem rejiciunt Critici, 1. quia Arnoldus Wion, qui vixit anno Christi 1595. post S. Malachiam quadringentesimo quinquagesimo, affirmat, eam ab se primum excusam, nec dicit, unde acceperit. 2. quia nullus Scriptor coævus meminit de ea, ne ipse quidem S. Bernardus S. Malachiæ familiaris, qui vitam ejus diligentissime scripsit, aliasque ejusdem vaticinationes minoris momenti protulit. 3. quia in ea octo Pseudopontifices Victor IV. Paschalis III. Callistus III. Nicolaus V. Clemens VII. Benedictus XIII. Clemens VIII. & Felix V. inseruntur Pon-

CLXVI.

LUCIUS II.

ANNO CHRISTI 1144.

CONRADI III. 7. MANUELIS COMNENI 2.

LUCIUS II. antea *Gerardus Caccianimicus*, *Bononiensis*, *quem Honorius* II. *ex Canonico Regulari Cardinalem cooptaverat*, (1) tribus diebus
Bar. an. 1144. §. 1. 3. 4. 5. Pag. §. 5. 6. 8. post *Callisti* II. mortem, IV. Idus Martii in ejus locum sublectus est. Hoc Pontifice Alphonsus Dux Lusitaniæ ditionem suam vectigalem fecit Ecclesiæ Ro-

tificibus legitimis, & duo tantum Nicolaus V. & Clemens VII. *Antipapæ* nomine notantur. 4. quia peccat contra Chronologiam: siquidem memorati Pseudopontifices Victor IV. Paschalis III. Callistus III. præponuntur Alexandro III. qui ante ipsos Pontifex fuit: & Clemens VII. Benedictus XIII. & Clemens VIII. collocantur ante Urbanum VI. qui eos præcessit. 5. quia nullam ejus rationem habuerunt viri doctissimi Baronius, Spondanus, Bzovius, Raynaldus, aliique.

Conficta creditur anno 1590. tempore Pontificalium Comitiorum, a fautoribus Cardinalis Simoncelli, quem designarunt hac voce: *De antiquitate Urbis*: siquidem ejus patria erat *Urbs vetus*. Itaque cum facile sit, verum esse vatem de rebus præteritis, vaticinatio illa facile aptatur Pontificibus, qui annum 1590. & Gregorium XIV. præcesserunt: iis autem, qui deinceps fuerunt, minus commode atque per vim. Vide Magnum Dictionarium Historicum Ludovici Moreri editum Basileæ 1733. tom. 5. Verbo *Malachie* pag. 60. & Valemontii Elementa Historiæ edita Venetiis anno 738 tom. 3. pag. 217.

(1) Sigonius lib. 11. De Regno Italiæ ad an. 1144. pag. 452.

Joannes Diaconus De Ecclesia Lateranensi cap. 8. apud Mabillonium tom. 2. Musei Italici pag. 568. *Lucius* II. *vixit in Canonicali proposito longo tempore in Ecclesia ista*.

Romanæ annuo censu unciarum auri quatuor. (2) In hunc rebellantes *Arnaldistæ* Romani, non solum priscam Senatoriam dignitatem instaurare, sed etiam Patricium, cui tamquam Principi parerent, instituere ausi sunt, omnesque Ecclesiæ redditus ei adjudicare, affirmantes, Pontifici decimas & oblationes satis esse debere. Lucius dum rebelles compescere, & Capitolio expellere, eo ascendens cum exercitu, adnititur, lapidis ictu percussus est, ex quo V. Kal. Martii anno 1145. obiit, cum *menses undecim & dies quatuordecim* functus esset munere Pontificali. Bar. an. 1145. §. 2. Pag. §. 1.

CLXVII.

EUGENIUS III.

ANNO CHRISTI 1145.

CONRADI III. 8. MANUELIS COMNENI 3.

POSTRIDIE mortem Lucii II. III. Kal. Martii *communi voto Cleri & populi* subrogatur Eugenius III. *Bernardus* antea dictus, Abbas Romæ in Cœnobio S. Anastasii Ordinis Cisterciensis, S. Bernardi Claravallensis discipulus, contra decretum Bar. an. 1145. §. 2. 3. 13. 33. Pag. §. 3. 4 6.

(2) Victorellus in Addit. ad Ciaconium in Vita Stephani IV. tom. 1. pag. 542. *Regna Ecclesiæ Romanæ tributaria recenset Gretserus libro De* munificentia Principum in Sedem Apostolicam *cap.* 11. *Croatiæ*, *Dalmatiæ*, *Aragoniæ*, *Hispaniæ*, *alia*, *Daniæ*, *Galliæ*, *Portugalliæ*, *Angliæ*, *Hiberniæ*, *Scotiæ*, *Poloniæ*, *Hungariæ*, *Boemiæ*, *Sveciæ*, *Norvegiæ*, *Sardiniæ*, *Saxoniæ*, *Urbem præterea Tarraconensem a Berengario Comite Romanæ eidem Ecclesiæ olim donatam*, *Episcopatum insuper Bambergensem*, *Ducatus Apuliæ*, *Calabriæ*, *Siciliæ*, *Principatum Capuæ*, *Imperium Romanum*. Vide annotat. 6. ad Gregorium III. & annotat. 13. ad Gregorium VII.

tum Stephani III. ut Pontifex ex Cardinalium collegio legeretur. (1) Tertio post die, quam electus fuerat, sibi ab Arnaldistis metuens, cum Episcopis & Cardinalibus noctu profugit ad Cœnobium Farfense, positum in Sabinis quinto & vicesimo ab Urbe milliario; ubi IV. Nonas Martii Pontifex consecratus est. A Cœnobio Farfensi transiit ad Civitatem Castellanam, atque inde Viterbium. Post menses octo, mitigata seditione, Romam demigravit. Redintegrato ibi tumultu, secessit in
Bar. an. Galliam, tutissimum perfugium Pontificum Roma-
1147. §. 3. 10. norum, susceptus a Ludovico VII. perhonorifice.
11. Pag. §. 5. 8. Quo tempore mansit in Regno eo, Concilia Pa-
13. risiis ac Remis habuit, damnavitque Eonem hæ-
Bar. an. reticum quemdam delirum, multa in Euangelio
1145. §. 2. credentem dicta de se, itidemque errores Gilberti
Pag. §. 3. 5. Porretani haud recte sentientis de Trinitate. Treviris quoque per idem tempus Concilium celebravit, in quo scripta Sanctæ Hildegardis diligenter excussa probavit, eamque per epistolam hortatus est, ut illa, quæ instinctu divino afflatuque proferenda didicisset, prudenter proferret. Romam post
Bar. an. annos amplius duos reversus, tertio abire Roma-
1140. § 1. norum turbis est coactus. *Pace cum Romanis facta,*
Pag. §. 2. Pag. an. *Urbem ingreditur, ibique cum eis anno (1152) primi-*
1152. §. 1. *tus commoratur:* (2) ingreditur autem VIII. Idus Septembr. seu V. Idus Octobr. prorsus ut vates vera fuerit Hildegardes, quæ pacem ei sub exitum
Bar. an. Pontificatus prædixerat. Obiit enim anno inse-
1153. §. 10. quente, Nonis Julii Tibure, quo animi caussa re-
Pag. § 2. 3. 4. ceperat sese. Itaque Pontifex fuit *annos octo, menses quatuor, & dies decem.* Demortui corpus Romam delatum est magna pompa funeris, & in Æde S. Pe-

(1) Vide annotat. 2. ad Stephanum III. & annotat. 2. ad Cælestinum II.

(2) Robertus de Monte in Appendice ad Chronicon Sigeberti ad an. 1152. inter Scriptores Rer. Germanic. Pistorii tom. 1. pag. 884.

Petri sepultum, & *miraculis gloriosis illius sepulcrum illustratum*. (3)

CLXVIII.

ANASTASIUS IV.

ANNO CHRISTI 1153.

FEDER. ÆNOBARBI REG. 2. MAN. COMN. 11.

POSTRIDIE, quam Eugenius III. ereptus est e vivis, successor ei datur Anastasius IV. Romanus, cui antea *Conrado* nomen, Cardinalis Episcopus Sabinensis, quem exacta jam ætas verendum faciebat. Ejus in Lateranensem Basilicam beneficentia præcipua laude fertur. Anno, qui secutus est, 1154. IV. Nonas Decembr. moritur, post an-

Bar. an. 1153. §. 11. Pag. §. 5.

(3) Hugo Episcopus Ostiensis epist. 440. inter Epistolas D. Bernardi edit. Mabillonii, loquens de Eugenio III. *Cujus exequiæ præter spem omnium (jam fere enim Senatum adnihilaverat) præter morem consuetum ita per biduum sunt a Clero & populo celebratæ, ut jam crederetis regnantem in Cælis, qui mortuus ita colebatur in terris*. Ex his verbis ita colligit Franciscus Pagius in Præfat. tom. 1. §. 23. *Si* exequiæ *illius Pontificis* per biduum sunt celebratæ præter morem consuetum, *mos ergo adhuc ferebat, mortuos Pontifices vel die eorum mortis, vel altero post die celebrare*.

Pagius ad an. 1151. §. 10. Eugenius III. *suggerente* Gratiano, *Gradus quosdam Academicos excogitavit, non tam annorum, quam profectus, scilicet* Baccalaureatus, Licentiatus, *&* Doctoratus, *ut hoc specioso titulo studiosos ad jus Canonicum amplectendum excitaret, & privilegiis accenderet. Hanc enim graduum Scholasticorum institutionem omnes fere, qui de illis scripserunt, ad* Gratianum *&* Lombardum *retulerunt. Neque ante* Petrum Lombardum *eorum graduum in Scriptoribus mentio, indeque communiter dicitur, eum illos*, Gratiani *imitatione, Parisiis in Theologica disciplina instituisse. Sed hac de re legendus Bulæus Sæc. IV. Hist. Universitatis Parisiensis*.

Bar. an. 1154. §. 2. Pag. §. 1. 2. *annum* Pontificatus *unum*, *menses quatuor & dies tres supra viginti*. (1)

CLXIX.

HADRIANUS IV.

ANNO CHRISTI 1154.

FEDERICI REGIS 3. MANUELIS COMNENI 12.

HADRIANUS IV. Anglus, *Nicolaus* antea dictus, proximo post Anastasii IV. occasum
Bar. an. 1154. §. 3. Pag. §. 1. die in ejus locum subrogatus est. Tres habuit adversarios, Romanos, Gulielmum Siciliæ Regem, & Conradi III. successorem Federicum I. *Ænobarbum*, cui in Italiam advenienti occurrens pacis osculum denegavit, donec sibi stratoris officium de more exhiberet. Romani, cum Arnaldi Brixiensis præsentia, qui rursus irrepserat in Urbem,
Bar. an. 1155. §. 1. 2. 8. 17. 21. rediissent ad furorem pristinum antiquæ Reipublicæ restituendæ, novas turbas excitarunt, eoque provecti sunt, ut Gerardo Cardinali S. Pudentianæ Pontificem adeunti infligerent vulnera. Eam ob rem Hadrianus sacra interdixit Civitati. Tantus inde pavor incussus Clero, populoque Romano, ut Senatores cogeret ad officium redire, juratosque promittere, se, Arnaldo cum sociis expulso, Pontifici subjectos fore: (1) quod cum fecissent, Civitatem liberavit interdictione sacrorum. Solutus cu-

(1) Anastasius IV. in ep. ad Wibaldum Abbatem Stabulensem & Corbejensem in Saxonia, apud Martene tom. 2. Veter. Scriptor. pag. 572. *Usum anuli ex assueta benignitate Apostolicæ Sedis in vita tua tibi tantum duximus indulgendum*.

(1) Arnaldus, referente Ottone Frisingensi De gestis Federici l. 2. c. 21. & Guntero Poeta pariter De gestis Federici l. 3. pag. 43. captus in finibus Hetruriæ,

cura belli domestici, externum suscepit adversus Gulielmum Siciliæ Regem filium *Rogerii*. Belli hujus varia fuit ab initio fortuna. Tandem Hadrianus Beneventi obsessus cum suis in tantas angustias compulsus est, ut *nec se ipsum, nec suos liberare potuerit, nisi conditionibus indignis valde susceptis, quas nullus hactenus Pontifex a quibusvis implacabilibus Romanæ Ecclesiæ hostibus suscepisset tanta jactura Ecclesiasticæ libertatis*. (2) Namque Gulielmo concessit, ut nec Siculis jus esset appellandi Romanum Pontificem, nec Romano Pontifici mittendi Legatos in Siciliam, nisi prius id Rex ipse, ejusque successores petiissent. (3) Offensus in Hadrianum Federicus, quod suspicaretur, eo pacem fecisse cum Gulielmo, ut societate ejus potentior esset adversus se. Itaque cum Hadriano, a quo antea fuerat Imperii corona decoratus, inimicitias suscipere, & dissidii occasionem quærere irrogatis injuriis. (4) Quo ex dissidio post mortem Hadriani exortum est schisma, quod Ecclesiam turbavit annos ferme duodeviginti. Mortuus autem est Anagniæ anno 1159. Kal. Septembr. cum *annos quatuor, menses octo, & dies undetriginta* regnasset: cujus hæc est haud minima laus, quod tantum abfuit a cupiditate opes aggerendi ad suos, ut ma-

Bar. an. 1156. §. 1. 2. 5. 8. Pag. §. 1. 2.

Bar. an. 1157. §. 1. 3. 6. 9. Pag. §. 1. 2. Bar. an. 1159. §. 1. 5. 6. 18. 23. Pag. §. 4. 5.

Appensusque Cruci, flammaque cremante solutus
In cineres, Tiberine, tuas est sparsus in undas,
Ne stolidæ plebis, quem fecerat improbus, error
Martyris ossa novo cineresve foveret honore.

(2) Baronius ad an. 1156. §. 2.

(3) *At ista omnia, quæ contra Ecclesiasticam libertatem, urgente necessitate, per vim & metum extorta sunt ab Hadriano Romano Pontifice per Gulielmum cognomento* Malum *Siciliæ Regem, sub Innocentio Papa* III. *novis pactis, honestioribus conditionibus interpositis, sunt penitus cassata atque prorsus abolita, ipsa vero libertas Ecclesiastica suo robore integrata, atque in pristinum restituta:* Baronius ad an. 1156. §. 8.

(4) Vide epistolam Alexandri III. apud Labbeum tom. 10. Conc. pag. 1362.

matrem relinqueret alendam ſtipe Eccleſiæ Cantuarienſis. (5)

CLXX.

ALEXANDER III.

ANNO CHRISTI 1159.

FEDERICI IMP. 5. MANUELIS COMNENI 17.

Bar. an. 1159. §. 28. 33. Pag. §. 6.

ALEXANDER III. Senenſis, *Rolandus Paperonus* antea dictus, *ad cujus litteraturam pauci de prædeceſſoribus ejus infra centum annos attigerunt*, (1) anno 1159. Idus Septembr. electus eſt invitus renitenſque, & ante diem XII. Kal. Octobr. conſecratus, ornatuſque corona Pontificali. (2) Hic adverſa expertus eſt inſigniter toto fere Ponti-

(5) Hadrianus IV. uſum ſandaliorum & Dalmaticæ conceſſit Wibaldo Abbati Stabulenſi & Corbejenſi in Saxonia. Martene tom. 2. veterum Scriptorum pag. 616.

Fabula eſt, vitam Hadriano ademtam ab muſca, quæ hauſta ſimul cum aqua ita *gutturi ejus adhæſerit*, *ut nullo artificio medicorum avelli potuerit*, tali modo ulciſcente Deo anathema ab eo inflictum Imperatori. Baronius ad an. 1159. §. 20. Bellarminus De Tranſlatione Imperii lib. 1. cap. 3.

(1) Robertus de Monte in Append. ad Chron. Sigeberti inter Scriptor. Rer. Germanic. Piſtorii pag. 930. ubi adjicit: *Dedit etiam ei Deus hanc gratiam, quod cum a B. Petro uſque ad ipſum fuerint 174. Pontifices Romani, tres tantum præceſſerunt eum in numero annorum, quo Romanæ Eccleſiæ præfuerunt. B. Petrus 25. annis, Silveſter I. 23. annis, Hadrianus I. totidem. Iſte Alexander 22.*

(2) Alexander III. epiſt. 9. apud Martene tom. 2. Veterum Scriptorum pag. 663.

Scriptor hujus ætatis apud Baronium ad an. 1159. §. 33. ait, Alexandrum III. *Regno de more inſignitum, mitra turbinata ſcilicet cum corona*. Alexander III. in epiſt. ad Gerardum Epiſcopum Bononienſem apud eumdem Baronium §. 38.

tificatu. Dici enim vix potest, quanta passus sit a quatuor falsis Pontificibus, ab Henrico II. Angliæ Rege, & Federico I. Imperatore. Fugam capere coactus, exulare compulsus, anathemate damnatus, animum numquam despondit, & qua erat constantia plane admirabili, illustrem de adversariis omnibus victoriam reportavit. Primum enim atque alterum ex Pseudopontificibus misere periisse, condoluit, tertium petentem veniam Bar. an. 1164. §. 11. commissi suscepit perhumaniter, quartum perma- Pag. §. 7. 8. nentem in pertinacia ejecit in exilium. (3) Rex Anglorum simul comminatione anathematis, simul con-

38. *Apud Nympham non longe ab Urbe munus consecrationis accepimus, & sicut in Romana Ecclesia moris est, ibidem Pontificali Regno magnifice sumus & solemniter coronati.* Innocentius III. Sermone in Festo D. Silvestri Pontificis: *Romanus Pontifex in signum Imperii utitur Regno, & in signum Pontificii utitur mitra.* Vide annotat. 4. ad Urbanum V.

(3) Pandulphus Pisanus in vita Alexandri III. inter Scriptor. Rer. Italic. tom. 3. pag. 446. *Hic vicit quatuor Schismaticos Octavianum & Vidonem Cremensem, Joannem Strumensem, & Landonem. Primus fecit se vocari* Victorem V. *secundus* Paschalem III. *tertius* Callistum III. *quartus* Innocentium III. *quorum tres Presbyteri Cardinales erant: qui per Papam excommunicati mala morte perierunt.* Paschalis III. instinctu Federici Imperatoris Carolum Magnum Imperatorem, & Regem Francorum retulit in Sanctos. *Sed quod is haud legitimus fuit Pontifex, ejusmodi canonizatio non est recepta ab Ecclesia Romana. Quod tamen non reperiantur legitimi Pontifices eam impugnasse, res sic tacita permissione sive tolerantia perseveravit, ut in propria Ecclesia, ubi sepultus fuit, coleretur. Ita enim Canonum præcipui interpretes declararunt. Propagatus autem postea noscitur ejus cultus in alias Ecclesias Galliæ, Belgii, atque Germaniæ, in quibus idem Carolus sanctitatis titulo colitur.* Spondanus ad an. 814. §. 5. Baronius ad eumdem an. §. 63.

Prosper Cardinalis de Lambertinis de Servorum Dei Beatificat. & Beatorum Canoniz. lib. 1. cap. 9. num. 4. pag. 72. *Conselorius* in suo tractatu de Canonizat. Sanct. cap. 2. num. 2. *Carolum asseris dici posse tantum beatificatum: & hæc quidem sententia retinenda videtur; quidquid etenim sit de con-* *ces-*

Bar. an. 1174. §. 5. 7. Pag. §. 7.

conscientia ictus Thomam Archiepiscopum Cantuariensem ab se diu vexatum, ab suis interfectum, ac paullo post ab Alexandro relatum in sanctos martyres, coluit maximo bono suo, obtinuitque ab eodem Alexandro, *ut Hyberniam, quam ipse nuper domuerat, ad Anglia Regnum sua auctoritate adjungeret.* (4) Imperator vero armis Venetorum subactus cupivit cum Alexandro, qui Venetias demum confugerat, pacem componere. Itaque in vestibulo Ædis D. Marci *Deum in Alexandro venerans, imperiali dignitate postposita, rejecto pallio, ad pedes Papa totum se extenso corpore inclinavit. Quem Alexander cum lacrimis benigne elevans recepit in osculo & benedixit.* Idem *medius postea inter Imperatorem & Ducem ad Altare Beati Marci processit, & sermonem pacis & Venetorum laudes populo faciens in conclusione sic ait. Sicut Dux & Veneti in die Ascensionis Ecclesiam de magnis angustiis liberaverant; ita concedimus, ut vere contriti & confessi singulis annis eodem Festo accedentes ad hanc eorum Ecclesiam plenissimam suorum delictorum veniam, & infra Octavam septima partis remissionem consequantur.* (5) Idem Alexander Venetiis degens

Bar. an. 1177. §. 1. & seqq. Pag. §. 1. & seqq.

cessione facta ab illegitimo Pontifice, tot subsequentes legitimi Pontifices prædictam concessionem sciverunt, minime autem improbarunt, sed per tolerantiam admiserunt: quibus si addatur longissimi temporis observantia, nihil deesse videtur ex requisitis, quæ necessaria sunt pro validitate cultus, quoad Ecclesias particulares, & sic pro sufficienti Beatificatione.

(4) Polydorus Vergilius Historiæ Anglicæ lib. 13. pag. 288.

(5) Sunt hæc verba ipsa Romualdi Archiepiscopi Salernitani hujus historiæ auctoris certissimi, utpote qui tunc Concilio Veneto præsens adfuit, in Chronico apud Labbeum tom. 10. Conc. pag. 1496. & apud Baronium ad an. 1177. §. 6. Auctores item certissimi sunt Andreas Dandulus in Chronico tom. 12. Scriptor Rer. Italic. pag. 303. & Alexander III ipse in epistolis, quas scripsit Venetiis in Rivoalto, apud Baronium ad an. 1177. §. 24. 25. 26. & apud Labbeum tom. 10. Conc. pag. 1486. 1487. 1488. Itaque

gens epiſtolam dedit ad Regem Indorum in Aſia longe lateque dominantem, cujus nomen *Presbyter Joannes*, ſeu *Pretejannus* traditur. (6) Venetis antequam diſcederet gratiam teſtatus conceſſit ſin-

Bb gu-

que jure Baronius ad an. eumd. §. 86. *Stet aſſerta primæ ſententiæ veritas omni contradictore ſuperior, nec labefactetur ulla aſſertione mendaciorum. Quorum illud ceteris magis indecorum, quo aſſeritur factum illud arrogans, & penitus inſuetum, quod humiliatum ad pedes Pontificis caput Imperatoris pede ipſe preſſerit, atque inſultaverit verbis illis ex Pſalmo petitis:* Super aſpidem & baſiliſcum ambulabis, & conculcabis leonem & draconem. *Et quod læſus Imperator in ipſum illud intorſerit:* Non tibi, ſed Petro; *cui retorſerit* Alexander *arrogantius dictum hujuſmodi:* Et mihi, & Petro. *Abhorrens eſt quidem a tanti Christi Vicarii manſuetudine turgens faſtu facinus, penitusque alienum ab ipſius moribus tot actionibus probe notis.* Plura in eamdem ſententiam Felix Contelorius in eo libro, qui inſcribitur: *Narratio concordiæ inter Alexandrum III. ſummum Pontificem, & Federicum I. Imperatorem Venetiis confirmatæ.*

Monumentum defenſi ab Venetis Alexandri III. exſtat Romæ in Vaticano poſitum a Pio IV.

ALEXANDER PAPA TERTIUS
FEDERICI PRIMI IMPERATORIS IRAM ET IMPETUM FUGIENS
ABDIT SE VENETIIS
COGNITUM ET A SENATU PERHONORIFICE SUSCEPTUM
OTTONE IMPERATORIS FILIO NAVALI PRÆLIO
A VENETIS VICTO CAPTOQUE
FEDERICUS PACE FACTA SUPPLEX ADORAT
FIDEM ET OBEDIENTIAM POLLICITUS,
ITA PONTIFICI SUA DIGNITAS VENETÆ REIPUBLICÆ
BENEFICIO RESTITUTA
MCLXXVII.

(6) Otto Friſingenſis lib. 7. cap 33. loquens de Epiſcopo Gabulenſi e Syria miſſo ad Eugenium III. *Narrabat etiam, quod ante non multos annos Joannes quidam ultra Perſidem & Armeniam in extremo Oriente habitans, Rex & Sacerdos cum gente ſua Christianus eſt, ſed Neſtorianus.* Hunc non in Africa, ut creditum eſt a nonnullis, ſed in Aſia regnaſſe probat Pagius ad an. 1145. §. 9. & ad an. 1177. §. 7.

gularia jura multa. (7) Romam pace composita regressus, Concilium Oecumenicum instituit ad vindicandam Ecclesiæ disciplinam. (8) Alphonso I. Du-

(7) De quibus M Ant. Sabellicus Hist. Rer. Venet. Dec. 1. lib. 7. pag. 118. & 120. Inter cetera Ciano Principi Venetias reverso post devictam in Histriæ ora classem Federici Cæsaris, captumque Ottonem filium ejus, *primo victoriam gratulatus: inde anulum porrigens aureum*, Accipe, *inquit*, Ciane, & me auctore ipsum mare hoc tibi pignore obnoxium reddito: quod tu tuique successores quotannis stato die servabitis, ut omnis potestas intelligat, maris possessionem jure belli vestram esse quandoque factam: atque uti uxorem viro, ita illud vestro subjacere imperio.... *Ferunt, Dominicæ Ascensionis die*, seu *per eos dies victoriam* de Federico *partam, ac in tam felicis rei memoriam Pontificem sanxisse, ut quotannis stato die in* D. Marci *æde, plena omnibus, qui confessionem fecissent, pateret venia*. Consentit Dandulus loco citato.

Concil. Oecum. XI. (8) Lateranense III. Oecumenicum XI. anno 1179. celebratum. Interfuerunt Episcopi tercenti, referente Gulielmo Tyrio, qui præsens adfuit, lib. 21. De bello Sacro extremo cap. 26. in Bongarsii Gestis Dei per Francos tom. 1. part. 2. pag. 1013. Præfuit ipse Alexander III. Canones septem & viginti conditi. Decretum, *ut si forte inter Cardinales de substituendo summo Pontifice non poterit esse plena concordia, & duabus partibus concordantibus pars tertia concordare noluerit, aut sibi alium præsumserit nominare, ille absque ulla exceptione ab universali Ecclesia Pontifex habeatur, qui a duabus partibus concordantibus electus fuerit & receptus*. Extat decretum Cap. *Licet* 6. De Electione. Itaque, ut annotavit Panvinius ad Platinam pag. 157. *Clero omnino, & populo a Pontificis electione exclusis, ea ad Cardinales solos tunc primum redacta est, ad evitanda in posterum schismata*. Functio Ordinum sacrorum interdicta iis, qui a Pseudopontificibus initiati fuissent. Vetitum, ne quis *sine certo titulo, de quo necessaria vitæ percipiat, in Diaconum vel Presbyterum ordinetur*: quæ est prima *tituli Patrimonialis* mentio: ne Clericus *Monasteria Sanctimonialium frequentet sine manifesta & necessaria caussa*: ne Laici imponant Ecclesiis onera; ne arma, ferrum, ligna Turcis aut Saracenis importentur: ne *usurarii manifesti ad communionem admittantur Altaris*, neve *Christianam, si in hoc peccato decesserint, accipiant sepulturam*. Damnati Albigenses hæretici, aliaque statuta sanciendæ Ecclesiasticæ disciplinæ.

I. Duci Lusitanorum *Regis* titulum contulit, ob gesta præclara adversus Saracenos. Decrevit, ut nullus haberetur in numero Sanctorum, nisi auctoritate Ecclesiæ Romanæ. (9) Illud etiam memoriæ proditum de eo, restituendæ *Justinianorum* familiæ inter Venetas clarissimæ indulsisse Nicolao Justiniano, ut abdicato monastico instituto uxorem duceret. (10) Vitam posuit in Urbe Castella-

(9) Habes decretum in tit. De Reliq. & venerat. Sanct. cap. *Audivimus* 1. Eminentissimus Scriptor Prosper de Lambertinis De Serv. Dei Beatif. & Beat. Canoniz. lib. 1. cap. 10. §. 4. *De hac Alexandri* III. *Decretali magna est inter scribentes disputatio, an per illam inductum fuerit jus novum, Sedi Apostolicæ reservans, privative quoad Primates & Episcopos, & ceteros omnes, jus statuendi, an huic, aut illi Servo Dei cultus præstari debeat, nec ne, ablata ceteris omnibus facultate, quam habebant in suis Provinciis, & Diœcesibus indulgendi Dei Servis Beatificationis honores: seu potius, an jus hoc privativum fuerit ante prædictam Decretalem introductum, perinde ac si eadem latam præsupponat aliam legem, aut antiquiorem introductam consuetudinem, quæ Apostolicæ Sedi jus illud privativum reservaverit*. Post hæc e vestigio profert Scriptores in partem utramque. Et §. 8. *Edita porro ab Alexandro* III. *supra relata Decretali, subsequentia Ecclesiastica monumenta nedum aperte loquuntur de potestate canonizandi, sed etiam beatificandi Summo Romano Pontifici, privative quoad alios omnes, reservata. Innocentius* III in Bulla Canonizationis B. Chunegundis Imperatricis *de potestate canonizandi sic effatur*: Cum hoc sublime judicium ad eum tantum pertineat, qui est B. Petri successor, & Vicarius Jesu Christi. Postremo asserit, *inhibitam quidem fuisse a tempore Alexandri* III. *Beatificationem, quæ fiebat ab Episcopis, sed nonnullas fuisse toleratas, ab eis post dicta tempora factas, & quodammodo approbatas, si centenaria non deesset præscriptio: hæc autem omnia cessasse, cum anno* 1634. *prodierint* Urbani *decreta centenariam prædictam præservantia*.

(10) Bernardus Justinianus in Vita S. Laurentii Justiniani cap. 1. apud Surium, & Bolland. die 8. Jan. pag. 552. Joannes Baptista Gonet tom. V. Clypei Theologici disputat. 9. De impedimentis dirimentibus art. 2. §. 4. *respondet ex Baronio* (ad an. 1186. §. 29.) *auctorem hujus historiæ* (Bernardum Justinianum quem modo nominavi) *duo inter*

se

Bar. an. 1181. S. 5. Pag. S. 2. na anno 1181. III. Kal. Septembr. acto Pontificatu per *annos unum & viginti, menses undecim diesque tres supra viginti*.

CLXXI.

LUCIUS III.

ANNO CHRISTI 1181.

FEDERICI 27. ALEXII COMNENI 2.

LUCIUS III. antea *Humbaldus Allucingolus*, Lucensis Kal. Septembr. anno 1181. ex præscripto Concilii Lateranensis III. Pontifex factus est Bar. an. 1181. S. 15. Pag. S. 5. apud Velitras, & VIII. Idus Septembr. coronatus. (1) Romam progressus, haud diu ibi commoratur.

se pugnantia scripsisse: ait enim, Alexandrum III. *cum Nicolao Justiniano dispensasse, & B Laurentium Justinianum ejus filium claruisse tempore Eugenii* IV. *& ab eo Episcopali infula insignitum fuisse. Quæ duo inter se pugnant, quandoquidem Alexander* III. *Eugenium plusquam ducentis annis præcessit. Prior enim obiit anno* 1181. *posterior creatur est anno* 1431.

In hac responsione Gonetus in eo quidem fallitur, quod ponit Bernardum Justinianum facere S. Laurentium filium Nicolai, cum faciat filium Bernardi, quem Nicolaus ex Anna filia Vitalis Michaelis Ducis Veneti susceperat. Ecce verba cap. 1. *Natus est Laurentius Venetiis Bernardo Justiniano patre, matre vero Quirina*. Et paullo post: *Natus est Laurentius sub finem belli Genuensis illius maximi & periculosissimi, & natus quo die pro insigni apud Clodiam victoria universa Civitas supplicationibus, & omni lætitiæ genere redundabat*, videlicet VII. Kal. Julii anno 1381. ut notant ex Sabellico Bollandistæ die 8. Jan. pag. 553.

Quod vero pertinet ad Alexandri III. Eugenii IV. & S. Laurentii Justiniani ætatem, & ad Chronologiam viderint alii.

(1) Gaufridus Vosiensis Lucio III. coævus in Chronico apud Labbeum tom. 2. Novæ Bibliothecæ MSS. Librorum pag. 327. *Feria* 3. *eligitur Humbaldus, qui Pontifex e-*

tas

tur. Nam diffidentibus ab se Romanis, veritus, ne manens in Urbe jacturam faceret dignitatis, decessorum exemplo discessit, & Velitris, proximisque in locis consedit. Postea Romam iterum contendit, ut Romanorum animos tranquillaret. Sed aliter evenit, atque cogitarat. Etenim civili seditione expulsus est. Itaque Veronam se contulit, ubi congressus est cum Imperatore ad colloquium Christianæ Reipublicæ caussa. Eadem in Urbe mortuus anno 1185. VIII. Kal. Decembr. sepultus est in Templo maximo, post *annos quatuor, menses duos, & dies duodeviginti*, quam Pontifex consecratus fuerat. (2)

Bar. an. 1183. §. 2. 3. Pag. §. 1.

Bar. an. 1184. §. 2. Pag. §. 1. 2.

Bar. an. 1185. §. 5. 11. Pag. §. 1. 12. 13.

rat Ostiæ & Veliterniensis Urbium. Sequenti Dominica prima Septembris coronatur & insignitur a Theodino Episcopo Portuensi, & ab Archipresbytero Ostiensi juxta consuetudinem. Nam, *si forte Episcopus Ostiensis præsens non fuerit, Archipresbyter Ostiensis seu Veliternus interesse debet consecrationi*, ut ait Cencius de Sabellis Cardinalis, qui postea fuit Pontifex Honorii III. nomine, in Ordine Romano apud Mabillonium tom. 2. Musei Italici pag. 212. Ex his intelligis, jus consecrandi Pontificem ita fuisse proprium Episcopi Ostiensis, ut si hic fieret Pontifex, vel interesse consecrationi non posset, Archipresbyter Ostiensis deberet in ejus locum succedere vicemque supplere. *Nunc vero*, ut ait Garnerius in notis ad Librum Diurnum Rom. Pont. tit. 8. cap. 2. *cum inter* Cardinales *plures sint Episcopi, qui tres aliis ætate præeunt, consecrandi Pontificis jure gaudent*. Vide annotat. 1. ad S. Marcum, & 1. ad S. Leonem II.

(2) Ptolomæus Lucensis Hist. Eccl. lib. 20. cap. 34. tom. 11. Scriptor. Rer. Italic. pag. 1112.

Tradunt Historiæ tale epitaphium insculptum sepulcro, in quo ortus suus describitur, processus suus, & exitus:

Luca dedit lucem tibi, Luci, Pontificatum
Ostia, Papatum Roma, Verona mori.

Et inde ponuntur versus contrariæ sententiæ, quasi quoddam apologeticum primorum:

Immo Verona dedit verum tibi vivere, Roma
Exilium, curas Ostia, Luca mori.

CLXXII.

URBANUS III.

ANNO CHRISTI 1185.

FEDERICI 31. ISAACI ANGELI 1.

EODEM die, quo Lucius III. est sepultus, VII. Kal. Decembr. *Lambertum Cribellum*, Mediolanensem Archiepiscopum, eumdemque Cardi-
Bar. an. 1185. §. 11. nalem Presbyterum Cardinales suffecerunt, ac
An. 1186. §. 1. 10. mox consecratum *Urbanum* III. appellarunt. Hic
Pag. §. 1. 3. nondum sedatis Romae turbis substitit Veronae. Ad colloquium veniens cum Federico tria graviter conquestus est; unum quod detineret Mathildis patrimonium pertinens ad Ecclesiam Romanam: alterum quod mortuorum Episcoporum bona redigeret in publicum: tertium quod aliquot Cœnobiorum reditus sibi usurparet, devotis Christo Virginibus ejectis per speciem restituendi moris, ac disciplinae. Commotus quidem ad haec Imperator, cohibuit tamen sese, ut Urbanum pelliceret ad coronam Imperii imponendam Henrico filio suo. Ast Urbanus secutus exemplum decessoris sui Alexandri III. id facere constanter recusavit, nisi prius ipse se Imperio abdicaret. E contrario facilem se praebuit Henrico II. Angliae Regi annuens, ut quem mallet ex filiis coronaret in Regem Hiberniae, legavitque in id Octavianum Cardinalem. Solicitus de Christianorum Principum
Bar. an. concordia, quos cupiebat arma ferre adversus
1187. §. 2. Christiani nominis hostes, Venetias iter instituit
Pag. §. 12. 13. comparandae caussa classis, quam Christianis in Asiam subsidio mitteret. Cum Ferrariam pervenisset, nuntio de capta a Saladino Urbe Hierosolymo-

morum perculsus, & ab dolore in morbum implicitus, ibidem anno 1187. XIV. Kal. Novembr. decessit, Pontificatus sui *anno primo, mense decimo, die quinto & vicesimo*. (1)

CLXXIII.

GREGORIUS VIII.

ANNO CHRISTI 1187.

FEDERICI 33. ISAACI ANGELI 3.

GREGORIUS VIII. antea *Albertus*, filius Sartorii de Mora, Beneventanus, postridie obitus Urbani III. Ferrariæ fit Pontifex. Eum maxime intentum habuit cura Urbis Hierosolymorum Barbaris eripiendæ. Quare Christianos omnes studuit per litteras incendere desiderio expeditionis sacræ: propitiandoque Divino Numini jejunium indixit in annos quinque, ut Christiani omnes feria sexta jejunarent ad modum Quadragesimæ, feria vero quarta & Sabbato carnibus abstinerent, idque ipse & Cardinales cum familiis suis facerent etiam feria secunda. Qui non exequeretur mandata, ejusdem culpæ reus esset, ac si Quadragesimæ jejunium violasset. Post hæc Ferraria Pisas se contulit, ut pace inter Pisanos & Genuenses composita utrosque tempestate illa pollentes opibus maritimis hortaretur ad classem contra Saladinum Regem Saracenorum instruendam. Ibi morbo intempestive oppressus est XVI. Kal. Januar. cum non ultra *dies septem & quinquaginta* gessisset Pontificatum.

Bar. an. 1187. §. 12. 13. 17. Pag. §. 14. 15. 16.

(1) Hugo Altissiodorensis apud Pagium ad an. 1187. §. 12. *Ferrarienses Cives miram defuncto honorificentiam exhibuere, & septem diebus ejus exequias cum immensis luminaribus celebrarunt.*

CLXXIV.

CLEMENS III.

ANNO CHRISTI 1187.

FEDERICI 33. ISAACI ANGELI 3.

CLEMENS III. eodem anno 1187. XIV. Kal. Januar. ſummo Sacerdotio Piſis præficitur. Bar. an. 1188. §. 1. 22. 23. *Paulinus Scholaris* Cardinalis Epiſcopus Prænestinus antea appellabatur. Hic demum tenuit, ut rebelles Pag. §. 1. 2. Romani ad obſequium Eccleſiæ redirent, finemque impoſuit ſeditioni ab Arnaldiſtis excitatæ, quæ Pontifices omnes poſt Innocentium II. abeſſe Urbe, quaſique exulare coegerat. Pace compoſita in conditiones, quas ex Rogerio Hovedeno recitat Baronius, Romam cum Cardinalibus ingreſſus eſt lætitia omnium ingenti. (1) Exiit e vita anno 1191.

IV.

(1) Panvinius in annotat. ad Platinam pag. 162. *Perpetua per annos plus minus quinquaginta inter populum Pontificeſque Romanos ab Innocentio* II. *uſque ad Clementem* III. *diſcordia civilis fuit, regiminis Urbani occaſione excitata: cum populus Romanus, Pontifice ſuo Urbis adminiſtratione ſummoto, Senatores, qui Reipublicæ præeſſent, cum Patricio quodam, ſumma cum auctoritate creaſſent, ut Otto Friſingenſis Epiſcopus libro hiſtoriarum 7. & lib. primo De geſtis Federici Imperatoris, capitibus ſupra citatis, & Abbas Urſpergenſis, item vitarum Pontificum incerti nominis ſcriptor Bibliothecæ Palatinæ auctores ſunt. Ex cujus rei occaſione Innocentius* II. *& Cæleſtinus* II. *animi dolore defecerunt, Lucius* II. *pene eſt interfectus, Eugenius* III. *Alexander* III. *& Lucius* III. *urbe pulſi, Urbanus* III. *& Gregorius* VIII. *exules fuere: donec noviſſime tanti diſſidii utraque parte pertæſa, populus Romanus cum Pontifice populari ſuo Clemente* III. *pacem æquis conditionibus facit, Senatoribus confirmatis, Patricii vero loco Præfecto, quem magiſtratum aboleverant, refecto. Hujus pacis fœdera & conditiones cum omnium ſubſcriptionibus ex libris cenſuum Cameræ Apoſtolicæ exceptas adhuc apud me ſunt. Diuturna deinde quies, & tranquilla Eccleſiæ tempora fuerunt.*

IV. Kal. April. post *annos ac menses tres, & dies decem*, quam Pontifex creatus erat. Bar. an. 1191. §. 1. Pag. §. 1.4.

CLXXV.

CAELESTINUS III.

ANNO CHRISTI 1191.

HENRICI VI. IMP. 1. ISAACI ANGELI 7.

CÆLESTINO III. Romano, *Ursino*, cui *Hyacinthus* antea nomen, admodum seni, scilicet annos nato quinque circiter & octoginta, anno 1191. III. Kal. April. summum Sacerdotium mandatum est. Hic XVIII. Kal. Majas solemni Paschæ die Pontifex consecratus, (1) postridie Henricum VI. Germaniæ Regem consecravit Imperatorem. (2) Eumdem postea damnavit anathemate, propterea Bar. an. 1191. §. 1.9. Pag. §. 1.2.

(1) Tam electionis, quam consecrationis ritum id temporis servari solitum describit Cencius de Sabellis, ipsius Cælestini III. Cubicularius, *Cencius Camerarius* prætereа dictus, cap. 48. Ordinis Romani apud Baronium ad an. 1191. §. 2. & apud Mabillonium tom. 2. Musei Italici pag. 210. ubi meminit etiam Sedis *Stercorariæ*: quam *non ita fuisse appellatam, quasi esset perforata, sed quod Pontifice in ea stante hæc Psalmi CXII. verba canerentur*, & de stercore erigit pauperem, docet Mabillonius Commentario prævio in Ordinem Romanum pag. 121. addens facile revinci eos, qui hujus sedis originem deducunt ab Joanna Pseudopapissa, quod nulla mentio ejus inveniatur ante sæculum duodecimum.

(2) Rogerius Hovedenus in Annal. Angl. apud Bar. ad an. 1191. §. 10. *Sedebat Dominus Papa in Cathedra Pontificali tenens coronam auream Imperialem inter pedes suos, & Imperator inclinato capite recepit coronam, & Imperatrix similiter de pedibus Domini Papæ. Dominus autem Papa statim percussit cum pede suo coronam Imperatoris, & dejecit eam in terram significans, quod ipse potestatem ejiciendi eum ab Imperio ha-*

Bar. an. 1193. §. 18. Pag. § 6. 7. Bar. an. 1195. §. 5. An. 1197. §. 6. 9. Pag. §. 3.

pterea quod Ricardum Angliæ Regem revertentem ab expeditione sacra captum a Leopoldo Austriorum Duce, sibique traditum coegisset libertatem redimere magna pecuniæ vi. Eumdemque Messanæ vita defunctum ante sepeliri vetuit, quam id Angliæ Rex permisisset, recepissetque extortam pecuniam. At Henricus suæ sibi conscius culpæ testamento condito non solum præceperat Federico filio suo, ut pecuniam Ricardo Regi restitueret; sed etiam ut jura omnia ab Regibus Siciliæ debita Romanæ Ecclesiæ tribueret, adjecta insuper conditione, ut eo decedente *sine herede regnum Siciliæ ad Romanam Ecclesiam deveniret*. (3) Multis Cælestinus decretis Ecclesiasticam disciplinam stabilivit, statuitque inter cetera, ut pueri Monasteriis oblati a parentibus possent, cum adultam ætatem attigissent, abscedere pro arbitrio. (4) Mortem obiit anno 1198. VI. Idus Januar. cum *annos sex, menses, & dies novem* egisset in Pontificatu. Moriturus curavit vehementer, ut Cardinales agerent de successore eligendo, voluitque se abdicare, si *Joannem de S. Paulo* Cardinalem S. Priscæ sufficerent in lo-

Bar. an. 1198. §. 1. Pag. §. 1.

habet, si ille demeruerit. Sed Cardinales statim arripientes coronam, imposuerunt eam capiti Imperatoris Narratio hæc, quam Baronius probat, *suspicione falsitatis laborat* apud Natalem Alexandrum Hist. Eccl. sæc. 11. & 12. cap. 2. art. 13.

(3) Sunt verba ipsa testamenti Henrici Imperatoris apud Baronium ad an. 1197. §. 9.

(4) Refertur decretum cap. *Cum simus* 14. *De Regularibus*. Nimirum non licuit olim pueris Parentum promissionem irritam facere, nec relinquere monasteria, quibus fuerant oblati. Agit hac de re Mabillonius in Præfat. part. 2. sæc. 4. Benedictini num. 199. & part. 1. Sæc. 6. num. 36. Tom. 2. Analect. pag 530. ac in memorata quidem præfat. sæc. 4. concludit, consuetudinem illam demum abrogatam fuisse *Clementis* III. *& Cælestini* III. *auctoritate, cui tandem accessit Concilium Tridentinum*.

locum ſuum. At illi non conſenſere, *dicentes, quod inauditum erat, quod ſummus Pontifex ſe deponeret*. (5)

CLXXVI.

INNOCENTIUS III.

ANNO CHRISTI 1198.

IMP. OCCID. VACANTE, ALEXII ANGELI 4.

INNOCENTIUS III. *Lotharius* antea dictus, Tranſimundi Signiæ Comitis filius, vir omnis divini atque humani juris conſultiſſimus, annos natus ſeptem & triginta, eodem die, quo Cæleſtinus III. eſt tumulatus, VI. Idus Januar. anno 1198. plorans ac renitens ſufficitur, & VIII. Kal. Mart. conſecratur. (1) Claruit magnitudine aç varietate rerum geſtarum, ſummaque conſtantia adverſus Imperatores, Reges, & Principes quoſcumque Eccleſiæ adverſantes. Præfecto Urbis, & Senatoribus jurejurando adactis populum Romanum tenuit in poteſtate, & ademtas Romanæ Eccleſiæ terras redegit ſub jus. Conſtantiæ Auguſtæ olim conjugi Henrici VI. Imperatoris, ejuſque filio Federico fiduciarium conceſſit Regnum Siciliæ, Ducatum Apuliæ, & Principatum Capuæ, abrogatis

Bar. an. 1198. §. 3. Pag. §. 3. Raynaldus an. 1198. §. 1. 2. 5. 12. 13. 14. 67. 88. Spondanus §. 2. 3. 6.

(5) Hujus temporis ſcriptor Rogerius memoratus apud Baronium ad an. 1198 §. 1.

(1) *Quia tunc Diaconus erat, dilata eſt ejus Ordinatio in Presbyterum uſque ad Sabbatum quatuor Temporum IX Kal. Martii, & ſequenti Dominica, in qua tunc occurrit Feſtum Cathedræ S. Petri, fuit apud S. Petrum in Epiſcopum conſecratus, & in ejuſdem Apoſtoli Cathedra conſtitutus*: Auctor coævus Vitæ Innocentii III. tom. 3. Scriptor. Rer. Italic. pag. 487.

Baronii Annales deſinunt in electionem Innocentii III. & annum Chriſti 1198.

tis juribus, quæ Gulielmus II. ab Hadriano IV. extorſerat. Diſceptantibus de Imperio Philippo Suevo, atque Ottone Saxoniæ Duce, ipſe cauſſam adjudicavit Ottoni, eidemque poſt Philippi mortem Imperii inſignia impoſuit. Haud manentem in pactione, invadentemque contra jusjurandum (2) provincias Romanæ Eccleſiæ, & communione Chriſtianorum, & Imperio ſummovit, aſſenſuſque eſt Germaniæ Principibus Federicum II. Regem Siciliæ ſubrogantibus in locum ejus. Boemiæ Ducem auxit *Regis* titulo, regiamque coronam ipſe Romæ impoſuit Petro Regi Aragoniæ, qui ut gratiam referret, ditionem ſuam Romanæ Eccleſiæ fecit vectigalem. Primus omnium conſtituit Inquiſitores Catholicæ Fidei adverſus Albigenſes. (3) Idem fuit inſtinctor belli, quo, capta a *Crucesignatis* Conſtantinopoli, Græcum Imperium translatum eſt ad Latinos, ac Balduinus Flandriæ Comes magno conſenſu factus Imperator, primuſque Latinus Patriarcha Thomas Maurocenus Venetus Patricius. Nec de Albigenſibus Gallia, Saracenis Hiſpania exturbandis eidem cura deceſſit. Recuperandæ etiam Palæſtinæ conſilia contulit, ratus Latino Imperatore regnante Conſtantinopoli facilius ad ſpem eventum reſponſurum. Ob id Concilium Oecumenicum XII. Lateranenſe IV. indixit. (4) Sed quomi-

Rayn. an. 1200. §. 22. Spond. §. 1.

Rayn. an. 1210. §. 1. 2. Spond. §...

Rayn. an. 1204. §. 5. 55. 57. 71. Spond. §. 7. 8. 15.

Rayn. an. 208. §. 15.

(2) Vide Raynaldum ad an. 1209. §. 10. 12.

(3) Van eſpen Juris Eccleſiaſtici univerſi part. 1. tit. 22. cap. 3. §. 3.

(4) Indictum anno 1213. anno 1215. celebratum eſt trium rerum cauſſa, ut damnarentur Albigenſium, Joachimi Abbatis, & Almarici errores, ut reſtitueretur depravata Eccleſiæ diſciplina, utque ageretur de Palæſtina recuperanda. Concilio interfuerunt Epiſcopi 412. In his Patriarchæ Conſtantinopolitanus, & Hieroſolymitanus. Antiocheni morbo laborantis vicem geſſit Epiſcopus Antheradenſis. Alexandrinus tyrannide Saracenorum oppreſſus legavit Germanum Diaconum. Primates & Metropolitæ ſeptem & ſeptua-

Concil. Oecum. XII.

minus bellum sacrum apparari posset, Genuensium ac Pisanorum discordia obstabat. Hos ut concilia- ret, Rayn. an. 1216. §. 9. Spond. §. 12.

ptuaginta. Cœnobiarchæ amplius octingenti. Absentium Præsulum, & Capitulorum procuratores complures. Federici II. electi Imperatoris Romanorum, Imperatoris item Constantinopolitani, Regis Christianissimi Philippi Augusti, Regum Angliæ, Hungariæ, aliorumque Oratores. Præfuit ipse Innocentius III. Canones septuaginta conditi in eo, non post dimissionem ejus ab uno Innocentio, ut quidam falso existimarunt. De omnibus quoniam longum est dicere, præcipuos attingam. Primus exponit Catholicam Fidem de sanctissima Trinitate, de rerum creatione, Verbi incarnatione, veritate Corporis & sanguinis Christi in Eucharistia, de Sacramentis Baptismi, & Pœnitentiæ ad coercendos Albigenses, aliosque renovantes veterum hæreticorum errores. Admirabilem conversionem panis & vini in corpus & sanguinem Domini appellat *transubstantiationem* vocabulo maxime idoneo calumniatoribus refellendis. Sed quoniam eo ante nemo tali in re usus erat, idcirco dogma *transubstantiationis* ab hac primum Synodo inventum esse, dicunt recentes Heterodoxi ausu plane temerario: *quoniam res antiqua novum nomen accepit, non vocabulo novo novæ rei virtus accessit*, ut verbis utar Vigilii Tapsensis ex disputatione Athanasii cum Ario num. 11. pag. 634. tomi 2. Operum S. Athanasii.

Alter canon primum damnat libellum Abbatis Joachimi contra Petrum Lombardum, in quo asserebat, ut ait Eymericus in Directorio Inquisitorum part. 2. quæst. 7. pag. 248. *Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum esse unum, non unitate essentiæ & naturæ, sed collectiva unitate, sicut cum dicimus, quod multi homines sunt unus populus*. Deinde reprobat *perversissimum dogma impii Almarici*, qui docebat, ut est apud Spondanum ad an. 1204. §. 17. *quemlibet Fidelem omnino teneri credere, se esse membrum Christi: ita ut dum a Judæis Christus pateretur, una cum ipso quique Fideles dolorem fuerint re vera perpessi; & alia ejusmodi plurima, quæ collegerunt, qui de Hæresibus scripserunt*.

Tertius anathema, & supplicia decernit in hæreticos, & Civilibus Magistratibus puniendos tradi jubet, eorumque bona publicari. Principes, qui ditionem suam erroribus Albigensium purgare negligerent, sacra detestatione perstringit, ac nisi intra annum imperata facerent, eorumdem ditionem *exponit Catholicis occupandam*. Porro Albi- gen-

ret, Roma profectus Perusiæ in morbum incidit, ex quo anno 1216. XVII. Kal. Augusti vita eum de-

genses errabant ponentes duo principia, bonum & malum, Deum & Diabolum, negantes corporum resurrectionem, spernentes Baptismum, & Eucharistiam, docentesque animarum transmigrationem de corpore ad corpus. Hæc & similia Sanderus apud Labbeum tom. 10. Conc. pag. 1534.

Canone quinto statuitur, *ut post Romanam Ecclesiam, quæ disponente Domino super omnes alias ordinariæ potestatis obtinet principatum, utpote mater universorum Christifidelium & magistra, Constantinopolitana primum, Alexandrina secundum, Antiochena tertium, Hierosolymitana quartum locum obtineat*. Decimo tertio *prohibetur, ne quis de cetero novam religionem inveniat: sed quicumque voluerit ad religionem converti, unam de approbatis assumat:* quæ prohibitio redintegrata est a Gregorio X. in Concilio Lugdunensi II. Oecum. XIV.

Vicesimo primo statutum est, ut Christiani cum ad eam ætatem pervenerint, qua rationis usum habere possunt, peccata sua confiteantur *proprio Sacerdoti*, ac sacrum Domini corpus semel saltem quotannis in Pascha sumant, aliter arcendi ab Ecclesia: utque Sacerdotes peccata omnia, quæ Fideles ipsis confessi fuerint, perpetuo & religioso silentio compressa teneant. Sacramentalem Confessionem Synodus hoc loco non ipsa primum præcepit, ut recentes Heterodoxi blaterant, sed a Christo præceptæ tempus præstituit. *Ratio enim Ecclesiastici præcepti*, ut ait Cardinalis Cajetanus in Opusculis tract. 5. de Confessione quæst. 1. pag. 81. *non est præcipere confessionem, sed præceptam divino jure confessionem determinare quoad tempus executionis: & propterea sub Ecclesiæ præcepto non alia comprehenditur confessio, quam illa quæ a Christo est præcepta*.

Canone 68. jubentur Judæi seu Saraceni inter Christianos ubicumque degentes, indumenti genus aliquod gestare, quo internoscantur a Christianis: idque ob eam caussam, ne *per errorem Christiani Judæorum seu Saracenorum, & Judæi seu Saraceni Christianorum mulieribus commisceantur*. Adjectum quoque, ne *in diebus Dominicæ passionis in publicum prodeant*. Ceterum canones omnes relati sunt in corpus Juris Canonici nomine Concilii Generalis, ideoque in Jure Canonico Concilium Generale idem est, atque Concilium Lateranense IV. Oecumenicum XII.

Quod attinet ad expeditionem sacram, ea decreta in an-

defecit acta in Pontificatu *annos duodeviginti*, *menses sex*, & *dies novem*. (5)

CLXXVII.

HONORIUS III.

ANNO CHRISTI 1216.

OTTONIS IV. 8. HENRICI II.

HONORIUS III. ante *Cencius de Sabellis*, *Romanus*, *vir doctus & morum integritate sanctissimus* (1) XV. Kal. Augusti anno 1216. Perusiæ factus est Pontifex, & IX. Kal. consecratus. (2) Pridie Kal. Septembr. Romam venit, exceptus totius Rayn. an. 1216.§.4.21. Spond. §. 14.

annum alterum. Huic qui nomen darent, iis multæ indulgentiæ & privilegia concessa. In hanc per annos tres imperata Clericis cujuscumque Ordinis ac dignitatis pars redituum Ecclesiasticorum vicesima, summo Pontifici & Cardinalibus decima: pax insuper indicta cunctis Principibus Christianis sub pœna anathematis.

(5) Jacobus Ludovicus a S. Carolo in Bibliotheca Pontificia, postquam memoravit Innocentii III. scripta multa, adjicit compositum ab eo Rhythmum quoque *Stabat Mater dolorosa*, quem B. Jacopono tribuunt Gulielmus Cave in Appendice ad Historiam Litterariam pag. 6. & Justus Fontaninus De Itala Eloquentia lib. 2. cap. 8 pag. 132. Eckeardus auctor vitæ B. Notkeri Innocentio III. coævus apud Mabillonium Sæc V. Benedictino pag. 18. dicit *piam illam de Spiritu Sancto sequentiam*, Veni Sancte Spiritus, *compositam fuisse* ab eodem Pontifice.

(1) Nauclerus lib. 2. Chronographiæ generat. 41. pag. 916.

Honorius III præter cetera scripsit *Ordinem Romanum*, qui extat apud Mabillonium tom. 2. Musei Italici pag. 167.

(2) Ab Honorii III. electione cœptum laudabilem morem inclusionis Cardinalium in Conclavi, falso scribit Ciaconius in vita ejus: idem tamen in vita Gregorii X. verissime dicit, ante eum *nequaquam Cardinales intra Conclave includi* solitos. Vide annotat. 2. ad Gregorium X.

tius Civitatis gaudio ingenti. Petrum Corteniacum Comitem Altissiodorensem, suffectum in locum Henrici Imperatoris Constantinopolitani sine liberis vita defuncti, consecravit in Æde S. Laurentii extra muros, (3) dataque epistola ad Constantinopolis Patriarcham, factum excusavit, ne quis putaret aliquid derogatum de jure inaugurandi Imperatoris Orientalis, quo gaudent Antistites Ecclesiæ Constantinopolitanæ. Eumdem Honorium & Palæstinæ recuperandæ, & hæresis Albigensium opprimendæ cura tenuit. (4) Ob id habita in Urbe supplicatione, capita Apostolorum Petri & Pauli nudis pedibus gestans pacem & opem poposcit Dei. Partem Corsicæ insulæ concessit Genuensibus lege ea, ut libram auri persolverent in annos singulos. Federicum II. Henrici VI. filium, & Federici I. Ænobarbi nepotem, Imperii insignibus decoravit, obtinuitque ab eo, ut terras Comitissæ Mathildis Romanæ Ecclesiæ restitueret: frustra tamen institit, ut fidem exsolveret de expeditione suscipienda in Palæstinam. Omnium primus largitus dicitur indulgentiam aliquot dierum per occasionem *canonizationis Sanctorum*. Pœnas gravissimas constituit in eos, qui ausi essent violare Cardinales, quos haberi voluit sacrosanctos. Diem obiit XV. Kal. April. anno 1227. *decimo, & mense octavo*, quam cœperat Pontificatum.

Rayn. an. 1217. §. 4. 18. 28. 49. 100. Spond. §. 1.

Rayn. an. 1220. §. 21. Spond. §. 1. Rayn. an. 1221. §. 29.

Rayn. an. 1225. §. 39. 50. An. 1227. §. 12. Spond. §. 1.

CLXXVIII.

(3) Ne si intra Urbem inauguratus esset, aliquid juris videretur habere in Imperium Occidentis, ut animadvertit Bellefortius Annal. Franc. lib. 3. cap. 82. apud Spondanum ad an. 1217. §. 1.

(4) Parisius in Hist. Angl. apud Raynaldum ad an. 1223. §. 39. *Circa dies istos hæretici Albigenses constituerunt sibi Antipapam in finibus Bulgarorum, Croatiæ, & Dalmatiæ, nomine Bartholomæum.*

CLXXVIII.

GREGORIUS IX.

ANNO CHRISTI 1227.

FEDERICI II. 8. ROBERTI 7.

DIE primo post interitum Honorii III. magno consensu invitus subrogatur *Ugolinus* Cardinalis Episcopus Ostiensis, natus patre Signiæ Comite, & Innocentio III. junctus consanguinitate. Nomen huic impositum *Gregorius* IX. Vixdum XII. Kal. April. consecratus Federicum II. admonuit, ut quam voverat ac jurarat, expeditionem sacram susciperet. Tergiversantem multavit anathemate. Itaque is transmisit in Syriam. Sed turpi cum Sultano pactione prodidit Christianam rem, impetrata ab eo Hierosolyma precario & specie tenus. Ubi revertit in Italiam, odiis eam intestinis ac factionibus complevit. (1) Veniam postea pacem-

Rayn. an. 1227. §. 13. 29. Spond. §. 2. 8.

Rayn. an. 1228. §. 1 9. Spond. §. 3. 7.

Cc que

(1) Putant nonnulli, hinc ortum principium factionis *Guelphorum* faventium Pontifici, & *Gibelinorum* Federico II. Cæsari: alii post annos decem de illis memorant. Longe lateque diffusa lues factionis utriusque infecit Italiam omnem; prorsus ut nullum foret oppidum intactum ab ea. Civitas Civitati contraria, Provinciæ provinciis adversæ erant. Familiæ quoque dividebantur. Non filio, non patri, non fratribus unus in una domo consensus, non consanguineis eadem voluntas. Venetiæ solæ prudentiam suam perpetuo retinentes, contagione teterrima caruere, teste Blondo lib. 7. Dec. 2. pag. 288.

Gibelinæ factionis columen in Transpadanis Eccelinus de Romano stirpis Teutonicæ tyrannus. *Istæ vero fuerunt Civitates, super quas* (annos 34.) *exercuit tyrannidem, Verona, Vicentia, Padua, Tarvisium, Feltrum, Tridentum, & Brixia*. Monachus Patavinus in Chron. inter Scriptor. Rer. Italic. tom. 8. pag. 705.

que enixe deprecantem restituit communioni Ecclesiæ, atque in gratiam recepit. Ast pravum mox Imperatori rediit ingenium, unde Gregorio fuit cum eo ad mortem usque certamen. Nec interim minus eluxit in rebus ceteris cura ejus. Nam constitutiones ac responsa decessorum suorum per Raymundum Penniafortium *cappellanum ac pœnitentiarium suum in unum volumen, resecatis superfluis, providit redigenda*, & anno 1234. promulgavit libris quinque, quos *Decretales* inscripsit, *volens, ut hac tantum compilatione universi uterentur in judiciis & in scholis*. (2) Præterea *constituit, ut semper in sexta Feria in Vesperis completo solito cursu cantetur* Salve Regina, (3) *& in nocte Antiphona*: Beata Dei geni-

(2) Gregorius IX. in Præfatione Decretalium.

(3) Auctor serm. 1. in Antiphonam *Salve Regina* vol. 3. Operum S. Bernardi pag. 738. *A summis labiis canticum istud effusum venis.... A Sanctis compositum, a sanctis institutum.*

Joannes Eremita in vita S. Bernardi lib. 2. §. 7 *Vir sanctus quasi a dextris gloriosæ Virginis incedens ad Altare usque pervenit: ubi voce Angelica audivit decantari antiphonam;* Salve Regina, *ex integro usque ad finem. Quam corde tenus retinens & postea scripsisse, atque Domino Papæ Eugenio transmisisse refertur, ut ex præcepto auctoritatis Apostolicæ per Ecclesias solemnis haberetur in honore beatæ & gloriosæ Virginis Dei Genitricis Mariæ: quod & factum est.*

Paullo aliter, ut ait Horstius in notis ad memoratum serm. 1. *hanc historiam refert* Albericus in Chronico ad an. 1130. *ubi commemorat S. Bernardum Divione apud S. Benignum aliquando hospitio exceptum*, quam, *inquit*, Abbatiam semper dilexit, eo quod mater sua ibi sit sepulta, audivisse ante horologium circa Altare ab Angelis antiphonam *Salve Regina* dulci modulamine decantari, primoque credidisse fuisse conventum, ac dixisse Abbati die sequenti: *Optime decantastis antiphonam de Podio hac nocte circa Altare B. Virginis*. Dicebatur autem *Antiphona de Podio*, eo quod Haimerus Episcopus Podiensis eam fecerit. *Haimerus seu Aimarus, Ademarusve fuit Episcopus Aniciensis, B. Virginis in primis cultor, tempore Urbani Papæ* II.

Durandus lib. 2. Rational. cap. 22. *Petrus vero Compostella-*

nitrix Maria, *secuta oratione*, Deus, qui de Beatæ Mariæ. *Et quod ante Corpus Domini, cum idem conficitur, campana pulsetur*. (4) Idem, cum antea administrare Sacramentum pœnitentiæ *Regularibus* non liceret, primis omnium Sacerdotibus Dominicani Ordinis jus hoc esse voluit, (5) cumulavitque de-

Cc 2

lanus fecit illam Antiphonam *Salve regina misericordiæ*. Durando consentit Claudius de Rota in notis ad Pseudo-Luitprandum pag. 451.

Arnoldus Wion lib. 5. Ligni Vitæ cap. 105. hujus antiphonæ auctorem facit Hermannum Contractum Monachum Benedictinum, & probat testimonio Jacobi Philippi Bergomensis in Suppl. Chron. lib. 12. Trithemii de Scriptor. Eccl. & alibi, Gilberti Genebrardi Galli lib. 4. Chron. Petri Cratepolii, & Francisci Costeri. Wioni accedit Bona Divinæ Psalmodiæ cap. 16. §. 20. pag. 530. *Ejus auctor fuisse dicitur Hermannus Contractus Monachus S. Benedicti anno 1059. qui cum omnis politioris litteraturæ expers omnino esset, B. Virginis intercessione in virum alterum mutatus, tanta deinceps doctrinæ laude resplenduit, ut nulli suo tempore secundus haberetur*.

(4) Auctor Vitæ Gregorii IX. tom. 3. Scriptor. Rer. Italic. pag. 582. Spondanus ad an. 1239. §. 12.

Campana, cum in Missa sacrum Domini corpus conficitur, longe ante hæc tempora pulsari consuevit. Ivo Carnotensis, qui obiit anno 1115. Epist. 142. gratias agens Mathildi Anglorum Reginæ ob campanas Ecclesiæ suæ dono datas, ait, earum sonitu memoriam ejusdem Reginæ renovari tum præsertim, *quando illa salutaris hostia pro nobis redimendis in ara Crucis oblata per novi Sacerdotii ministros in Domini mensa quotidie consecratur*: ut est apud Mabillonium Comment. in Ordinem Rom. cap. 7. pag. 49. *Quo fere tempore*, ut idem Mabillonius subjicit, *Gulielmus Episcopus Parisiensis, & in Germania Guido Cardinalis statuerunt, ut ad elevationem campanula pulsaretur*. Vide Bonam lib. 2. Rer. Liturgic. cap. 13. §. 2.

(5) Van espen Part. 2. Juris Ecclesiastici universi, tit. 6. cap. 5. §. 10. *Primus, qui Fratribus Mendicantibus privilegium excipiendi Fidelium confessiones dederit, videtur fuisse Gregorius* IX. *Scribit enim Matthæus Parisiensis ad an.* 1246. *quod Fratres Prædicatores impetraverint a Papa Gregorio* IX. (*qui specialiter eorum fautor erat*) inauditum privilegium, hoc etiam

demandato eisdem Officio Inquisitionis sacræ. (6)
Rayn. an. 1232. §. 33. Inter ceteros D. Antonium Patavinum sanctimonia vitæ, & miraculorum gloria clarum orbe toto in Cælitum numero habendum decrevit anno a morte ejus nondum exacto. (7) Anno 1241.
An. 1241. §. 82. Spond. §. 14. cum accepisset, Episcopos, quos ipse Romam evocaverat ad Concilium, ab Entio notho Federici II. & Pisanis devicta Genuensium classe, qua vehebantur, partim captos, partim submersos, eorum vicem ita doluit, ut mœrore profligatus XII. Kal. Septembr. occumberet, postquam *annos quatuordecim, menses quinque & dies duos* se vindicem constantissimum præbuisset Ecclesiasticæ libertatis.

CLXXIX.

iam ipsis temporibus novum. *Bullam sive privilegium hoc exhibet ibidem Parisiensis, datum Anagniæ IV. Kal. Octobr. Pontificatus sui anno 1. id est anno 1227. In hac Bulla mandat omnibus Prælatis per Angliam constitutis*, ut Fratres Prædicatores benigne recipiant, & populos sibi commissos sedulo admoneant, ut ex ore ipsorum verbi Dei semen devote suscipiant, & confiteantur. Cum ipsis (*inquit*) auctoritate nostra liceat confessiones audire, ac pœnitentias injungere.

(6) Epist. 9. apud Labbeum tom. XI. Conc. pag. 335.

(7) Mortuus est anno ætatis 36. Christi 1231. Idibus Junii feria 6. & anno insequente III. Kal. Jun. die sacro Pentecostes Spoleti relatus in Sanctos. Vide Gregorii IX. Constitutionem 4. & in eam Comment. Cardinalis Petræ ad Constitut. Apostol. tom. 2. pag. 289.

CLXXIX.

CAELESTINUS IV.

ANNO CHRISTI 1241.

FEDERICI II. 22. BALDUINI II. 13.

CÆLESTINI IV. Pontificatus intra *dies decem septemque* exactus est. Rebus Ecclesiæ præfectus X. Kal. Octobris, moritur VIII. Idus mensis ejusdem, nondum consecratus. Fuit Mediolanensis, *Gaufridus Castilionæus* antea dictus, natus patre *Joanne Castilionæo*, & matre *Cassandra Cribella* Urbani III. sorore. Rayn. an. 1241. §. 87. Spond. §. 15. 18.

CLXXX.

INNOCENTIUS IV.

ANNO CHRISTI 1243.

FEDERICI II. 24. BALDUINI II. 15.

POST excessum Cælestini IV. ex hac vita menses ferme viginti interregnum fuit. Alii aliam ejus rei caussam comminiscuntur. Tandem *Sinibaldus Fliscus* Genuensis anno 1243. VIII. Kal. Jul. Anagniæ creatus est Pontifex *Innocentii* IV. nomine. Novam, summamque dignitatem huic gratulatus est Federicus II. missisque Oratoribus suum erga Romanam Ecclesiam studium professus. Innocentius, qui concordiam Sacerdotii & Imperii peroptabat, suos & ipse ad eum Legatos misit acturos de pace. Quin haud multo post accessit ad Ci- Rayn. an. 1242. §. 1. Spond. §. 1. Rayn. an. 1243. §. 5. 10. 13. Spond. §. 5.

Rayn. an. 1244. §. 32. 37. Spond. §. 2. 3. vitatem Castellanam, ut propius cum Imperatore, qui se contulerat Interamnam, iniret rationem reconciliationis. At cognito, parari sibi ab illo insidias, maritimo itinere se recepit in Galliam, & Concilium generale indixit Lugdunum. (1) Idem ratum esse voluit jus concessum ab Hadriano II. & Joan-

Conc. Oecum. XIII. (1) Oecumenicum XIII. Lugdunense I. celebratum anno 1245. Præfuit Innocentius IV. Adfuere præter Cardinales Patriarchæ tres, Constantinopolitanus, Antiochenus, & Aquilejensis, Episcopi centum circiter & quadraginta, Balduinus II. Imperator, Constantinopolitanus, Regum Franciæ, Angliæ, & aliorum Principum Oratores, Tribus Actionibus perfectum est. In prima Innocentius multa dixit de constituendis moribus Præsulum, ac tyrannide Federici II. coercenda: in altera Episcopus Calamensis enarravit ejusdem Imperatoris crimina gravissima, propter quæ in tertia Actione confixus est anathemate, Regnoque Siciliæ, ac Imperio depulsus. Conditi canones decem septemque. Ex his duodecim judicia regunt Ecclesiastica, ideoque a Bonifacio VIII. relati in librum sextum Decretalium. Reliqui sunt de subsidiis mittendis periclitanti Latinorum Imperio Constantinopoli, Tartaris arcendis a finibus Christianorum, & *Crucesignatis*, etiam inhibito anathemate, cogendis ad votam profectionem in Palæstinam. Decretæ expeditioni sacræ Dux præfectus S. Ludovicus IX. Rex Gallorum. *Illud præterea sancitum fuit, ut dies natalis B. Mariæ Virginis, Deique matris octo dierum spatio celebraretur*, ut est apud Labbeum tom. 11. Conc. pag. 636. Rubeus quoque galerus Cardinalibus datus traditur, *quo Pontifex eos admonitos esse voluit, paratos omni tempore esse debere sanguinem fundere pro Christiani populi libertate tuenda*, ut ait Gaguinus De Francorum Regum gestis lib. 7. pag. 112. Nicolaus de Curbio coævus Innocentio IV. in ejus vita cap. 21. tom. 3. Scriptor. Rer. Italic. pag. 592. *Pontifex post Concilium anno secundo Cluniacum ivit cum Rege Franciæ, & ipsius fratribus locuturus; ubi Domini Cardinales primo Capellos rubeos* receperunt, *sicut in ipso Concilio fuerat ordinatum*. In eodem Concilio jus eligendi Imperatorem, quod Gregorii V. concessione erat commune omnibus Principibus Germaniæ, Septemviris peculiare factum fuisse, addunt aliqui. In his Baronius ad an. 996. §. 64. Vide annotat. 2. ad Gregorium V.

Po-

Joanne VIII. celebrandi *Missam*, *Officiumque divinum* lingua Sclavonica. Idemque *primus Rosam auream solemni ceremonia ac ritu benedixit*. (2) Federico II. sublato e vivis, (3) regressus est in Italiam, cum annos fere septem Lugduni mansisset. (4) Conradum post mortem Federici Patris Imperium

Rayn. an. 1248. §. 52. An. 1250. §. 32. 33. Spond. §. 17. 18. 19.

Cc 4 af-

Petrus de Marca lib. 4. De Concordia cap. 17. §. 5. *Primus omnium, qui appellatione ad futurum Concilium usus est, prodit se se apud Historicos Fridericus II. Imperator, qui ad Concilii cognitionem evocatus a Gregorio IX. & ab Innocentio IV. ob dissidium cum Ecclesia Romana, de hæresi & aliis facinoribus delatus, Thaddæum legatum suum ad Concilium Lugdunense misit anno millesimo ducentesimo quinquagesimo quinto.*

(2) Auctor vitæ Innocentii IV. apud Lab. tom. 11. Conc. pag. 598.

At *valde recens est*, inquit Pagius in vita ejusdem Pontificis §. 28. *cum cites Platinam, qui exeunte sæculo XV. scripsit, ideoque maximam fidem non meretur; cum præsertim in Ordinibus Romanis* (apud Mabillonium tom. 2. Musei Italici) *quorum unus est Cencii Camerarii, & ultimus Petri Amelii, qui adhuc in vivis erat anno* 1398. *ut ostendit Mabillonius in annotatione ad illum, ejusmodi solemnis benedictionis ne levis quidem mentio reperiatur, ex quo non male quis deduceret, illius Rosæ benedicendæ consuetudinem post annum* 1400. *invaluisse.*

Etsi autem Pontifices tardius instituerunt ritum benedicendi in Dominica quarta Quadragesimæ Rosam auream; attamen jam inde ab Urbano II. ac fortasse usque ab Leone IX. musco & balsamo plenam eo die gestare consueverunt, ut docet Edemundus Martene De antiqua Ecclesiæ disciplina cap. 19. §. 17. & Pagius in Vita Urbani II. §. 56. *Quid vero Rosa hæc, aurum, muscus & balsamum, quæ sunt intus in ea, & quod tali die portatur, significent, diligenti inquisitori servatur:* Auctor Ceremonialis editi jussu Gregorii X. apud memoratum Mabillonium pag. 236.

(3) An ipsum pœnituerit, parum constat: certum tamen est, testamento mandasse Conrado filio suo, *ut ditionem, aliaque jura, quæ injuste se invasisse fatetur, Ecclesiæ restitueret*. Raynaldus ad an. 1250. §. 32. 33.

(4) In regressione ea, Mediolani cum esset, mandavit Episcopo Culmensi, ut Lithuaniæ Ducem Mindanum, qui ditionem suam subjecerat Ecclesiæ Romanæ, *coronaret in Regem:* Raynaldus ad an. 1251. §. 46.

Rayn. an. 1251. §. 1. 11. Spond. §. 3. Rayn. an. 1254. §. 45. 64. 69. Spond. §. 2. 3. 4. 5.

affectantem ejecit communione Christianorum: quem anathemate innodatum frater ejus nothus veneno necavit. Quod ubi Innocentius rescivit, continuo animum convertit ad Neapolim, Capuam, aliasque Regni illius Urbes recipiendas in potestatem. Itaque præmisso exercitu valido, contendit Neapolim, admissus benigne, susceptusque honorifice. Ea in Urbe morbum nactus, anno 1254. VII. Idus Decembr. moritur, sepeliturque in Templo majore, Pontificatus *anno undecimo, mense quinto, die decimo quarto*. (5)

CLXXXI.

ALEXANDER IV.

ANNO CHRISTI 1254.

IMP. OCCID. VACANTE, BALDUINI II. 26.

Rayn. an. 1254. §. 1. Spond. §. 9. 10.

PONTIFICALIBUS comitiis Neapoli habitis anno 1254. pridie Idus Decembr. Catholicæ Ecclesiæ præses summus constituitur *Alexander* IV. Anagninus, Innocentii III. & Gregorii IX. propinquus, dictus antea *Raynaldus* Cardinalis Episcopus Ostiensis ac Veliternus. (1) Hic damna-

(5) *Extinctum cælesti ultione tradit Cantipratensis ob Prædicatorum, & Minoritarum privilegia rescissa, repentinaque percussum paralysi vocis officium ad mortem amisisse. Sed hæc aliaque hujusmodi conficta fuisse, quivis prudens animadvertere poterit.* Raynaldus ad an. 1254 §. 70.

(1) Nicolaus de Curbio in Vita Innocentii IV. cap. 42. tom. 3. Scriptor. Rer. Italic. pag. 592. *Defunctus est Innocentius Papa* IV. *Neapoli anno Domini* 1254. *mensis Decembris die septima intrante.....& cessavit Episcopatus diebus quinque*. Quare *Alexander* IV. die decima secunda Decembris electus est.

Ptolomæus Lucensis lib. 22. Hist. Eccl. cap. 17. tom. 11. Script.

mnavit librum Gulielmi de sancto amore *De periculis novissimorum temporum*, in quo adversus Religiosos Ordines voluntariam amplectentes paupertatem, propriumque habentes nihil docebat, non licere cuiquam, nisi per vim coacto omnia relinquere; nec eum, qui Cœnobitis ab Episcopo vel Pontifice approbatis aperiret peccata sua per Sacramentalem Confessionem, satisfacere Canoni Concilii Lateranensis, cujus initium: *Omnis utriusque sexus*. (2) Idem *sanxit, ut Cathedralium Ecclesiarum designati Præsules, excurrente sex mensium spatio, Pontificalibus sacris insignirentur, ne populi diutius Pastorum regimine destituti, aliquod salutis periculum adirent*. (3) Veritatem *Stigmatum* S. Francisci comprobavit testimonio suo. (4) Imperii Electoribus denuntiavit anathema, si Conradinum eligerent Federici II. nepotem ex filio. Eccelinum virum atrocem, & sic immanitate efferatum, ut Dæmone genitus diceretur, (5) olim a Federico II. Ducem constitutum in Langobardia, perculit anathemate, armisque *Crucesignatorum* compescuit, ac Man-

Rayn. An. 1256. §. 5. 38. 47. Spond. §. 4. 6.

Script. rer. Italic. pag. 1150. *Hic Pontifex hanc famam habuit, quod fuerit vir magnæ humilitatis, & pietatis; unde tradunt aliquæ Historiæ, quod fuerit Episcopus Ostiensis, & interdum ibat Ostiam, & Veletrum, ibique prædicabat verbum Dei, vel coram se prædicari faciebat, ibidemque suis Clericis Ordines conferebat, & in caussis suorum subditorum assistebat.*

(2) Constitut. 8. tom. 1. Bullarii pag. 137.

Contra insanam Gulielmi doctrinam scripsit S. Thomas Opusculo 19. *adversus impugnantes religionem.*

(3) Raynaldus ad an. 1255. §. 16.

(4) Constitut. 4. tom. 1. Bullarii pag. 134. & apud Raynaldum ad an. 1255. §. 27.

Pagius in vita hujus Pontificis §. 12. *Eadem stigmata ante Alexandrum* IV. *jam commendaverat Gregorius* IX. *anno* 1237. *apud Wadingum ibidem num.* 1. *& seq. & postea Nicolaus* III. *litteras Gregorii* IX. *confirmavit, ut videre est apud eumdem in Regesto ad Tomum* 2. *Postea Benedictus* XI. *eorumdem stigmatum festum celebrari, Officium vero etiam Paulus* V. *recitari concessit.*

(5) Corius Hist. Mediol. Part. 2. ad an. 1207.

Mantuæ obsidendæ intento Patavium eripuit. (6) Idem solicitus de Græca Ecclesia consocianda cum Latina, Urbis veteris Episcopum legavit Constantinopolim, utque facilius iniretur societas, id quoque præter cetera Græcis concessit, quod antea Innocentius IV. indulserat, ut Symbolum haberent sine additamento vocis *Filioque*, modo eadem, ac Latini de Filio Dei sentirent. Seditione Romæ excitata, Viterbium se recepit, inde Anagniam, ubi mansit ad annos duos. Viterbium reversus, ut Concilio ibidem celebrato pacem inter Venetos ac Genuenses conciliaret, anno 1261. VIII. Kal. Junii decessit post *sexennium*, *menses quinque*, *& dies tredecim*, quam Pontifex factus fuerat.

Rayn. an. 1258. §. 5. Spond. §. 1. Rayn. an. 1261. §. 67. Spond. §. 1.

CLXXXII.

(6) Hanc jacturam Eccelinus ultus est nece duodecim millium Patavinorum, quos vel apud se, vel diversis locis obsidum, militum, ac ministrorum nomine habebat. Insuper *præcepit, quod si aliquis Paduanus in fuga fuisset deprehensus, continuo manibus & pedibus privaretur. Multi itaque tali pœna puniti jacebant in agris, & viis prostrati. Ad quorum horrendos rugitus validosque clamores nullus propter timorem Tyranni commotus misericordia flectebatur:* Monachus Patavinus in Chronico tom. 8. Script. rer. Italic. pag. 695. Sed anno 1259. pœnas dedit fœdissimæ cædis apud Mediolanum, quod capere proditione tentaverat, ab fœderatis vulneratus, captus, deductusque Soncinum, ubi non tam vulnere, quam animi dolore ac tristitia confectus occubuit.

CLXXXII.

URBANUS IV.

ANNO CHRISTI 1261.

IMPERIO OCCIDENTIS VACANTE, MICHAELIS PALÆOLOGI 1.

IN Alexandri IV. interregno comitia habita Viterbii magno Cardinalium certamine, Pontificatum pertinaciter affectantibus singulis, qui supererant octoni numero. (1) Tandem IV. Kal. Septembr. anno 1261. Pontifex extra sacrum Cardinalium ordinem electus *Jacobus Pantaleon*, Gallus, in Tricassibus ortus loco tenui, Patriarcha Hierosolymitanus, qui venerat acturus de rebus Palæstinæ. Pridie Nonas Septembr. coronatus appellari voluit nomine *Urbani* IV. quod decessor ejus obiisset die S. Urbano *Papa & martyri* sacra. Hujus Pontificatus initium finis fuit Imperii Latinorum in Oriente, capta a Michaele Palæologo Constantinopoli, exactoque Balduino II. cum a Balduino I. cœptum stetisset annos circiter sexaginta. Contra Palæologum Urbanus indixit bellum sacrum. Ille ut Pontificem revocaret ab incepto, significavit se peroptare conjunctionem, pacemque Græcæ Ecclesiæ cum Latina: quæ tamen haud facta est ante Gregorium X. licet etiam sub Clemente IV. actum sit de ea. Idem instituit Festum Corporis Christi quotannis celebrandum Feria quinta post diem octavam Pentecostes. (2) Obiit Perusiæ

Rayn. an. 1261. S. 1. 9. 26 Spond. S. 2. 3. 1.

Rayn. an. 1264 S. 26. 27. 56. 58. 61. 70. Spond. S. 1. 9.

(1) Erant Cardinales ob eam caussam tam pauci, quod creaverat neminem Alexander IV.

(2) Constitutione 1. quam confirmarunt Clemens V. in Con-

fiæ anno 1264. VI. Nonas Octobr. cum Pontifex fuisset *annos tres, mensem unum, & dies quatuor.*

Concilio Viennensi Oecum. XV. ut est in Clementina *Si Dominum De Reliquiis & Venerat. Sanctor.* Martinus V. Constitut. 12. Eugenius IV. Constitut. 6.

Cardinalis Lambertinus De Serv. Dei Beatif. & Beat. Canoniz. lib. 4. part. 2. cap. 30. num. 21. scribit, *institutionem Festi in honorem Sanctissimi Corporis Christi caussam suam desumsisse a Revelatione facta Beatæ Julianæ de Monte Cornelione; sed Revelationem ipsam examinatam fuisse a Roberto Episcopo Leodiensi, & aliis Episcopis atque Ecclesiasticis Doctoribus: rursus Urbanum* IV. *tunc Archidiaconum Leodiensem, deinde evectum ad summum Pontificatum noluisse assensum præbere extensioni Festi ad universam Ecclesiam, nisi postquam novo miraculo edoctus cognovit, Divinæ voluntatis esse, ut ejusdem quidem Festi extensio fieret ad universum orbem terrarum. Cum etenim Urbanus degeret in Civitate Urbevetana, ut impetum Saracenorum evaderet, quos Manfredus Siciliæ Tyrannus in Italiam evocaverat, tunc contigit, quod incredulo Sacerdote Missam celebrante in Ecclesia Vulsinii Urbevetanæ Diœcesis, Hostia apparuit visibiliter vera Caro, & roseo cruore respersa, ex tantum excepta particula, quæ Sacerdotis digitis tangebatur, &* Benda *de Sindone, quæ ad obsequium Calicis tenebatur, ex Sanguinis effusione madefacta est; ita ut, Sacerdote studente cooperire Corporale, dextera autem Domini faciente virtutem, singulæ guttæ Sanguinis ex* Benda *manantes, & in Corporale fluentes singulas Figuras in similitudinem Hominis in eo impresserint. Itaque re ad Urbanum* IV. *delata ab ipso Sacerdote, qui pœnitentia ductus suam antecedentem incredulitatem amare deflebat, non modo decretum est, ut* Miraculosum Corporale *ad Ecclesiam Urbevetanam solemniter transportaretur, prout sane solemniter delatum est, ipso Pontifice cum universo Clero & Populo illud excipiente, & in Templo majori Urbevetano collocante, in quo etiamnum asservatur, & statis diebus publice ostenditur, quemadmodum habent ea, quæ exarantur ab Onuphrio Panvinio, a Joanne Trithemio, a Sancto Antonino, a Gulielmo Lindano, quorum verba prostant* in Dissertatione de Sacris Processionibus *P. Christiani Lupi* tom. 11 novæ editionis pag. 340. *& quibus addi possunt Donzellinus* in Historia de Solemnitate, & Festivitate Corporis Christi, *Cappeavil* tom. 2. Historiarum Leodiensium pag. 642. Continuatores *Bollandiani* tom. 4. Aprilis pag. 437. *Bartholomæus Fisen* in suo Opere de origine Festivitatis Corporis Christi, *Marte-*

ne

ne de antiqua Ecclesiæ disciplina in Divin. celebr. Offic. cap. 29. num. 1. & duobus sequentibus, *& Theophilus Raynaudus* Operum tom. 11. pag. 347. *verum etiam, eodem Urbano* IV *præcipiente, compositum fuit a S. Thoma de Aquino Officium Sanctissimi Sacramenti, &c.*

De supplicatione, in qua eodem festo die Corpus Christi defertur, nulla mentio est in constitutione Urbani IV. nulla in ejus epistola ad Evam Reclusam S. Martini Leodiensis, quæ est apud Labbeum tom. 11. Conc. pag. 817. nulla apud D. Thomam, qui jussu Urbani *Officium* SS. Sacramenti composuit, nulla apud auctores, qui sub idem tempus scripsere de Festo hoc per eumdem Urbanum instituto. De ea, tamquam *divina inspiratione introducta* memoratur in Concilio Senonensi, quod anno 1320. celebratum est. *Verisimile est*, ait Van espen part. 2. Juris Ecclesiastici Universi tit. 4. cap. 5. §. 5. *eam sæculo XIV. paulatim invaluisse; atque non simul in omnibus Ecclesiis, sed in aliquibus citius, in aliis serius fuisse institutam ad solemnitatem institutæ festivitatis augendam*. Constat ineunte sæculo XV. fuisse in more positam. Etenim Martinus V. constitut. citata 12. illis, *qui processiones, in quibus ipsum vivificum Sacramentum dicto festo juxta ritus Ecclesiarum defertur, continuo secuti fuerint, centum dies singulis annis de injunctis eis pœnitentiis misericorditer relaxat*. Christianus Lupus dissertat. de sacris processionibus, in quibus circumfertur sacrosanctum Eucharistiæ Sacramentum, cap. 2. & 9. *scribit*, *publicas* cum Eucharistia *Processiones*, ejusdemque *Expositionem non cohæsisse cum disciplina antiquæ Ecclesiæ*, quam Schelstratus vocat disciplinam arcani, in dissertat. de eadem disciplina cap. 7. art. 8. Eam ob rem Sacrosanctum Eucharistiæ Sacramentum occultatum non Ethnicis solum, ac Judæis, sed etiam Catechumenis ac Pœnitentibus, illis tamquam profanis, ne irriderent, istis, utpote nondum dignis, qui scirent & admitterentur ad mysteriorum communionem. Vide Joannis Grancolas Commentarium Historicum in Breviarium Romanum cap. 81. & Cardinalem Petram in Comment. ad Constitut. Apostol. tom. 3. pag. 170. & 171.

CLXXXIII.

CLXXXIII.

CLEMENS IV.

ANNO CHRISTI 1265.

IMP. OCCID. VACANTE, MICH. PALÆOL. 5.

Rayn. an. 1265. §. 1. 5. 10. 13. 18. 20. Spond. §. 1. 2. 5.

MENSIBUS fere quinque post mortem Urbani IV. anno 1265. *Guido Grossus* Fulcodii filius, Cardinalis, & Episcopus Narbonensis, juris valde peritus, concordi suffragatione absens subrogatur. (1) Nec diem, nec mensem electionis ejus apud vetustiores Scriptores invenio. Octavo Kal. Martias anno, quem modo nominavi, Pontificem jam fuisse, certum affirmo ex litteris, quas de suscepto onere tanto scripsit die eodem. *Hunc communiter Historia sic describunt, quod fuerit vir magnæ probitatis & exempli, quia omnem statum mundi expertus est, & in quolibet virtuose se habuit, & quanto plus crevit in dignitate, tanto plus floruit in sanctitate.* (2) Quam fuerit suis minime addictus, indicio est epistola, qua illos Romam accedere vetuit injussu suo: idque multo magis ex eo perspicitur, quod filiæ ejus duæ, quas susceperat ante Sacerdotium, propter dotis tenuitatem nuptui non sunt collocatæ. (3) Carolum Andegavensem Comitem, fratrem

(1) Longinus Hist. Polon. lib. 7. ad an. 1265. pag. 776. *Vix cum lacrimis Cardinalium vinci potuit, ut Papatum assumeret.*

(2) Ptolomæus Lucensis lib. 22. Hist. Eccl. cap. 29. & in Annalibus ad an. 1265. tom. 11. Scriptor. Rer. Italic. pag. 1156. & 1284.

(3) S. Antoninus in Chron. part. 3. tit. 20. cap. 1. §. 11. *Dicitur etiam in laudem tanti viri, quod cum duas filias nubiles haberet, & nuptui tradere quærens, nil tamen de patrimonio Christi, sed tantum de proprio, quod non maximum erat, dota-*

trem S. Ludovici Regis Francorum, utriusque Siciliæ Regem Romæ inaugurari jussit in conditiones, octo millia unciarum auri ut penderet quotannis die festo S. Petri, equum item eximium albi coloris, utque deficiente stirpe ejus, Regnum rediret ad Pontificem. Novo Regi gratulatus est victoriam de Manfredo, qui in Sicilia tyrannidem occupaverat, & Conradinum usurpantem titulum Regis Siciliæ innodavit anathemate. Mortuus est Viterbii anno 1268. cum extremum Novembris esset (4) Ita *annos tres, & menses novem* Pontifex fuit.

Rayn. an. 1266. §. 1. 18. Spond. §. 1. 4. 9.

Rayn. an. 1267. §. 4. Spond §. 8. Rayn. an. 1268. §. 54. Spond. §. 12.

CLXXXIV.

dotare vellet: attendentes ad divitias Pontificales seu Ecclesiæ, cum de illis nil expectare valerent, illas innuptas dimiserunt: unde & meliori sponso Domino Jesu Christo traditæ sunt, in virginitate Deo obsequentes.

Mabillonius de Re Diplomat. l. 2. c. 14. §. 11. *Olim tam* Brevibus, *quam* Bullis *idem sigillum plumbeum apponebatur: nec scio, an multum ante annos quadringentos inventus sit* anulus Piscatoris. *De eo quidem nihil ego legi antiquius, quam quod refert* Massonus *in* Clemente IV. *qui anno* 1264. *Pontifex renuntiatus epistolam ad Ægidium Grossum consanguineum suum ita concludit*: Non scribimus tibi, nec consanguineis nostris sub bulla, sed sub Piscatoris sigillo, quo Romani Pontifices in suis secretis utuntur. *Nondum quippe in* Brevibus *usitatum erat istud sigillum, sed in litteris privatis, in quibus modo Pontifices symbolis gentilitiis utuntur. Certe quotquot vidimus ante id tempus minutas Pontificum litteras, quantumvis breves & exiles, sigillum plumbeum habebant appensum*. Brevibus *appositus est* anulus Piscatoris *saltem sæculo* XV. *qualia sunt* Brevia *Callisti* III. *& Pauli* II. *sub* anulo Piscatoris. *Anulus hic ceræ imprimitur, non plumbo, ut alia sigilla Pontificum*. Vide annotat. 6. ad Hadrianum I.

(4) *Sepultus est autem gloriosus Pontifex Viterbii, ubi tunc Curia residebat, in Ecclesia Fratrum Prædicatorum, ubi ipsemet sibi elegerat sepulturam*. S. Antoninus in Chron. 3. part. tit. 20. cap. 1. §. 11.

Wernerus Rolewinck in Fasciculo Temporum ad an. Ch. 1264. tom. 2. Scriptor. Rer. Germanicarum Pistorii pag. 558. *Benedictum sit dulce nomen Domini nostri Jesu Christi, & glo-*

CLXXXIV.

B. GREGORIUS X.

ANNO CHRISTI 1271.

IMP. OCCID. VACANTE, MICH. PALÆOL. 11.

PONTIFICIS subrogandi comitia Cardinalium contentionibus prorogata sunt in annum fere tertium. Demum Cardinalibus sex creandi Pontificis arbitrium permiserunt novem reliqui. Itaque anno 1271. Kal. Septembr. summum Sacerdotium datum *Thealdo* seu *Theobaldo* Placentino, Archidiacono Leodiensi, quem cum exercitu Christianorum degentem in Syria res pro Christianis ibidem gestæ commendabant. (1) Anno insequente veniens in Ita-

Rayn. an. 1271. §.7 12. *Spond.* §.5.

gloriosissimæ Virginis Mariæ matris ejus in æternum, & ultra. Amen. Nos cum prole pia benedicat Virgo Maria. *Amen. Quicumque hæc legerit, totiens quotiens, habet tres annos indulgentiarum, quos Clemens concessit ob rogatum Ludovici sancti Regis Franciæ solemniter.*

(1) Hinc, ut est apud Amalaricum Hugerium in vita hujus Pontificis tom. 3. Scriptor. Rer. Italic. part. 2. pag. 425. *Joannes Cardinalis & Episcopus Portuensis composuit versus, qui sequuntur:*

Papatus munus tulit Archidiaconus unus,
Quem Patrem patrum fecit discordia fratrum.

Panvinius annotat. ad Platinam pag. 179. *Eo tempore nequaquam, ut nunc consuetudo est, Cardinales in Conclavi recludebantur, sed summo mane singulis diebus, si Romæ erant, Laterani, vel in Basilica S. Petri, aut alibi, prout occasio se se offerebat: sin autem extra Urbem, in Ecclesia Cathedrali illius Civitatis, in qua tunc commorabantur, una conveniebant, perinde ac nostro tempore faciunt, cum congregationem sunt habituri, de Romani Pontificis electione tractantes.*

Spondanus ad an. 1271. §. 5. *Reperimus alicubi, expetitum tunc fuisse B. Philippum Benitium Florentinum Ordinis Servo-*

rum

Italiam Viterbium se confert, postea Romam, ubi VI. Kal. April. Pontifex inauguratur, diciturque *Gregorius* X. Nulla prior huic potiorque cura fuit, quam ut Christianis Terræ Sanctæ compararet subsidium. Eam ob rem Concilium generale indixit Lugdunum, celebravitque profectus eodem. (2) Ut autem auxilia in Syriam mittenda undique ac- Rayn. an. 1272. § 1.9. Spond. § 1. 2.

 ci-

rum ob insignem miraculorum ejus famam: sed illum re cognita apud montem Tuniatum *delituisse, quousque facta esset electio alterius.* Archangelus Gianius in Annalibus Ordinis Servorum tom. 1. Centuria 1. lib. 3. cap. 17. pag. 102. *Id vero indicant, cum perantiqua Scriptorum traditio, tum vetustæ ejus imagines Pontificiam tiaram ad pedes habentes, tum etiam temporum illorum usus, quando in hujusmodi vacatione diffidentibus frequenter Cardinalibus, alii etiam non Cardinales, etiam Regulares & Eremitæ in Pontifices eligebantur.* Et in annotat. *De Pontificatu videri possunt diffuse in* Hist. B. Philippi lib. 2. a cap. 4. usque ad 6. *& omnia fere perstringuntur in Bulla Pauli V. de ejus lectionibus & Officio.*

(2) Est Lugdunense II. Oecum. XIV. anno 1274. celebratum. *Numerus Prælatorum, qui interfuerunt, fuit quingentorum Episcoporum, Abbatum septuaginta, aliorum Prælatorum mille*, ut ait Ptolomæus Lucensis lib. 23. Hist. Eccl. cap. 3. tom. 11. Scriptor. Rer. Italic. pag. 1166. prorsus ut Concilia omnia hactenus celebrata numero superaverit. Adfuerunt Michaelis Palæologi Oratores. Qui ipsum Palæologum adfuisse existimarunt, errorem Blondi secuti sunt. Præfuit Gregorius X. voluitque regimen Concilii esse penes D. Bonaventuram, qui propterea Concilio præsedisse dicitur a Sixto IV. in Constitutione *Canonizationis* ejus, & a Sixto V. in decreto, quo eum sanctis Ecclesiæ Doctoribus annumeravit. Sex actionibus trium mensium spatio absolutum est. In postrema Græci processionem Spiritus Sancti a Patre, *Filioque* profitentes hac demum quarta decima vice, ut complurium Latinorum Scriptorum testimoniis ostendit Spondanus ad an. 1274. §. 8. in communionem Latinæ Ecclesiæ recepti sunt. Decreta insuper auxilia Christianis bellum gerentibus in Syria adversum Saracenos. Una supra triginta constitutiones editæ ad Ecclesiasticam & Christianam disciplinam sanciendam. Harum altera Gregorius X celeri Pontificum electioni consulturus, rata esse jubet ea, quæ in id constituta sunt ab Alexandro Conc. Oecum. XIV.

III.

Rayn. an. ciret facilius, operam dedit rebus Ecclesiæ & Imperii pacandis, factionibusque *Guelphorum* & *Gibelinorum*, quæ Italiam omnem habebant solicitam, extinguendis. (3) Rodulpho I. Comiti Habspurgensi Regnum Germaniæ affirmavit, (4) curavitque, ut Alphonsus Castellæ Rex affectandi Imperii cupiditatem abjiceret. Rediens in Italiam eumdem Rodulphum obvium habuit Lausanæ, pollicentem jurejurando in Cardinalium ac Principum cœtu, se *Ravenna Exarchatum & alias Ecclesiæ terras defensurum*. (5) Transgressus Alpes accessit Mediolanum, inde Placentiam, atque inde, prætervolans Florentiam,

(Rayn. an. 1273. §. 28. 35. Spond. §. 2. Rayn. an. 1274. §. 50. 51. Spond. §. 13. Rayn. an. 1275. §. 37. 44. 47. Spond. §. 8. 9.)

III. statuitque, ut in quacumque Urbe contigerit mori Pontificem, in ea erigatur Conclave, & decimo ab obitu ejus die ingrediantur Cardinales singuli singulis contenti famulis Clericis, seu Laicis, vel duobus, si id ipsis indulgeri necessitas postulet: incipiantque novi Pontificis electioni operam dare, nemine expectato. Qui superveniant, re nondum perfecta, admittantur. Inclusi *nullo intermedio pariete, seu alio velamine omnes habitent in communi*. Nullus ad eos pateat aditus, nullum eis liceat nuntium audire, nullam accipere aut dare epistolam, neminem alloqui sub pœna anathematis. Si post dies tres ab ingressu Pontificem non creaverint, unum duntaxat ferculum tam in prandio, quam in cœna per sequentes dies quinque illis ministretur, quibus elapsis panis tantum, vinum, & aqua usque ad Pontificis electionem. Leges hæ processu temporis paululum variatæ sunt, explicanturque a Panvinio in annotat. ad Platinam pag. 179. Exstat Gregorii X. decretum cap. *Ubi periculum* 3. *de elect*. in 6. Vide annotat. 6. ad Clementem VI.

(3) Vide annotat. 1. ad Gregorium IX.

(4) Ab hoc Rodulpho propagata est Augusta domus Austriaca.

(5) Sunt in hanc rem Rodulphi diplomata duo apud Raynaldum ad an. 1275. §. 37. 38.

Ptolomæus Lucensis Hist. Eccl. lib. 23. cap. 4. tom. 11. Scriptor. Rer. Italic. pag. 1166. *Tradunt historiæ, quod Rodulphus juramentum præstitit summo Pontifici fidelitatis Romanæ Ecclesiæ de conservando ipsam: quod habetur* dist. 63. cap. Tibi Domino. *Tunc etiam restituit Ecclesiæ Comitatum Romandiolæ cum Exarchatu Ravennæ.*

tiam, cui ob non servatas leges pacis cum *Gibelinis*, interdixerat Sacra, pervenit Aretium. Ibi recuperationem Palæstinæ volventem animo, eoque se cum exercitu conferre meditantem intercepit mors anno 1276. IV. Idus Januar. Pontifex fuit, si ab electione numeres, *annos ac menses quatuor, & dies decem*, si ab consecratione, *annos tres, menses novem, & dies quindecim*. (6) Rayn. an. 1276. S. 1. 14. Spond. S. 1.

CLXXXV.

INNOCENTIUS V.

ANNO CHRISTI 1276.

RODULPHI REGIS 4. MICH. PALÆOLOGI 16.

CARDINALES ex præscripto legis latæ ab Gregorio X. inclusi in Conclavi XIII. Kal. Febr. postridie Pontificem esse consenserunt *Petrum de Tarantasia* Innocentii V. nomine. (1) Hic primus ex familia Dominicanorum Pontifex summus, Rayn. an. 1276. S. 15. 17. 24. 25. Spond. S. 2. 3.

Dd 2

(6) S. Antoninus 3. part. Chron. tit. 20. cap. 2. §. 4. *Sepultus est Aretii summa cum veneratione: multaque circa illius corpus miracula postmodum subsecuta fidem ejus sanctitatis indubiam præbuere*. Vide Cardinalem Lambertinum *De serv. Dei Beatif. & Beat. Canoniz*. lib. 2. cap. 24. §. 36.

Gregorius X. in constitutione, quæ exstat part. 2. Hist. Eccl. Placentinæ Petri Mariæ Campi, in Regesto num. 118, pag. 410. *Nec mireris, quod bulla non exprimens nomen nostrum, est appensa præsentibus, quæ ante consecrationis & benedictionis nostræ solemnia transmittuntur: quia ii, qui fuerunt hactenus in Romanos electi Pontifices, consueverunt in bullandis litteris ante suæ consecrationis munus modum hujusmodi observare*. Ex quibus liquet, nomen Pontificis electi, necdum consecrati, bullis imprimi non consuevisse.

(1) *In Ordine* (Prædicatorum) *fuit magister in Theologia & magnæ litteraturæ, unde scripsit super Sententias, & super Epistolas Pauli*: S. Antoninus Part. 3. Chron. tit. 20. cap. 3.

mus, Arctio profectus Romam, VIII. Kal. Martii in Æde Principis Apostolorum inauguratur. Postero die ad omnes Principes ac Præsules litteras scribit de electione sua. Per Legatos missos in Hetruriam pacem conciliat inter Lucanos & Pisanos. Multa & præclara facere pro Ecclesia molientem adorta vis morbi extinguit XI. Kal. Jul. post *mensem quintum* Pontificatus.

CLXXXVI.

HADRIANUS V.

ANNO CHRISTI 1276.

RODULPHI REGIS 4. MICH. PALÆOLOGI 16.

UT Catholicæ Ecclesiæ præsideret, anno 1276. III. Idus Jul. nomine Hadriani V. legitur *Ottobonus Fliscus* Genuensis, fratre Innocentii IV. genitus. *Hic statim post suam creationem constitutionem Gregorii X. de restrictione Cardinalium in electione Papæ suspendit, intendens eam aliter ordinare.* (1) Mox Roma Viterbium petit, ubi ne Sacerdotio quidem (erat enim Diaconus) nedum Pontificatu initiatus, XV. Kal. Septembr. decedit, post *tricesimum septimum diem,* quam Pontifex electus fuerat. (2)

Rayn. an. 1276. § 26. 27.
Spond. § 4.

CLXXXVII.

(1) Jordanus Scriptor coævus apud Raynaldum ad an. 1276. §. 26.

(2) *Hoc tamen non eximit eum verorum Pontificum numero, quando electio absoluta, & nullius approbationis indiga, qualis hoc ævo fiebat, postquam acceptata est ab Electo, Pontificem constituit: secus quam primis decem sæculis:* Papebrochius in Conatu part. 2. pag. 57. apud Bolland. tom. 8. Maji. Petrus Maria Campus lib. 19. Hist. Placentinæ, ad an. 1276.

CLXXXVII.

JOANNES XX. DICTUS XXI.

ANNO CHRISTI 1276.

RODULPHI REGIS 4. MICH. PALÆOLOGI 16.

JOANNES XXI. *Petrus* antea dictus, Juliani filius Lusitanus, anno 1276. XVII. Kal. Octobr. Rayn. an. succeffor Hadriano V. creatus est. *Hic statim con-* 1276. §. 29. 45. *stitutionem per Gregorium X. de reclusione Cardinalium,* Spond. § 5. *suspensam per Hadrianum, revocavit*, abrogavitque. (1) Legatos etiam misit ad Michaelem Palæolo- Rayn. an. 1277. §. 3. 19. gum, qui curarent ratam faciendam ab eo pacem Spond. §. 1. 3.

1276. pag. 307. contendit, *Vicedominum de Vicedominis* Placentinum, natum sorore Gregorii IX. Card. Episcopum Prænestinum, ex familia S. Francisci, anno 1276. die quinta Septembris nomine *Gregorii* XI. suffectum fuisse Hadriano V. ac mortuum die insequente. At negat id Franciscus Pagius in Breviario Pont. Rom. tom. 3. pag. 419. quod nullam de eo mentionem faciunt veteres, nullam recentes scriptores, ne illi quidem, qui Ordinis S. Francisci historiam scripserunt ante annum 1628. quo anno *Lucas Wadingus*, edito tomo altero Annalium *Minorum*, dubitanter loquitur: *Inter hunc* (Joannem XX.) *& Hadrianum nescio si audeam alium numerare Pontificem, utpote cujus nullus, qui vitas & seriem scripserit Pontificum, vel minimum meminerit.* Nunc verba hæc, & alia ad Vicedominum pertinentia, sunt in tomo 4. ad an. 1276. §. 2.

(1) Ptolomæus Lucensis lib. 23. Hist. Ecclesiasticæ cap. 21. tom. 11. Scriptor. Rer. Italic. pag. 1176.

Panvinius in annotat. ad Platinam pag. 181. *Post Innocentii* V. *mortem, qui ei successit Hadrianus Papa* V. *Gregorii* X. *de conclavi constitutionem statim revocavit. Cujus revocationem, sive suspensionem, quod ante ejus coronationem facta fuisset, invalida erat, Joannes* XXI. *confirmavit. Atque sine conclavis reclusione, qui deinceps ei successerunt Romani Pontifices, Nicolaus* III. *Martinus* II. *dictus* IV. *Honorius* IV. *& Cale-*

sti-

Ecclesiæ Græcæ cum Latina, juratam antea ab ejus Oratoribus in Concilio generali Lugdunensi II. Toto autem Pontificatus tempore, quod intra *menses octo* exactum est, solicitus fuit pro retinenda Terræ Sanctæ parte ea, quæ adhuc in Christianorum erat potestate. Anno 1277. cameræ ruina percussus sexto inde die Idibus Maji occubuit Viterbii, sepultusque est in Æde S. Laurentii.

CLXXXVIII.

NICOLAUS III.

ANNO CHRISTI 1277.

RODULPHI REGIS 5. MICH. PALÆOLOGI 17.

Rayn. an. 1277. §. 53. 55. 58. Spond. §.4.

CERTAMEN de Pontifice subrogando inter octo Cardinales, qui supererant, exortum, ad menses amplius sex tenuit. Ac longius prorogata discordia esset, nisi a Viterbiensibus pertæsis moram longiorem, inclusi in Prætorium Civitatis coacti fuissent Pontificis electionem properare. Ante diem igitur VII. Kal. Decembr. anno 1277. electus est *Joannes Cajetanus Ursinus*, Cardinalis Diaconus tit. S. Nicolai in Carcere Tulliano, qui propterea *Nicolaus* III. appellari voluit. Romam profectus VII. Kal. Januar. inauguratus est. Tanta erat morum gravitate, ut *Compositus* diceretur.

Hic

stinus V. *creati sunt. A Cælestino vero, eadem, qua Gregorius* X. *caussa moto, ipsius Gregorii constitutionem de conclavis reclusione denuo renovatam & approbatam, qui ei suffectus est Bonifacius Papa* VIII. *ratam habens & confirmans, libro Decretalium sexto registraverit. A quo deinceps tempore usque ad nostram memoriam perpetuo observata est. Hæc ex Glossa capituli* Ubi periculum, *cujus auctor fuit* Joan. Andreas *celeberrimus Jureconsultus*. Vide annotat. 3. ad vitam Nicolai IV.

Hic egit cum Rodulpho Rege Germanorum, ut rata haberet, quæ ejus nomine Otto Cancellarius in Concilio Lugdunensi Oecum. XIV. & ipsemet Lausanæ Gregorio X. jurejurando promiserat. Obsecutus Pontifici Rodulphus, edito diplomate (1) approbavit *confirmationes, concessiones, privilegia & cetera omnia*, quæ ab decessoribus suis Regibus Romanorum, seu Imperatoribus Romanæ Ecclesiæ concessa fuerant: & paullo post, cum rescivisset, opera Rodulphi Cancellarii sui, in Italiam missi cum potestate, nonnullos Pontificis imperio subjectos populos defecisse ad se, novo diplomate jussit Romanæ Ecclesiæ jura restitui, & Gotifredum legavit, qui Cancellarii acta rescinderet. Hinc Nicolaus ut magis ac magis consuleret Ecclesiasticæ ditioni, omnesque in posterum controversias tolleret, diplomata Ludovici Pii, Ottonis Magni, & Henrici II. ad Rodulphum Regem misit, petens, ut ea comprobaret. Fecit id libens Rodulphus dato diplomate alio, in quo inter ceteras Romanæ Ecclesiæ Urbes *Ferrariam* etiam, & *Comaclum* recenset. Ac ne Rodulphi diplomata aliquando vocarentur in dubium, eadem voluit ab Imperii Electoribus confirmari. Idem Pontifex Carolum Siciliæ Regem deduxit, ut Senatoriam Urbis dignitatem deponeret, editaque constitutione cavit, ne in posterum talis dignitas Regibus aut Principibus externis conferretur, volens insuper eam annuum magistratum esse. (2) Pari interim diligentia pro-

Rayn. an. 1278. §. 1. 2. 5. 6. 57. 69. 73. Spond. §. 2. 4. 6.

(1) Hoc, atque alia, de quibus commemoro, Rodulphi diplomata recitat Raynaldus, primum ad an. 1278. §. 45. alterum §. 51. tertium ad an. 1279. §. 3. quartum, quod est Electorum Imperii, habes tum apud Raynaldum ad an. 1279. §. 6. tum apud Bellarminum De Translatione Imperii lib. 3. cap 3.

(2) Constitutio exstat lib. 6. Decretalium tit. *De electione & electi potestate* cap. *Fundamenta*.

Gulielmus de Nangis in Chron. ad an. 1278. apud Da-

che-

curavit negotia Christianæ Reipublicæ. Nam pro confirmanda pace inter Græcam Latinamque Ecclesiam, composita in Concilio Lugdunensi, litteras dedit ad Michaelem Palæologum, Andronicum ejus filium, Patriarcham, ceterosque Græcos Præsules. Gregorii IX. sententiam de stigmatibus D. Francisci probavit. *Vacantes Ecclesias supra omnes prædecessores suos velocius expedivit.* (3) In conferendis Sacerdotiis viros pios & religiosos præoptavit doctioribus, dicere solitus, *doctrinam vita probitate destitutam venenum esse immedicabile*. Decessit Soriani prope Viterbium XI. Kal. Septembr. anno 1280. Pontificatus *secundo, mense octavo, die nono vicesimoque*. Corpus Romam delatum in Æde S. Petri sepultum.

Rayn. an. 1279. §. 52. An. 1280. §. 23. 27. Spond. §. 6.

CLXXXIX.

cherium tom. 11. Spicilegii pag. 567. *Carolum Regem Siciliæ Papa Nicolaus a Vicaria Tusciæ removens, constitutiones fecit tam de electionibus Prælatorum, quam de electione Senatoris Urbis Romæ, & se Senatorem ad vitam fieri procurans Senatoriam jussit per suos parentes fere per annos duos regi.*

(3) Ptolomæus Lucensis lib. 23. Hist. Eccl. cap. 30 tom. 11. Scriptor. Rer. Italic. pag. 1182. ubi præterea dicit: *Multa virtuosa eidem attribuunt Historiæ, quod magnus eleemosynarius, quod devotissime celebrabat, & semper in Missa flebat.*

Bona lib. 2. Rer. Liturgic. cap 16. §. 4. *Nicolaus* III. *ad impetrandam pacem inter principes Christianos statuit, in Missa solemni, postquam Sacerdos dixit:* Pax Domini sit semper vobiscum, *ante* Agnus Dei *cantari psalmum* Lætatus sum *cum aliquot versiculis, &* Collecta *pro pace. Idemque constituit Joannes* XXII. *pro tollendo schismate, ut testatur Angelus Rocha in Paralipomenis commentarii de Campanis.*

CLXXXIX.

MARTINUS IV.

ANNO CHRISTI 1281.

RODULPHI REGIS 9. MICH. PALÆOLOGI 21.

CUM duo Cardinales, quorum caussa electio novi Pontificis protrahebatur, in custodiam a Viterbiensibus ducti essent, VIII. Kal. Martii anno 1281. Ecclesiæ invitus præponitur *Martinus* IV. Gallus, *Simon* Briensis, vulgo *de Bria* antea nuncupatus. (1) Viterbio profectus Urbem veterem, ibidem X. Kal. April. consecratur. (2) Hic fratrem suum, qui ad se gratulabundus advolarat, modice donatum ad impensas itineris, domum dimisit. Ipsi Pontifici, tamquam privato cuidam viro, populus Romanus discordiæ tollendæ gratia con-

Rayn. an. 1281. §. 1. 3. 6. 14. 25. Spond. §. 1. 2. 4. 6. 9.

(1) Franciscus Pagius in Vita hujus Pontificis §. 2. *Gulielmus Nangiacus in Chronico, S. Antoninus part. 3. tit. 10. cap. 4. Nauclerus generat. 43. & alii eum vocant* Martinum IV. *& re vera ita vocandus est, licet unus tantummodo ejusdem nominis Sanctus Pontifex eum praecesserit, quia* Marinus I. Martinus II. & Marinus II. Martinus III. *ab Auctoribus appellati sunt: unde & in instrumento a Senatoribus Romanis die decima Martii anni* 1281. *Romæ confecto, antequam Pontifex consecraretur, a Raynaldo eodem anno* §. 15. *relato, diserte vocatur* Martinus IV. Vide annotat. 1. ad Marinum I.

(2) Nonnulli, ut est apud Bzovium ad an. 1281. §. 1. scripsere, Joannem Viterbiensem seu Vercellensem, Magistrum Ordinis Prædicatorum Generalem, in locum Nicolai III. electum fuisse Pontificem, sed mortuum, antequam acciperet nuntium electionis suæ. At commentum id, & *fabula est, Ptolomæi Lucensis, & S. Antonini silentio, aliorumque gravissimorum Auctorum, qui de Romanis Pontificibus scripsere, aut Ecclesiasticam Historiam edidere, auctoritate convicta;* ut ait Natalis Alexander Hist. Eccl. sæc. XIII. & XIV. cap. 1. art. 11. tom. 7. pag. 31.

contulit Senatoriam Urbis dignitatem, quam ipſe
reſtituit Carolo Siciliæ Regi, cui a Nicolao III.
fuerat abrogata. Anathematizavit Michaelem Pa-
læologum, quod defeciſſet ab Romanæ Eccleſiæ
ſocietate, quam & per Oratores in Concilio
Lugdunenſi, & ipſe deinde per ſe coram Legatis
Apoſtolicis juraverat uſque ſervaturum. Damna-
Rayn. an. vit quoque auctores conjurationis Siculorum in
1282. §. 11. Gallos, qua erumpente in actum, III. Kal. April.
23. Spond. §. 2. die ſacro Paſchæ, dante ſignum Campana Veſpe-
6. 9. rarum, Galli omnes ad unum nihil minus opi-
nantes toto regno cæſi ſunt, ipſæque mulieres Si-
culæ, quæ ex Gallis concepiſſe ferebantur, exen-
teratæ, parvulique, ne quid Francici generis in
Sicilia ſupereſſet, ſaxis illiſi. (3) Eamdem ana-
thematis pœnam irrogavit Petro Regi Aragonio,
tum quod particeps fuiſſet immanitatis tam dete-
ſtabilis, tum quod Siciliæ regnum invaſiſſet, ma-
Rayn. an. nentemque in incepto obſtinate privavit Regno,
1283. §. 23. & pugnantibus contra ipſum pro Carolo Rege
24. An. 1284. §. Siciliæ legitimo, *Indulgentiarum* præmia conceſſit.
3. An. 1285. Mortuus eſt Peruſiæ anno 1285. IV. Kal. April.
§. 12. 13. *anno quarto, menſe, ac die ſeptimo*, quam electus
Spond. §. 5. fuerat: eodemque loco ſepultus miraculis claruit.

CXC.

(3) Fazellus de Rebus Siculis Dec. 2. lib. 8. cap. 4. pag. 490. *Duarum horarum ſpatio eo tempore octo Francorum millia occiſa fuiſſe conſtat. Inde adagio increbuit* Veſper Siculus.

CXC.

HONORIUS IV.

ANNO CHRISTI 1285.

RODULPHI REG. 13. ANDRONICI 2.

HONORIUS IV. antea *Jacobus Sabellus* Romanus IV. Nonas April. anno 1285. Martino IV. Perusiæ suffectus, Romæ inauguratus est. Jussu ejus Arabica & aliæ exoticæ linguæ, ut ad Saracenos & Orientales Schismaticos in Catholica Fide erudiendos perutiles atque adeo necessariæ, Parisiis tradi cœptæ. Confirmatus per eum Ordo Carmelitarum, & vestis decentior, qua etiam nunc utuntur, eisdem tradita. Approbatus quoque Ordo Eremitarum S. Augustini. Nova vero Mendicantium secta, quam nomine *Ordinis Apostolorum* nescio qui conflaverant, condemnata. Suprema post *biennium* Pontificatus fuit dies tertia Aprilis anni 1287.

Rayn. an. 1285. §. 14. Spond §.6. 20. 21. 22.

Rayn. an. 1286. §. 36. Spond. §. 1.

Rayn. an. 1287. §. 9. Spond. § 4.

CXCI.

NICOLAUS IV.

ANNO CHRISTI 1288.

RODULPHI REGIS 16. ANDRONICI 5.

MENSES amplius decem post mortem Honorii IV. anno 1288. VIII. Kal. Mart. *Hieronymus Tineus* Asculanus, *primus ex Ordine S. Francisci renuntiatus est Pontifex ad S. Sabinam, & biduo post coronatus apud S. Petrum, sumto nomine* Nicolai Quar-

Rayn. an. 1288 §. 1.7. 24. 29. 32. Spond. §. 1. 10. 11.

Quarti *in memoriam* Tertii, *a quo fuerat creatus Cardinalis*. (1) Semel atque iterum traditum sibi Pontificatum abnuit, demum Cardinalium precibus victus, coactusque inivit. Eo hortante Senatum Venetum decrevisse, ut Fidei censores essent in ditione Reipublicæ, iidemque de communi ærario sustentarentur, in trinis annalibus invenio. (2) Eumdem non conservandæ solum, sed etiam propagandæ Fidei cura maxime intentum habuit. Varios enim ad varias gentes misit præcones Euangelii. Carolum II. cui *Claudo* additur cognomen, Siciliæ & Apuliæ Regem Reate coronavit in easdem conditiones, in quas Pater ejus fuerat a Clemente IV. inauguratus. Idem abrogasse traditur constitutionem Gregorii X. de Conclavi. (3) Illud haud cuipiam in dubio est, eum edita constitutione duas fecisse redituum Romanæ Ecclesiæ partes, quarum altera Pontifici, altera Cardinalibus cederet, (4) eumdemque confirmasse litteras Alexandri IV. de veritate stigmatum S. Francisci. (5) Anno 1291. Pontificatus ejus quarto expugnata

Rayn. an. 1289. §.1.49. Spond. §.2.

(1) Spondanus ad an. 1288. §. 1.

(2) Apud Waddingum ad an. 1589. §. 14. Raynaldum ad an. 1588. §. 54. & Spondanum ad an. eumd. § 6.

(3) Traditur ab Raynaldo ad an. 1276. §. 29. & ad an. 1289. §. 49. ex Nicolai IV. epist. 1. lib. 2. Addubitat Pagius in Vita hujus Pontificis §. 21. tum quia ejus epistolæ verba non recitantur ab Raynaldo, tum quia nulla mentio de abrogatione ea reperitur in tribus S. Cælestini V. diplomatis apud eumdem Raynaldum in *Addendis* ad Tomum XV. in quorum primo atque altero S. Pontifex *asserit*, *Gregorii X. constitutionem ab Hadriano V. & Joanne XXI. fuisse suspensam, in tertio vero eam etiam per eumdem Joannem XXI. fuisse revocatam*, abrogatamque.

(4) *Quod si aliquando servatum fuit, certe a multo tempore abiit in desuetudinem: cum nihilominus habeant Cardinales jura sua atque uberes proventus, quibus dignitatem honeste sustineant:* Spondanus ad an. 1292. §. 3. Constitutio est apud Raynaldum ad an. 1289 §. 49.

(5) Vide annotat. 4. ad Vitam Alexandri IV.

ta ab Saladino Babyloniæ Rege Hierosolyma, & Christiani expulsi Syria tota. Sacratissima quoque Ædicula, in qua Christus Dei filius a Virgine conceptus de Spiritu Sancto, diversatusque est per annos multos, Angelorum ministerio VII. Idus Majas translata est in Dalmatiam, atque inter Tersactum & Flumen oppida, in planitie summa collis Adriaco mari impendentis collocata. (6) Anno insequente pridie Nonas April. die sacro Parasceves obiit, cum *annos quatuor, mensem, & dies quatuordecim* Pontificatum egisset.

Rayn. an. 1291. §. 44. 68. Spond. §. 10.

Rayn. an. 1292. §. 17. Spond. §. 3.

CXCII.

S. CAELESTINUS V.

ANNO CHRISTI 1294.

ADOLPHI REGIS 3. ANDRONICI 11.

CUM annos duos ac menses tres discordia sententiarum certassent Cardinales, tandem anno 1294. III. Nonas Jul. *Calestino* V. munus Ecclesiæ administrandæ consensu injungunt. Patria hic Esferniensis, professione Monachus, *Petrus de Murrone* cognominatus a monte ejusdem nominis duobus ab Sulmone millibus, in quo genus vitæ asperrimum ducebat. Delatam sibi dignitatem summam recusavit, fessus precibus suscepit. Aquilæ consecrari voluit, quam Urbem iniit asello vectus, Regibus Siciliæ & Hungariæ præeuntibus ad frena. (1)

Rayn. an. 1294. §. 3. & seqq. Spond. §. 1. & seqq.

(6) Post annos tres ac menses septem anno 1294. IV. Idus Decembr. Angelorum itidem opera delata est in Italiæ regionem Picenam, estque hodie sacrarium insigne, ditissimumque Christianorum donariis undique collatis. Vide Raynaldum ad an. 1291. §. 68. & ad an. 1294. §. 24. & Historiam nostram Familiæ Sacræ cap. 1.

(1) Tribus editis constitutionibus ratam jussit esse Gregorii X. constitutionem de Cardinalibus includendis in Conclave ad celerem Pontificis electionem. (2) Confirmavit etiam Ordinem ab se institutum, qui deinde *Cælestinorum* appellatus est. Neapoli, quam Romæ sedere maluit. Pontificatus curis distentus cum haud facile posset in se ipsum secedere, assuetisque rerum divinarum contemplationibus vacare, ea res vitæ pristinæ desiderium fecit. De Pontificatu igitur deponendo cogitare cœpit. Tum vero in disquisitionem venit, posset ne Pontifex se abdicare. Posse Cardinalium *omnium concordi consilio & assensu, auctoritate Apostolica statuit & decrevit* Cælestinus. (3) Quare Idibus Decembr. exemplo memorabili virtutis deposuit Pontificatum, *mense quinto & die octavo*, quam ei demandatus erat. (4) Postea latuit. Latitantem perquiri jus-

(1) *Hoc ab eo factum est non quidem superba singularitate, quasi alios, qui aliter fecerant, reprobare voluerit, sed singulari humilitate, qua a sancta rusticitatis monasticæ consuetudine nec facile, nec cito avelli potuit. Hos quippe magnificos apparatus sive in equis, sive in vestibus ac aliis exterioribus ornamentis, quos plerique pompas vocant, a tempore B. Silvestri Papæ sancti Patres non solum summi Pontifices, sed & alii minores Episcopi non ad suam, sed ad Christi & Ecclesiæ ejus gloriam extollendam introduxisse credendi sunt: quos exterius cum temperantiæ moderamine observare, interius tamen servata humilitate, non est vanitatis aut vitii, sed est virtutis ac meriti*: Petrus de Alliaco lib. 2. cap. 11. apud Raynaldum ad an. 1294. §. 11.

(2) Recitantur ab Raynaldo in *Addendis* ad Tomum XV. Vide annotat. 3. ad Nicolaum IV.

(3) Patet id ex cap. *Quoniam* 1. De Renuntiatione in 6. Vide Martinum Bonacinam *De legitima Pontificis electione* disputat. 1. quæst. 1. punct. 1. num. 21. Azorium Institut. Moral. part. 2. lib. 4. cap. 6.

(4) S. Antoninus in Chron 3. part. tit. 20 cap. 8. *Aliqui de hoc opere eum arguunt, quasi ex animi vilitate, & nimia sui dejectione hoc egerit, ut Dantes Poeta.* (Infer. 3. 59.)

jussit successor ejus Bonifacius VIII. inventumque in arcem Fumonis includi, ad periculum schismatis evitandum. (5) Ex ea custodia anno 1295. XIV. Kal. Junii evolavit ad superos: sepultusque est Ferentini in Cœnobio sui Ordinis. Rayn. an. 1295. S. 11. 13. 14. Spond. S. 2. 3.

CXCIII.

59.) *Alii eum valde commendant de sua humilitate & puritate conscientiæ, ut Franciscus Petrarcha.* (De vita solitaria lib. 2 sect. 3. cap. 18.) *Sed Ecclesiæ, quæ eum propter sanctitatem, & miracula canonizavit defunctum, opera ejus approbans, magis inhærendum est.*

Benevenutus de Imola Commentariis in Comœdiam Dantis, circa annum Christi 1376. compositis, ut est in Excerptis apud Muratorium tom. 1. Antiquitatum Italicarum medii ævi pag. 1038. ait, Dantem non loqui de Cælestino. *Quia licet Cælestinus fecerit maximam renuntiationem, non tamen ex vilitate fecit, imo ex magnanimitate. Fuit enim Cælestinus, si verum loqui volumus, vere magnanimus ante Papatum, in Papatu, & post Papatum.* Primum probat, *quia statim audita electione sua, conatus est fugere*: alterum quia *vixit humilis in alto, solitarius inter turbas, & inter divitias pauper fuit*: tertium quia *gaudio & lætitia* summa abiit Pontificatu. Adjicit *multis claruisse miraculis, dignumque exstitisse Sanctorum catalogo numerari*. Postea ita concludit: *Patet ergo ex his, quod non sit standum opinioni vulgi. Nam vanæ voces vulgi non sunt audiendæ. Nec Vir sapientissimus Dantes credendus est, Virum sanctissimum damnasse ad opinionem vulgi ignari. Quis ergo fuerit iste tristissimus, dico brevius secundum judicium meliorum, quod fuit Esau. Iste enim fecit magnam refutationem, quando renuntiavit omnia primogenita sua fratri Jacob, &c.* Ivit in eamdem sententiam Victorellus in Addit. ad Ciaconium tom. 2. pag. 276. eamdemque, ut legere licet apud Cardinalem Petram in Comment. ad Constitut. Apostol. tom. 3. pag. 329. num. 5. *novissime tuetur P. Innocentius Barcellini* Abbas Cælestinorum, *in libro lingua Italica conscripto* Industrie Filologiche, *Mediolani impresso anno 1701.*

(5) Ptolomæus Lucensis Hist. Eccl. lib. 24. cap. 34. *In custodia ponitur & tenetur pro cavendo scandalo Romanæ Ecclesiæ, quia apud aliquos dubitabatur, an cedere potuisset, & sic poterat schisma in Ecclesia generari. Tentus igitur in custodia non quidem libera, honesta tamen, in Castro Fumonis* in Campania.

CXCIII.

BONIFACIUS VIII.

ANNO CHRISTI 1294.

ADOLPHI REGIS 3. ANDRONICI 11.

Rayn. an. 1294. §. 23. Spond. §. 8. Rayn. an. 1295. §. 1. 2. 55. Spond. §. 1. Rayn. an. 1297 § 2 26. 32. 41. 58. Spond. §. 1. 2. 4.

DIE decimo, quam se Pontificatu Cælestinus V. abdicavit, Conclave juxta Gregorii X. decretum ingressi Cardinales, postero die IX. Kal. Januar. *Bonifacium* VIII. Anagninum, *Benedictum* Cardinalem *Cajetanum* antea dictum, cooptarunt Neapoli. (1) Inde Romam profectus, IV. Nonas Januar. anno 1295. Pontifex inauguratus est. Simul Pontificatum cepit, gravissimas pœnas decrevit in eos, qui ausu sacrilego tentassent lædere Cardinales. (2) Omnium primus Tiaram adhibuit circumdatam corona duplici. (3) *Apostolorum, Euangelistarum*, & quatuor Ecclesiæ Doctorum Gregorii Papæ, Augustini, & Ambrosii Antistitum, ac Hieronymi Sacerdotis *festivitates sub Officio duplici per universas Orbis Ecclesias precepit solemniter celebrari*. (4) Jubilæum, hoc est *remissionis annum* (5) instauravit, (6) decrevitque *lege temperata, la-*

ta-

(1) S. Antoninus in Chron. part. 3. tit. 20. cap. 8. §. 1. *Vir utique prudens, & litteratus, & magni animi, zelator magnus, & conservator jurium Ecclesiæ*.

(2) Exstat decretum cap. *Felicis recordationis* 5. De pœnis in 6.

(3) Vide annotat. 2. ad Urbanum V.

(4) In cap. unic. De reliquiis & veneratione Sanctorum in 6.

(5) S. Isidorus Hispalensis Originum lib. 5. cap. 37. inter Auctores Linguæ Latinæ Gothofredi pag. 945.

(6) Non instituit, uti quidam prave putant. Nam Jubilæum centesimo quoque anno etiam ante Bonifacium

VIII.

taque in perpetuum, ut centesimo quoque anno venia peccatorum donarentur, quicumque Romana Templa venerabundi inviserent plena religione, vetustate sancta. (7) Ludovicum IX. Galliæ Regem adscripsit in numerum sanctorum. Sardiniam, Corsicamque insulas Jacobo Regi Aragonio dedit fiduciarias. Libris quinque *Decretalium* Gregorii IX. annexuit sextum collectum jussu suo. Gravis inter eum & Columnenses Romanorum potentissimos discordia fuit, adeoque provexit, ut Jacobo & Petro Columnensibus Patruo, ac Nepoti, a quibus edito libello (8) traducebatur tamquam Pontifex vitio

E e crea-

VIII. Romæ celebratum fuisse, satis compertum est ex constitutione ipsiusmet Bonifacii, quam habes *Extravag. communium* lib. 5. cap. *Antiquorum* 1. De pœnit. & remiss. & ex cap. 2. Libri *De centesimo, seu Jubilæo anno* a Jacobo Cajetano Cardinali S. Georgii ad velum aureum conscripti, qui exstat tom. 25. Bibliothecæ Patrum pag. 936. Vide Phœbeum De anno Jubilæi cap. 4.

(7) Joannes Mariana De rebus Hispaniæ lib. 15. cap. 3. Postea Clemens VI. annorum compendium fecit, & Jubilæum sæculare revocavit ad annum quinquagesimum, Urbanus VI. ad trigesimum tertium, ac tandem Paulus II. ad quintum supra vicesimum.

(8) Quo temere asserebant, neque Cælestinum V. potuisse abire Pontificatu, neque ei Bonifacium VIII. subrogari, provocabantque ad Concilium Oecumenicum. Refertur libellus a Raynaldo in *Addendis* ad Tom. XV. Refellitur a Petro Paludano in Tractatu *De caussa immediata Ecclesiasticæ Potestatis*. Criminationes, quibus Columnenses in Bonifacium utebantur, confutavit etiam Joannes Andreas *Lectura in Regulas libri sexti Decretalium*, quam *Mercuriale* vocavit, *De Renuntiat.* cap. 1. Supra ceteros Bonifacii caussam defendit Ægidius Romanus seu Columna ab eodem Bonifacio constitutus Archiepiscopus Bituricensis in libro *De Renuntiatione Papæ*, qui exstat tom. 2. Bibliot. Pontificiæ Rocaberti pag. 1. Ejus libri cap. 23. eum vindicat etiam ab ea calumnia, quam nonnulli inferebant, quasi ejus fraude Cælestinus se ie abdicasset Pontificatu. *Potest*, inquit, *ex pluribus adhuc viventibus comprobari, Dominum Bonifacium Papam* VIII. *tunc in minoribus agentem, & Cardinalem exi-*

sten-

creatus, *Cardinalatum* abrogaret, omnesque Columnenses solum mutare compelleret, usus armorum vi. Sed multo gravius eidem cum Philippo Pulcro Gallorum Rege dissidium fuit, orto initio ab constitutione ea, qua Bonifacius cavit, ne Clerici aliquid *Laicis solverent absque auctoritate Sedis Apostolicæ*. (9) *Exstant Regiæ majestatis, Pontificisque alternæ epistolæ utrinque missæ, plenæ convitiis mutuis, ignominiosaque, si modo vera, ab ipsisque composita, & non conficta ab aliis, quod similius vero sit.* (10) Demum utrinque deventum est ad extrema. Bonifacius in conventu Parisiensi oneratus falsis criminibus. Philippus a Bonifacio percussus anathemate, regnum ejus interdictum sacris, adjudicatumque Alberto Austriæ Duci, Rodulphi filio. Hinc Pontifex per Sciarram Columnam, & Gulielmum Nogaretum Anagniæ habitus in custodia. (11) Triduo post a Civibus Anagninis vindicatus in

Rayn. an. 1301. §. 26. 32. Spond. §. 5. 8. 11.

Rayn. an. 1303. §. 35. 36. 41. 43. 44. Spond. §. 5. 7. 12.

stentem persuasisse Domino tunc Cælestino, quod non renuntiaret, quia sufficiebat collegio, quod nomen suæ Sanctitatis invocaretur super eos. Et quia etiam pluribus audientibus hoc factum fuit, ideo in renuntiatione non fuerunt illæ dolositates, nec illæ machinamenta, nec illæ fraudes, ut adversarii asserebant.

(9) Cap. *Clericis* 3. De immunitate Eccl. in 6. Hujus dissidii historiam breviter explicatam habes cap. 7. §. 4. ejus libri, cui titulus: *Trattato dello Scisma tradotto dal Francese*, editi Romæ anno 1736. Vide Raynaldum ad an. 1296. §. 22. 24. 25. Spondanum ad an. eumdem §. 4. Thomassinum De Vet. & nova Ecclesiæ disciplina part. 3. lib. 1. cap. 43. §. 9.

(10) Paulus Æmilius De rebus gestis Francorum lib. 8. pag. 171.

(11) S. Antoninus in Chron. part. 3. tit. 20. cap. 8. §. 21. *Subito captura Papæ divulgata est per orbem.... Episcopus Civitatis* Morianensis, *qui erat religiosæ & sanctæ conversationis, hæc cum audisset, coram multis ait:* Hoc novum dabit magnum gaudium Regi Franciæ, sed extrema gaudii luctus occupabit: nam propter tantum excessum notabile judicium Dei irruet super eum & progeniem ejus: magnas luet

in libertatem profectus est Romam: ibique die quinto ac tricesimo postquam captus fuerat, V. Idus Octobr. anno 1303. interiit, cum *annos octo, menses novem, & dies duodeviginti* Ecclesiam impavide administrasset. (12)

luet pœnas, adversa multa patietur, & plurimi insurgent contra eum & filios ejus. *Quod totum completum est non multo post tempore. Et hoc ideo scriptum est, ut hoc exemplo ceteri illud observent oraculum:* Nolite tangere Christos meos. Qui enim vos tangit, tangit quasi pupillam oculi mei.

(12) Jacobus Cardinalis S. Georgii ad velum aureum Bonifacio VIII. coævus, De Canonizatione S. Petri Cælestini lib. 1. cap. 11. tom. 3. Scriptor. Rer. Italic. pag. 660.

.... Lecto prostratus anhelus
Procubuit: fassusque fidem, veramque professus
Romanæ Ecclesiæ, Christo tunc redditur almus
Spiritus.

Papebrochius in hunc locum: *Bonifacii famam multis calumniis laceratam videtur vindicare voluisse Deus detectione integri ejus corporis post annos fere 300. facta anno 1605. eodem, quo obierat die 11. Octobris, cujus inventionis Acta vide apud Raynaldum ad an. 1303. n. 44. Credibile est ab eo moriente iteratam fidei formulam, quam Bzovius, ex eoque Oldoinus ad Ciaconium recitant.* Vide Cardinalem Lambertinum De Serv. Dei Beatif. & Beat. Canoniz. lib. 4. part. 1. cap. 30. num. 7.

CXCIV.

B. BENEDICTUS XI.

ANNO CHRISTI 1303.

ALBERTI REGIS 5. ANDRONICI 20.

Rayn. an. 1303. §. 45. 46. Spond. §. 17. 18. 20. 21.

BENEDICTUS XI. Tarvisinus (1) Boccasii de Boccasinis Notarii filius, *Nicolaus* antea dictus, *in Prædicatorum familia, nescio sanctius, an eruditius institutus* (2) anno 1303. XI. Kal. Novembr. Catholicæ Ecclesiæ regendæ præfectus est, cum prius restitisset ac repugnasset, ne præficeretur. (3) *Pontifex factus vitæ superioris rationem non modo non deseruit, verum etiam adauxit*. (4) Modestiæ ejus argumentum exemplo unius rei notasse satis erit. Matrem, quæ Perusiam accesserat, ut eum videret, ac viseret, indutam vestibus pretiosis agnoscere se negavit, rejecitque, usitatis opertam amplexus est peramanter, habuitque in honore. (5) Pacis fuit studiosissimus. *Reconciliavit ad*

(1) Bernardus Guidonis Ordinis Prædicatorum, qui floruit anno 1323. in Vita hujus Pontificis tom. 3. Scriptor. Rer. Italic. pag. 672. *Benedictus* XI. *natione Lombardus de Trivisio Civitate*. Id quod multis probat Antonius Scoti Canonicus Tarvisinus in Præfat. libri, quem inscripsit *Memorie del Beato Benedetto* XI. *Pontefice Massimo*, contendens illos refellere, qui eum tradunt humili loco natum.

(2) Ægidius Viterbiensis Cardinalis apud Victorellum in Addit. ad Ciaconium tom. 2. pag. 342.

(3) Hoc profitetur Benedictus ipse XI. in epistola ad Archiepiscopum Mediolanensem, & ejus Suffraganeos apud Raynaldum ad an. 1303. §. 48.

(4) Memoratus Ægidius Cardinalis Viterbiensis loco citato.

(5) S. Antoninus in Chron. part. 3. tit. 20. cap. 9. & Albertus Krantzius lib. 8. Metropolis cap. 46. pag. 224.

ad Ecclesiasticam unitatem, non tamen ad Cardinalatum restituit, Jacobum & Petrum de Columna, restituens eis illa, quæ ipsorum fuerant, quæ Ecclesia tunc tenebat. Simultatem & diffidium, quæ suborta fuerant inter Regem Franciæ Philippum, & Bonifacium Papam sedavit, & privilegia ac libertates, quibus Regem privaverat Bonifacius prædecessor, eidem Regi restituit, & concessit sicut antiquitus. (6) Sciarram vero Columnam, & Gulielmum Nogaretum, ceterosque auctores captivitatis Bonifacii VIII. detrectantes sistere se Tribunali Apostolico damnavit. Idem controversiam, *quæ jamdiu exarserat inter Clerum & Religiosa Sodalitia*, an qui apud Monachos sacra exomologesi crimina expiarant, ad illa iterum Parocho aperienda obstricti essent, *in Parisiensi primum Academia ventilatam diremit, pronuncians necessitatis non esse ea repetere.* (7) Idemque *licet de necessitate non sit iterum eadem confiteri peccata, tamen propter erubescentiam, quæ magna est pœnitentiæ pars, ut eorumdem peccatorum iteretur confessio, reputavit salubre.* (8) Primus indulsit, ut sacra D. Francisci stigmata quotannis colerentur ritu solemni. (9) *Curam* vero *recuperandæ Terræ Sanctæ non tantum non intermisit, verum etiam majoribus studiis in id incubuit, si qua ratione dissidentes Principes Europæos conciliaret, & ab eis ingentia auxilia in Syriam transmitteret. In eam rem Exactores sacræ pecuniæ ad omnia regna destinavit, qui decimas a Bonifacio* VIII. *ubique terrarum impositas colligerent, atque mensariis Romanæ Ecclesiæ in sumtus belli Orientalis numerarent. Quod autem non ignoraret, aliquos perditos Christianorum in* Rayn. an. 1304. §. 9. 10. 13. 31. 35. Spond. §. 3.

(6) Bernardus Guidonis loco citato.
(7) Raynaldus ad an. 1304. §. 21. ex Extravagante *inter cunctas* 1. De Privilegiis inter Communes.
(8) Sunt verba ipsa memoratæ Extravagantis *inter cunctas*.
(9) Waddingus tom. 6 Annal. Minorum ad an. 1304. §. 14. pag. 39.

cades & damna Crucesignatorum cum Saracenis fere conspirasse, eisque arma, & reliqua bello gerendo necessaria ministrasse, in eos gravissimum anathema strinxit, atque inimicos Crucis Christi eos fore renunciavit. (10) Majora his molientem mors prævenit pridie Nonas Quintil. anno Christi 1304. ætatis sexagesimo quarto, *mense* Pontificatus *octavo*, *die decimo*, *septimoque*. (11) Sepultus est in Ecclesia Prædicatorum Perusiæ, eodem, quo obiit loco.

CXCV.

CLEMENS V.

ANNO CHRISTI 1305.

ALBERTI REGIS 7. ANDRONICI 22.

INTER Cardinales, qui Perusiæ coierant ad creandum Pontificem, orta dissensio est, aliis Italum & Bonifacii VIII. memoriæ haud contrarium, aliis Gallum & Philippo *Pulcro* amicum eligere contendentibus. Diremto post menses undecim per Nicolaum Cardinalem Pratensem certamine, Nonis Jun. anno 1305. summa rei Christianæ de-

Rayn. an. 1305. §. 1. & seqq. Spond. §. 1. & seqq. An. 1306. §. 1.

(10) Bzovius ad an. 1304. §. 1. & 2.

(11) Veneno absumtum, quod ei quorumdam Cardinalium invidia, vel Florentinorum malevolentia paraverit, scriptis proditum est. Utcumque sit, id certo constat, fuisse Pontificem sanctissimum, & miraculis post mortem patratis inclytum. Quare anno 1734. actum est de eo referendo inter Sanctos, ut legere licet apud Lambertinum De Serv. Dei Beatif. & Beat. Canoniz. lib. 4. in Additionibus ad universum opus pag. 348.

Supersunt adhuc ejus nepotes in vico S. Viti Valeduplavenis agri Tarvisini, qui duodeviginti passuum millibus abest a Tarvisio in Septemtrionem. Hos Veneta Respublica favore quodam insito in Pontifices habet eximios immunitatibus multis datis.

defertur *Bernardo de Agutis, seu de Gotto*, Archiepiscopo Burdigalensi. Acceptum Burdigalæ X. Kal. Quintil. decretum electionis suæ promulgavit die postero, imposito sibi *Clementis* V. nomine. Inde profectus Lugdunum, eodemque accitis Cardinalibus, XVIII. Kal. Decembr. inauguratur in Æde S. Justi. Cernens hic Italiam factionibus perturbatam, substitit in Gallia, sedemque Pontificiam transtulit Avenionem, ubi hæsit annos circiter septuaginta. (1) Ipse modo Lugduni, modo Burdigalæ, sed Avenione præsertim commoratus est. Regem Christianissimum recepit in communionem Ecclesiæ. Cardinales *Jacobum & Petrum de Columna patruum & nepotem, quos olim Bonifacius* VIII. *deposuerat, ipse reposuit in Cardinalatu*: (2) nullo tamen pacto adduci potuit, ut Bonifacii VIII. quod maxime Rex postulabat, memoriam damnaret, ejusque acta aboleret. Andronicum Orientis Imperatorem in schismate pertinacem exsecratus est. Approbavit electionem Henrici VII. Regis Romanorum, conditione adjecta, ut intra biennium insignia Imperii acciperet Romæ. Accepit autem anno 1312. die festo Apostolorum Petri & Pauli in Ecclesia Lateranensi a Cardinalibus in id a Pontifi-

Rayn. an. 1307. §. 7. 10. Spond. §. 1. 4.

Rayn. an. 1309. §. 11. 13. An. 1312. §. 21. 37. 40. Spond. §. 2. 3.

Ee 4 ce

(1) S. Petrus Venerabilis Abbas Cluniacensis lib. 1. epist. 1. ad Innocentium II. tom. 22. Bibl. Patr. pag. 826. *Ubicumque occurrerit habitatio vestra, manebit ubique vobiscum obedientia & devotio nostra: quoniam & secundum Poetam* (Lucan. l. 5. v. 28)

——— Vejos habitante Camillo,
Illic Roma fuit. ———

& Petrus in carcere, Clemens in exilio, Marcellus in catabulo, non minus quam Laterani, Ecclesiæ præfuerunt, & oves Christi eis ut veris Pastoribus obedierunt.

Auctor Glossæ ad Joannis XXII. Extravag. *Execrabilis* De Præbendis & dignitat. *Ubi est summus Episcopus, qualis est Papa, ibi est Romana Ecclesia, ibi est Sedes Apostolica.* Vide Baluzii Præfationem ad Vitas Paparum Avenionensium.

(2) Bernardus Guidonis in vita hujus Pontificis inter Script. Rer. Italic. tom. 3. pag. 674.

ce Romam missis, suamque fidem, antequam sacro inungeretur oleo, obligavit Sedi Apostolicæ, pollicitus, se ei obsequentissimum fore. Interim Clemens Cælestinum V. retulit inter Divos, & Concilium Oecumenicum XV. Viennæ Allobrogum celebravit. (3) Obiit anno 1314. XII. Kal. Majas ad Rupem Mauram Diœcesis Nemausensis, dum Burdigalam pergeret, *anno octavo, mense decimo, die quinto decimo*, ex quo Pontificatum conscenderat. Corpus ejus translatum Uzestam, vicum Vasa-

Rayn. an. 1314. §. 14. Spond. §. 1.

(3) Anno 1311. Interfuerunt, præter Cardinales, Patriarchæ Alexandrinus, & Antiochenus Latini ritus. Quot Episcopi interfuerint, haud parvo inter scriptores discrepat numero. Alibi centum & quatuordecim, alibi trecentos reperio. Illud satis constat, numerum Episcoporum & Præsulum inferioris ordinis magnum fuisse, quem auxere Philippus *Pulcher* Rex Francorum, & aliorum Principum Oratores. Præfuit ipse summus Pontifex. Intra menses circiter septem perfectum est tribus *sessionibus*. In prima disceptatum de caussa Templariorum, subsidio Terræ Sanctæ, & Ecclesiæ disciplina. In altera Clemens lata, *sacro approbante Concilio*, sententia abolevit Ordinem Templariorum criminibus turpissimis convictum duobus testium millibus, eorumque opes amplissimas adjudicavit Equitibus Hospitalariis S. Joannis Hierosolymitani, quos nunc *Melitenses* appellamus. In tertia variæ conditæ constitutiones ad mores, Fidemque Catholicam pertinentes. Anathemate damnatus Petrus Joannes Olivi. Eadem pœna affecti Fraticelli, Dulcinistæ, Beguardi, & Beguinæ: quorum turpes errores recensentur in Clementina *Ad nostrum* 3. Confirmatæ Gregorii X. leges de comitiis Pontificalibus; & refertur decretum in Clementina *Ne Romani* 2. Statutum, ut in Scholis Romanæ Curiæ, & Academiis Parisiensi, Oxoniensi, Bononiensi, & Salmanticensi essent publici linguarum Hebraicæ, Arabicæ, & Chaldaicæ professores. Decretum insuper, Festum Corporis Christi ab Urbano IV. institutum debito honore & cultu peragendum esse ab Christianis omnibus. Ex his, aliisque constitutionibus librum septimum *Decretalium* Clemens V. confecit, quem Joannes XXII. ejus successor in lucem emisit inscriptum nomine *Clementinarum*, ex quibus hæc fere desumsimus.

Conc. Oecum. XV.

ſatenſis Diœceſis, ibique ſepultum in Eccleſia B. M. Virginis. (4)

CXCVI.

JOANNES XXII.

ANNO CHRISTI 1316.

IMP. OCCID. VACANTE, ANDRONICI 32.

DISSIDENTIBUS inter ſe poſt Clementis V. mortem Cardinalibus, interregnum annorum amplius duorum fuit. Anno demum 1316. VII. Idus Sextil. Lugduni Pontifex creatus eſt *Jacobus de Euſa*, Eccleſiaſtici ac divini juris præſtans ſcientia, Epiſcopus Cardinalis Portuenſis, Cadurci loco haud infimo natus. (1) Joannem XXII. ſe appellari vo-

Rayn. an. 1316. §. 1. 2. 5. Spond. §. 1. 2.

(4) Zerola in Praxi Epiſcopali verbo *Epiſcopus* num. 15. *Epiſcopi uſque ad Clementem* V. *&* *Joannem* XXII. *erant in dignitate ſupra Cardinales*.

Barboſa lib. 1. Juris Eccleſiaſtici univerſi cap. 3. num. 7. *Uſque ad tempora Bonifacii* VIII. *nullus erat Epiſcopus, qui vellet fieri Presbyter Cardinalis, quia putabant non licere deſcendere a majori dignitate ad minorem*.

(1) Tradunt nonnulli, conveniſſe inter Cardinales illum fore Pontificem, quem *Jacobus de Euſa* nominaſſet, hunc vero Neapoleonis Urſini conſilio ſemet ipſum elegiſſe. At cur Ludovicus Bavarus, aliique Joannis obtrectatores hoc ei conſilium tam cupidum, tam audax non exprobrarunt? Cur Joannes ipſe in epiſt. ad Robertum Regem Siciliæ, quæ eſt apud Raynaldum ad an. 1316. §. 8. ſcripſit, ſe *concorditer nemine diſcrepante in ſummum Pontificem electum*? Cur ſubjecit idem, ſe, cum vires ſuas ad Pontificii muneris difficultatem perpendiſſet, *timore ac tremore concuſſum vehementer hæſitaſſe*, deberet ne tantum onus ſuſcipere? Cur denique Alvarus Pelagius, qui Joanni æqualis fuit, lib. 1. De Planctu Eccleſiæ cap. 1. *certum*, ait, *&* *notorium toti mundo eſt, quod dictus Joannes Dominus Papa electus fuit concorditer a Cardinalibus omnibus*?

S. An-

voluit, ac VII. Idus Septembr. coronari. Duo præsertim hunc habuere solicitum, excitata per *Fratres Minores* de sua, Christi, & Apostolorum paupertate controversia, dissidiumque grave, quod ipsi fuit cum Ludovico Bavaro. Contendebant illi, Christum, & Apostolos non fuisse dominos rerum earum, quibus eos esse usos, Scriptura tradit: quo fiebat, ut bonorum dominium, usu duntaxat sibi retento, rejicerent in Pontificem Romanum. Quæstionem utramque Joannes diremit. Namque pronunciavit, constitutionem, qua Nicolaus III. usum rerum concesserat *Minoribus*, & dominium reservaverat Ecclesiæ Romanæ, (2) non esse intelligendam de rebus, quæ usu consumuntur, (3) decrevitque eos, qui assererent, Christum & Apostolos *in speciali non habuisse aliqua, nec in communi*, hæreticis annume-

Rayn. an. 1322. §. 53. & seqq. Spond. §. 15. & seqq.

S. Antoninus, referente Baluzio in annotat. ad Vitas Paparum Avenionensium pag. 689. omnium primus prodidit, Joannem XXII. fuisse filium sutoris veteramentarii. Villanius filium cauponis facit. Natum *de militari progenie*, hoc est prisca nobilitate, scribit Albertus Argentinensis, qui & ejusdem ætatis fuit, & Avenione aliquid inaudire potuit de Joannis familia, missus eodem ab Episcopo Argentinensi sub Benedicto XII.

(2) Cap. *Exiit* 2. De Verb. Significat. in 6.

(3) Extravagant. *Ad Conditorem* De Verb. Signif. Raynaldus ad an. 1322. §. 70. *Postquam extincta jam esset præteritorum invidia temporum, & calumniæ impiorum in sedem Apostolicam sepultæ oblivione, Romani Pontifices pristinæ in Minoritas benevolentiæ officia explicuere. Inter quos Martinus* V. *restituta Decretali Nicolai*, Exiit, *& constitutione Joannis* Ad conditorem canonum *abrogata, dominium rerum ad Minoritas spectantium suscepit: quem plures alii Pontifices secuti sunt, ut ea singulari clientela tecti Minoritæ ad divinum cultum liberius incumberent.*

Natalis Alexander dissertat. XI. in Hist. Eccl. sæc. XIII. & XIV. contra Novatores probat, *Joannis* XXII. *constitutiones de paupertate Christi & Apostolorum, dominioque, vel usu FF. Minorum in dogmate Fidei non esse contrarias Nicolai* III. *constitutioni* Exiit, qui seminat. Bellarminus quoque lib. 4. De Rom. Pont. cap. 14.

merandos esse, (4) damnavitque contradicentes.

(5) Sequitur Ludovici Bavari cum Joanne dissidium ortum ex discordia Electorum, qui convenerant ad creandum Imperatorem. In locum Henrici VII. anno 1313. demortui plures Ludovicum Bavariæ Ducem, alii Federicum Austrium Alberti I. Cæsaris filium legerunt. Cum nollet alter alteri concedere, litem dirimere Joannes cupivit. Sed Ludovicus in armis plus, quam in æquitate rerum spei reponens, vi, quam jure agere maluit. Prospera itaque belli fortuna usus, & victo, captoque Federico, gerere se pro Imperatore, & ad Pontificem, quo adversario utebatur, melius edoctum appellare, atque inde, ut fere fit, ad generale Concilium. Privatus ob id Imperii jure omni, Joannem calumniis laceravit per Joannem Jandunum Perusinum, & Marsilium de Menandrino Patavinum scriptores sibi mancipatos. (6) Tum Pontifex eum addixit anathemati, quo contemto ille veniens in Italiam Romæ Imperii insignia sumsit, & *Petrum Rainalutium de Corbario* oppido Diœcesis Reatinæ, Ordinis S. Francisci, constituit Pseudopontifi-

Rayn. an. 1324. §. 12. 14. 21. 27. 28. 31. Spond. §. 3. 4.

Rayn. an. 1328 §. 3. 42. 43. Spond. §. 2. 6.

(4) Extravag. *Cum inter nonnullos*. De Verb. Signif.

(5) Extravag. *Quia quorumdam*. De Verb. Signif.

(6) Errores utriusque numerat, refellit, damnatque Joannes XXII. in constitutione, quæ est in Annalibus Raynaldi ad an. 1327. §. 27. Errabant autem primum asserentes, Christum solvisse tributum Cæsari *non condescensive ex liberalitate suæ pietatis, sed necessitate coactum*: deinde affirmantes, Petrum Apostolum *non plus auctoritatis habuisse, quam alii Apostoli, nec Apostolorum fuisse caput. Romano Pontifici non modo Episcopos omnes, sed omnes etiam Presbyteros pares fecerunt*, ut scribit Bellarminus Præfat. in Libros de Rom. Pont. Alia insuper comminiscebantur, quibus potestatem Imperialem anteferebant Pontificali, ut legere licet apud Natalem Alexandrum in Hist. Eccl. sæc. XIII. & XIV. art. 13. Siquidem *nemo Marsilio Patavino diligentius, vehementius, aut etiam copiosius caussam sæcularis potestatis adversus Ecclesiasticam egisse legitur*, ut ait Pighius lib. 5. Hierarchiæ Ecclesiasticæ cap. 1.

tificem *Nicolai* V. nomine. Schisma brevi extinctum est. Ludovicus enim novo anathemate percussus, populisque solutis religione sacramenti, quo se ei obstrinxerant, in Germaniam redire coactus est. Petrus vero sponte se abdicavit Pontificatu usurpato, & veniam ab Joanne Avenionem profectus petiit, impetravitque. Idem Joannes damnavit errores *Fraticellorum*, (7) & *Joannis de Poliaco* Theologi Parisiensis affirmantis Sacramentalem Confessionem factam Cœnobitis iterandam esse Parocho, nec Pontificem posse permittere, ut Fideles tempore Paschali confiteantur aliis a Parocho peccata sua. (8) Idem *instituit, quod Festum Trinitatis solemniter celebrari deberet singulis diebus Dominicis post Festum Pentecostes, licet Romana Ecclesia hoc festum antea singulari officio non consueverit celebrare, ut extra de feriis*. (9) Idemque Salutationem Angelicam *hora*

Rayn. an. 1329. §. 2. 16. Spond. §. 3.

Rayn. an. 1330. §. 3. 10. 25. Spond. §. 4. 6.

(7) Extravag. *Sancta Romana*. De relig. domibus, ubi eorum errores recenset, quod facit etiam Alvarus Pelagius lib. 2. De Planctu Ecclesiæ cap. 51. apud Raynaldum ad an. 1317. §. 57. Fraticellorum auctor Armannus Pungilupus Ferrariensis, teste Joanne Baptista Pigna De Principibus Atestinis lib. 3. ad an. 1300. pag. 232. *Præter alios errores hunc etiam habuerunt, Petri auctoritatem in Romana Ecclesia jamdudum cessasse, atque ad sectam Fraticellorum esse translatam*, ut est in Bellarmini Præfat. ad libros de Rom. Pont.

(8) Extravagant. *Vas electionis* 2. De hæreticis inter Communes. Eosdem errores renovatos a quibusdam anno 1409. exsecratus est Alexander V. Constitut. *Regnans in excelsis*, quæ exstat in Hist. Univers. Parisiensis Bulæi tom. 5. pag. 196. & in Continuatione Magni Bullarii part. 3. pag. 221. Lege vitam Benedicti XI.

(9) Ptolomæus Lucensis in Vita hujus Pontificis apud Baluzium in Vitis Paparum Avenionensium tom. 1. pag. 177.

Porro *Extra de Feriis* cap. *Quoniam* 2. ita loquitur Alexander III. *Festivitas S. Trinitatis secundum consuetudines diversarum regionum a quibusdam consuevit in Octavis Pentecostes, ab aliis in Dominica prima ante adventum Domini celebrari. Ecclesia siquidem Romana in usu non habet, quod in aliquo tempore hujusmodi celebret specialiter festivitatem: cum sin-*

hora ignitegii sub concubium ter recitari statuit indulgentiis datis. (10) Qui scribunt, *tribunal duodecim Pontificis Capellanorum, quos* Rotæ Auditores *vocant*, ab hoc Pontifice institutum, falsa narrant. (11) Perinde mendaces sunt, qui dicunt, eum sensisse, ani-

singulis diebus Gloria Patri & Filio & Spiritui Sancto, *& cetera similia dicantur ad laudem pertinentia Trinitatis*.

Micrologus cap. 60. tom. 18. Bibl. Patr. pag. 489. *Alexander Papa de hac re inquisitus respondit, juxta Romanum Ordinem nullum diem specialiter adscribi debere solemnitati S. Trinitatis, sicut nec sanctæ Unitatis, præcipue cum in omni Dominica, imo quotidie utriusque memoria celebretur.*

(10) Mabillonius Præfat. in Acta Sæc. V. Benedictini §. 122. qui subdit hæc continuo: *Admisit hoc decretum Synodus Senonensis anno 1346. Ita enim c. 13.* Item auctoritate dicti Concilii præcipimus, quod observetur inviolabiliter ordinatio facta per sanctæ memoriæ Joannem Papam XXII. de dicendo ter *Ave Maria* tempore seu hora ignitegii; in qua ordinatione conceditur certa indulgentia. *Postea idem ritus inductus est ad matutinum tempus, & medium diem. In Synodo Vaurensi anni 1368. rectoribus, curatis Parochiarum sub pœna excommunicationis præcipitur c. 127. ut circa Solis ortum* pulsari faciant unam Campanam *eo modo, quo ad noctem pulsari solebat: & tunc iis, qui in honorem quinque vulnerum Christi Domini quinquies Orationem Dominicam, atque septies Angelicam Salutationem* genibus flexis *dixerint* triginta dies de injunctis *relaxantur. Postea vero hic numerus ad tres* Salutationes *redactus est*.

Oldoinus in Nova Additione ad Ciaconium tom. 2. pag. 404. ex Hippolyto Marraccio in Pontificibus Marianis: *Cum pius mos in Sanctonensi Ecclesia susceptus esset, ut vergente in noctem die campana pulsaretur ad præmonendos Fideles, ut Salutatione Angelica Virginis suffragia implorarent, Joannes Pontifex decem dierum Indulgentiam iis concessit, qui pie ter illam flexis genibus funderent, si vere eos criminum pœniteret. Singulis insuper Canticum* Salve Regina *devote recitantibus quadraginta dies Indulgentiæ proposuit: prolationem etiam nominis* Mariæ, *ut ejus esset frequentior invocatio, sacris Indulgentiis ditavit*. Vide annotat. 2. ad Callistum III.

(11) Ciaconius in vita hujus Pontificis tom. 2. pag. 392. & Spondanus ad an. 1334. §. 3.

Joannes tamen XXII. in constitutione 14. tom. 1. Bullarii pag.

Rayn. an. 1334. §. 27. 33.35.37.38. 39. Spond. §. 2. animas Justorum non nisi post supremum judicii diem esse Deum visuras. Quandoquidem sententiam ejusmodi se numquam habuisse professus est coram Cardinalibus pridie, quam excederet e vita. (12) Excessit autem anno 1334. pridie Nonas Decembr. Avenione, ubi etiam est sepultus in Templo majore, cum egisset *annos* Pontificatus *duodeviginti, & menses quatuor minus dies duos*. (13)

CXCVII.

pag. 229. magistratum *Rotæ Romanæ* non instituit, sed institutum reformat, addicitque certis legibus. *Auditores Rotæ* appellari censent plerique, quod alternis vicibus quasi *rotatim* suo fungantur munere, vel quod præcipua Christiani Orbis negotia apud illos versentur & agitentur, ut est in Glossario Ducangii tom. 1. pag. 837. Sunt numero duodecim, tres Romani, ceteri Germanus, Gallus, Castellanus, Aragonius, Venetus, Mediolanensis, Senensis & Perusinus vicissim, Bononiensis, & Ferrariensis. De his abunde Cohelius in Notitia Cardinalatus cap. 19. Vide annotat. 1. ad Sixtum IV.

(12) Joanne XXII. Pontifice disceptatum est, utrum animæ justorum, vinculis solutæ corporis, statim perfruerentur visione Dei, an vero usque ad extremum judicii diem carerent beatitate tanta. *Quidquid in hac materia Joannes XXII. dixit, non asserendo seu opinando protulit, sed solummodo recitando*, ut legitur in censoria animadversione, quam in rem præsentem anno 1333. IV. Nonas Januarii ediderunt Theologi Parisienses, recitavitque Natalis Alexander dissertat. 11. in Hist. Eccl. sæc. XIII. & XIV. Theologis Parisiensibus consentit Ptolomæus Lucensis lib. 24. Hist. Eccl. cap. 42. tom. 11. Scriptor. Rer. Italic. pag. 1212. Joannes ipse, re mature discussa, sententiam suam anno 1334. patefecit verbis illis, quæ sunt in Constitutione Benedicti XII. successoris sui apud Raynaldum ad an. eumd. 1334. §. 37. *Fatemur & credimus, quod Animæ purgatæ, separatæ a corporibus sunt in Cælo, Cælorum Regno, & Paradiso, & cum Christo in consortio Angelorum congregatæ, & vident Deum ac divinam essentiam facie ad faciem clare, in quantum status & conditio compatitur Animæ separatæ*. Vide Cardinalem Petram Comment. ad Constitut. Apostol. tom. 4. pag. 80. num. 12. & Muratorium in Libro De Paradiso adversus Burnetum cap. 2.

(13) Spondanus ad an. 1334. §. 4. *Produnt aliqui* (Magnum

CXCVII.

BENEDICTUS XII.

ANNO CHRISTI 1334.

IMP. OCCID. VACANTE, ANDRON. JUN. 3.

BENEDICTUS XII. Tolosanus, *Jacobus Furnerius* seu *Novellus* antea dictus, Abbas Ordinis Cisterciensis, anno 1334. XIII. Kal. Januar. in Pontificatum suffectus est, & VI. Idus mensis ejusdem anno insequente coronatus. (1) Huic nihil initio Pontificatus magis curæ fuit, quam ut Ludovici Bavari contumaciam frangeret lenitate, quæ tamen fato nescio quo frustrata est. Itaque exsecrationes redintegravit ab decessore suo Joanne XXII. latas in eum tamquam usurpatorem Imperii. *Veritus* autem, *ne vacante Imperio Italia ab aliquo externo hoste invaderetur, Luchinum Vicecomitem, Joannemque ejus fratrem Archiepiscopum Mediolani, a-*

Rayn. an. 1334. §. 1. 3. Spond. §. 6.

Rayn. an. 1335. §. 1. 8. Spond. §. 1. & seqq.

lia-

gnum Chronicon Belgicum, & Langius in Chron. Citizensi) *collegisse Joannem* XXII. *de libris decessorum suorum, ex Ordine S. Benedicti fuisse summos Pontifices viginti quatuor, Cardinales centum octoginta tres, Archiepiscopos* 1484. *Episcopos* 1502. *Abbates insignes* 15070. *Sanctos canonizatos* 5555. *Alibi tamen reperimus, tamquam ex Concilio Constantiensi, & inscriptione litteris aureis apposita monasterio* S. Petri, totidem quidem Pontifices, sed Cardinales 193. *Episcopos* 3057. *Abbates* 15074. *Sanctos canonizatos* 3004. *Sed omnium numerum, præterquam Pontificum, multum auget Wernerus* in Fasciculo Temporum: *quas discrepantias discutiendas relinquimus Patribus Ordinis, & si quam certiorem horum notitiam habeant, promendam.* Vide annotat. 2. ad S. Gregorium Magnum.

(1) Qui putant, Benedictum XII. antequam Cisterciensium institutum amplecteretur, fuisse Carmelitam, refelluntur ii a Baluzio in annotat. ad Vitas Paparum Avenionensium tom. 1. pag. *796. 797.*

liarumque Urbium, quas possidebant, Vicarios instituit, sub censu annuo decem millium nummorum auri. Eamdem quoque potestatem Mastino & Alberto Scaligeris Veronæ & Vicetiæ sub censu quinque millium, Gulielmo Gonzagæ Mantuæ & Regii, Albertino Carrariæ Patavii, Opizoni Estensi Ferrariæ, Mutinæ, & Argentæ suo jure, (*ut dicebat*) *tribuit, quamdiu Imperium vacaret, ac sibi placeret, eo quod vacante Imperio, omnis ejus potestas in Pontificem recideret, Jesu Christi supremi Regis unicum in terris Vicarium*: Estensi *vero etiam vectigali imposito, ut quotannis decem millia nummum auri Ecclesiæ Romanæ, cujus peculiaris Dominii Ferraria erat, persolveret.* (2) Idem anathemate damnavit Fraticellos, quos ante Pontificatum scriptis confutaverat. Cavit idem diligentissime, ne Sacerdotia viris conferrentur minus idoneis, minusque probis, dicens, *nolle se lutum exornare.* Cognatos atque affines fingebat ignotos sibi, asserens, *Pontificem Romanum non habere consanguineos*: urgentibusque, ut eos promoveret in gradum aliquem dignitatis, reponebat Davidicum illud: *Si mei non fuerint dominati, tunc immaculatus ero.* (3) Vix sororis, fratrisve filium Cardinalium precibus fatigatus præfecit Ecclesiæ Arelatensi, quem tamen ut Cardinalem crearet, numquam potuit adduci. Unicam vero neptem Tolosano mercatori, sui videlicet ordinis viro, & quidem mediocri dote contentam nubere voluit, rejectis viris nobilissimis, qui enixe petebant eam sibi uxorem dari. Idemque controversiam sustulit disceptatam sub Joanne XXII. decessore suo, pronuncians, animas justorum, simul atque a corpore abjunctæ sunt, si nihil Purgatorii igne expiandum

Rayn. an. 1342. §. 3. 4. 5. 6. Spond. §. 1.

(2) Spondanus ad an. 1340. §. 2.

(3) Ægidius Cardinalis Viterbiensis, apud Pagium in vita hujus Pontificis §. 17. ait, eum dicere solitum fuisse; *Sacerdotem secundum ordinem Melchisedech, si verus futurus sit, sine patre, sine matre, sine genealogia esse oportere.*

dum superſit, ad optatiſſimam beatitudinem, quæ in Dei viſione conſiſtit, deferri. (4) *Anno Domini* 1342. *in die S. Marci Evangeliſtæ Avenione in Palatio, quod conſtrui fecerat, ad Chriſtum migravit*, (5) cum *annos ſeptem, menſes quatuor, ac dies ſex* Pontifex fuiſſet, cumulatus omni genere virtutum Chriſtianarum, & miraculis poſt mortem clarus.

CXCVIII.

CLEMENS VI.

ANNO CHRISTI 1342.

IMP. OCCID. VACANTE, JOAN. PALÆOL. 2.

CLEMENTI VI. Lemovicenſi, cui antea nomen *Petrus Rogerius*, Nonis Maji anno 1342. Catholicæ Eccleſiæ cura mandata eſt. Ad hunc miſere Romani Legatos, inter quos Petrarcha anno 1341. Poetica laurea donatus, rogantes, ut in Urbem rediret. At moram in tranſalpinis regionibus excuſavit cauſa reconciliandi Chriſtianos Principes. Adhuc enim Francos inter & Anglos bellum flagrabat. Ratum habuit anathema ab deceſſoribus ſuis latum contra Ludovicum Bavarum, juſſitque Electores Imperii alium in ejus locum ſubrogare, ſubrogatumque Carolum IV. Moraviæ Marchionem, filium Joannis Regis Boemorum, ſtatim confirmavit dato diplomate. *Jubilaeum* quinquageſimo quoque anno deinceps celebrari vo-

Rayn. an. 1342. §. 6. 20. 22. Spond. §. 2. 3.

Rayn. an. 1343. §. 42. 59. Spond. §. 1. 2.

Rayn. an. 1346. §. 1. 9. 30. 34. Spond. §. 1. 2.

Ff

(4) Promulgata conſtitutione, quæ incipit *Benedictus Deus* 4. §. 3. Quam ſententiam prius illuſtraverat ſcriptis, quorum partem ex Codice MS. Vaticanæ Bibliothecæ Annalibus ſuis incluſit Raynaldus ad an. 1333. §. 59. ad an. 1335. §. 9. & ad an. 1336. §. 4.

(5) Ptolomæus Lucenſis apud Baluzium in Vitis Paparum Avenionenſium tom. 1. pag. 236.

voluit. (1) Joanni Normanniæ Duci, ejusque conjugi indulsit Eucharistiam sub utraque specie, quo sacro beneficio auxit etiam Regem Francorum Philippum VI. uxoremque ejus, & Odonem Ducem Burgundiæ. (2) Cælitibus annumeravit B. Ivonem Presbyterum Gallum, advocatum pauperum. (3) Avenionem ab Joanna Apuliæ Regina, & Provinciæ Domina emit *pretio octoginta millium Florenorum auri de Florentia*, (4) amplificavitque in eadem Urbe Ædes Pontificias. Damnavit sectam *Flagellantium*. (5) Edidit constitutionem de comitiis Pontificalibus multo leniorem constitutione Gregorii X. (6) Mortem oppetiit VIII. Idus Decem-

Rayn. an. 1348. §. 11. Spond. §. 4.
Rayn. an. 1349. §. 20. Spond. §. 2.
Rayn. an. 1352. §. 21. Spond. §. 14.

(1) Edita constitutione, quæ est in Extravag. *Unigenitus* 2. de pœnitentiis & Remissionibus, inter Communes, & apud Raynaldum ad an. 1349. §. 11. Basilicis SS. Petri & Pauli, in quibus orare debebant Christiani ad *Jubilæum* lucrandum, addidit Lateranensem, & Gregorius XI. Liberianam ædem S. Mariæ Majoris.

(2) Vide Raynaldum ad an. 1344. §. 62. & ad an. 1345. §. 32. Nunc Reges Francorum non utuntur hoc jure, nisi cum inaugurantur, & morti proximi.

(3) Anno 1347. ad quem annum Raynaldus §. 34. solemnes *Canonizationis* ritus hoc tempore servari solitos describit ex vetere MS. Vaticano auctoris coævi, qui *in aula Pontificia rituum formulis præerat*.

(4) Spondanus ad an. 1348. §. 4.

(5) *Flagellantes* orti in Italia propagati sunt in Germania præsertim & Gallia. Docebant, ut mittam errores ceteros, non posse æternam beatitatem consequi nisi eos, qui cruentati flagellis ipsi se baptizarent sanguine suo.

(6) Nimirum Cardinalibus in Conclave congregatis duos famulos concessit Clericos, seu Laicos: in prandio, cœnaque, præter panem, vinum, aquam, indulsit missum carnium, piscium seu ovorum, confectumque ex carnibus seu piscibus embamma: insuper carnes sale conditas, herbas crudas, caseum, fructus, adjecta conditione, ne quis vesceretur ferculo alieno: eisdemque, *cum in lectis quiescendi caussa, vel dormiendi esse voluerint*, permisit *intermedia, seu velamina simplicium cortinarum*. Hæc ex Clementis VI. constitutione 5. quæ exstat tom. 1. Bullarii pag. 279. & apud

cembris anno 1352. exacto Pontificatus *anno decimo, & mense septimo.*

CXCIX.

INNOCENTIUS VI.

ANNO CHRISTI 1352.

CAROLI IV. ROM. REG. 7. JOAN. PALÆOL. 12. ET JOAN. CANTACUZENI 6.

INNOCENTIUS VI. Lemovicensis, antea *Stephanus Alberti*, Ostiensis Episcopus, anno 1352. XV. Kal. Januar. Pontifex dictus est, inauguratusque III. Kal. mensis ejusdem. Is *constituit, Prælatos & alios beneficiatos in curia, illic tunc morantes, unumquemque ad suum Beneficium personaliter applicare, & ibi residentiam facere sub pœna excommunicationis*. (1) Sacerdotia contulit solummodo spectatissimis pietate & doctrina viris, docuitque, Ecclesiasticas dignitates non generis, sed virtutis præmia esse. Stipendia decrevit *Rotæ Auditoribus*. Misso in Italiam Ægidio Alvaro Albornotio Archiepiscopo Toletano, Romanæ Ecclesiæ ditionem qua armis, qua armorum metu intra quinquennium vindicavit ab usurpatoribus. Supplicante Carolo Rege, diem præstituit Feriam VI. post Octavam diem Resurrectionis Domini instrumentis Passionis ejus Lanceæ, Clavis, aliisque in Alemannia & Boemia solemniter colendis. Mandavit Petro Episcopo Ostiensi, ut Romæ eumdem Regem Caro-

Rayn. an. 1352. §. 2. Spond. §. 18.

Rayn. an. 1353. §. 1. Spond. §. 2. Rayn. an. 1354. §. 18. 1355. §. 2. 3. Spond. §. 1. 3.

pud Raynaldum ad an. 1351. §. 39. Vide annotat. 2. ad Gregorium X.

(1) Ptolomæus Lucensis in Vita Innocentii VI. apud Baluzium in Vitis Paparum Avenionensium tom. 1. pag. 357.

rolum una cum Anna uxore ejus sacro oleo inungeret, atque Cæsarem constitueret. Avenionem
Rayn. an. 1362. §. 2. 3. Spond. §. 4. mœnibus, fossaque circumdedit. Obiit anno 1362. pridie Idus Septembr. *nono anno* Pontificatus, *mense octavo, die sexto & vicesimo*.

CC.

URBANUS V.

ANNO CHRISTI 1362.

CAROLI IV. 17. JOAN. PALÆOLOGI 22.

EXEQUIIS novemdialibus Innocentio VI. de more persolutis, comitia Pontificalia haberi cœpta. Aliquandiu certatum est diversitate sententiarum. Demum extra sacrum Cardinalium collegium Pontifex quæsitus, creatusque V. Kal. Novembr. *Gulielmus Grimoaldus*, Gallus, Abbas S. Victoris Massiliæ. Ex Italia, quo missus fuerat ab decessore suo ad res Ecclesiæ procurandas, reversus Avenionem consecratur VIII. Idus mensis ejusdem. Voluit se *Urbanum* V. appellari, quod hujus nominis Pontifices sanctos haberet, eorumque imitatione caperet simul vitam instituere, simul Ecclesiam administrare. Solicitus de Græcis Romanæ Ecclesiæ conjungendis, Joannem Palæologum per litteras & Legatos convenit, rogans, ut Catholicæ Ecclesiæ se ipse sociaret, formulamque præscripsit profitendæ Fidei, & Schismatis ejurandi. Misit ad eumdem cereas Agni cælestis effigies additis versibus, quibus materia ejus atque virtutes exprimebantur. (1) Palæologus anno 1369.

Rayn. an. 1362. §. 6. 7. Spond. §. 7. 8.

Rayn. an. 1365. §. 22. Spond. §. 1. Rayn. an. 1366. §. 7. An. 1367. §. 4. An. 1369. §. 1. Spond. §. 6.

(1) Sirmondus in annotat. ad Ennodium Ticinensem, Operum tom. 1. pag. 1043. edit. Venetæ: *Mos erat, ut ex ce-*

1369. contulit se Romam, quo etiam Urbanus venerat biennio ante, ejuravitque schisma ex formula, professus credere tria hæc in primis; Spiritum

 San-

cereo Paschali, qui Sabbato sancto conceptis precibus sacratus fuerat, particulæ decerperentur, ac populo die Dominica in Albis post sacram Communionem distribuerentur, unde suffitum in ædibus suis facerent, vel agros, vineasque munirent adversus Dæmonum præstigias, aut contra fulgura & tonitrua. Ceterum hic mos olim extra Urbem duntaxat. Romæ enim cerei Paschalis vice ceram oleo perfusam benedicebat Archidiaconus, inde particulas in agnorum effigiem expressas asservabat, populo similiter die, qua dictum est, dividendas. Quæ res nimirum originem dedit cereis Agni Cælestis imaginibus, quæ a Pontificibus ipsis augustiore postea ritu consecrari cœperunt. De his sunt aliqua etiam in Annalibus Baronii ad an. Ch. 58. § 76.

Cardinalis Lambertinus De Serv. Dei Beatif. & Beat. Canoniz. lib. 4. part. 1. cap. 5. num. 11. *In Cereorum Agnorum consecratione adhibetur aqua benedicta, aquæ balsamum miscetur, Chrisma superinfunditur, preces a summo Pontifice recitantur, & qui eos deferunt, si devote deferant, a variis periculis, & morbis liberantur, veluti late exposuit Summus Pontifex Sixtus* V. in suis Litteris Apostolicis in forma Brevis scriptis anno 1586. Paschali Ciconiæ Duci Venetiarum, *ad quem de more Sacras Cereas Formas a se benedictas mittebat*. Post hæc Cardinalis Lambertinus subjicit verba ipsa Litterarum Sixti V. qui ita concludit: *De hujus Sacri præstantia, atque virtutibus exstat inter cetera luculentissimum testimonium Urbani Papæ V. qui magni muneris loco tres Agnos Dei ad Græcorum Imperatorem cum his versibus misit:*

Balsamus & munda Cera cum Chrismatis unda
Conficiunt Agnum, quod munus do tibi magnum,
Fonte velut natum per mystica sanctificatum,
Fulgura desursum depellit, & omne malignum,
Peccatum frangit, ceu Christi sanguis, & angit,
Prægnans servatur, simul & partus liberatur.
Munera fert dignis, virtutem destruit ignis,
Portatus munde, de fluctibus eripit undæ.

Idem Cardinalis Lambertinus Lib. cit. part. 2. cap. 20. num. 12. *Antiquus vero est horum Cereorum Agnorum usus: anno quippe 1544. Romæ effossus est tumulus Mariæ Augustæ Conjugis Honorii Imperatoris, & Filiæ Stilichonis, mortua* ante medium sæculum quintum, *& præter cetera in tumulo inventus est Cereus Agnus Dei: ita ut* insubsistens *omnino videa-*

Sanctum a Patre, Filioque procedere; Eucharistiæ Sacramentum ex pane azymo juxta ac fermentato posse confici; & Romanum Pontificem obtinere supremum in omnes totius Orbis Ecclesias Primatum. Idem Pontifex *anno* 1368. *in die Nativitatis B. Joannis Baptistæ de consilio Cardinalium ordinavit, quod in Missa dictæ festivitatis & per Octavas ejusdem diceretur in antea* Credo in unum Deum, *quod per prius non fiebat secundum antiquas regulas*. (2) Idem sodalitatem Jesuatorum a B. Joanne Columbino, & sodalitatem S. Salvatoris a S. Brigitta institutam confirmavit. Vetuit, domum Cardinalium improbis esse perfugium. Instituit Cracoviensem Academiam in Polonia, & Bononiensem auxit multis juribus. Viros litteratos dilexit, & beneficiis, & honoribus affecit: juvenes mille studiorum caussa in diversis Academiis aluit impensis suis, librosque suppeditavit necessarios: egentibus quoque benigne
Rayn. an. subvenit ac liberaliter. (3) Solum in consangui-
1370. §. 20. neos beneficiorum temperans fuit. Duos enim tan-
22. 23. Spond. §4. tum, & quidem Ecclesiæ ante Pontificatum suum
5. ministros, evexit ad Ecclesiasticas dignitates: nullum ex Laicis in ampliorem gradum aut promovit ipse, aut ab aliis promoveri passus est: voluitque ne-

deatur opinio Panvinii, qui de Baptismate Paschali pag. 148. *credit usum Agnorum consecrandorum a Romanis Pontificibus .... non invaluisse* ante sæculum nonum, *& magis verisimilis sit Cardinalis Augustini Valerii sententia, qui Agnorum benedictionem* ad initium sæculi quinti *refert*: *aut altera Molani, qui Agni Cerei primordia ætati Constantini Magni tribuit, & ideo* sæculo Christi quarto. Vide plura apud eumdem Cardinalem Lambertinum, Mabillonium tom. 2. Musei Italici pag. 376 & annotat. 6. ad S. Zosimum.

(2) Bosquetus in Vita Urbani V. tom. 3. part. 2. Scriptorum Rer. Italicarum pag. 621.

Hodie in Missa S. Joannis Baptistæ Symbolum non dicitur *secundum antiquas regulas*.

(3) Auctor coævus apud Oldoinum in Addit. ad Ciaconium tom. 2. pag. 559.

nepoti suo non Principem, aut primariæ nobilitatis feminam, sed mercatoris Montispessulani filiam in matrimonium dari. Omnium primum tiaram gestasse circumdatam corona triplici, scribit Nicolaus Alemannus. (4) Eumdem instituisse *benedictionem* Rosæ aureæ, falso tradunt alii. (5) Anno 1370. VIII. Kal. Octobr. Avenionem repetivit, ubi anno eodem XIV. Kal. Januar. finem vitæ fecit, & miraculis postea claruit. Pontifex fuit *annos octo, mensem, ac dies duos supra viginti*, a Petrarcha lib. 7. Rer. senilium epist. 1. multis nominibus commendatus.

CCI.

GREGORIUS XI.

ANNO CHRISTI 1370.

CAROLI IV. 25. JOANNIS PALÆOLOGI 30.

GREGORIUS XI. Lemovicensis, *Petrus Rogerii* antea dictus, Clementis VI. Patrui fama notus, anno 1370. III. Kal. Januar. Pontifex constitutus est miro Cardinalium omnium consensu. Ipse unus dissentiens fuit, abnuitque Pontificatum maximum: eum demum ideo se professus accipere, ut voluntati divinæ obtemperaret. Anno insequen-

Rayn. an. 1370. §. 25. Spond. §. 6.

Ff 4

(4) De Lateranensibus Parietinis cap. 13. pag. 48. tom. 8. part. 4. Thesauri Antiquit. & Historiarum Italiæ. *Tiaram triplicis coronamenti ex Pontificibus primus gestavit ante annos non amplius ducentos quinquaginta Urbanus* V. *duplicis vero Bonifacius* VIII. *Nam superiorum Pontificum tiaras in vetustis imaginibus ac monumentis unius coronamenti & Romæ cernimus, & Sugerius describit :* Capiti ejus (*Innocentii IV.*) phrygium ornamentum Imperiale instar galeæ circulo aureo concinnatum imponunt.

(5) Vide annotat. 2. ad Innocentium IV.

quente pridie Nonas Januar. sacro Presbyteratus
Ordine initiatus est contra veterem morem. (1)
Rayn. an. Hic pœnam anathematis statuit in eos, qui *dedi-*
1371. §. 11. Spond. §.3. *gnabantur fateri Christum sub speciebus sacris in loco*
immundo, veluti in ventre hominis, aut muris ore,
aut luto, remanere. (2) Suum in Civitatem Roma-
nam studium ostendit, edita constitutione confir-
mans, *Sacrosanctam Lateranensem Ecclesiam præcipuam*
sedem esse summi Pontificis, & locum principem
inter omnes Ecclesias obtinere, omnibusque digni-
tate antecellere. (3) Omnium primus jussit cele-
brari etiam in Occidente Festum *Præsentationis* B.
Spond. an. Mariæ Virginis in Templo. (4) Confirmavit soda-
1373. §. 2. litatem Eremitarum S. Hieronymi, ab Italis exi-
mia sanctitate viris constitutam in Cœnobio S. *Bar-*
Rayn. an. *tholomæi de Lupiana* non procul a Toleto. Floren-
1376. §. 1.6. Spond. §. 1 tinos perduelles & contumaces addixit anathema-
2. ti. Per S. Catharinam Senensem, ab eisdem Ave-
nionem missam, placatus pacem ipsis reddidit,
Rayn. an. quæ tamen mox turbata est. Ejusdem sanctissimæ
1377. §. 1.7. Spond. §. 1. feminæ hortatu ac prece Pontificiam Sedem anno
3. 1377. restituit Romam. (5) Inde evitandi æstus
caus-

(1) Vide annotat. 1. ad Sabinianum.

(2) Raynaldus ad an. 1371. §. 11. & Eymericus in Directorio Inquisitorum part. 1. pag. 44.

(3) Hæc est constitutio ejus prima, cujus initium *Super universas*, tom. 1. Bullarii pag. 283.

(4) Vide Spondanum ad an. 1372. §. 9. & Historiam nostram Familiæ Sacræ extremo cap 3. De Maria Virgine.

(5) Spondanus ad an. 1377. §. 1. *Retulit igitur sedem Pontificiam Gregorius Romam, proprium & verum suum locum,* septuaginta annis (*ut plerique numerant*) *postquam in Galliam translata fuisset. Sed qui ad amussim tempus numerare voluerit, ab obitu Benedicti* XI. *postremi Pontificis in Italia ante translationem sedentis, qui contigit sexta Julii anni* 1304. *usque ad decimam septimam Januarii, qua Gregorius Romam intravit, habebit* annos septuaginta duos, menses sex, & dies decem: *ab electione Clementis* V. *qui sedem transtulit, quæ facta est die quinta Junii anni* 1305. septuaginta unum annos, menses se-

caussa Anagniam contendit præmissa Eucharistia; (6) ibique ad Nonas Novembr. mansit. Idem pervigilio Nativitatis Deiparæ jejunium addidisse traditur. (7) *Annus* ab inito Pontificatu *septimus, mensis secundus, dies septimus ac vicesimus* finem ejus vitæ dedit. Cum enim Cardinalium Gallorum suasionibus permotus Avenionem redire cogitaret, in morbum incidit, ex quo VI. Kal. April. anno Ch. 1378. ætatis sexto circiter & quadragesimo mortem Romæ obiit. (8)

Rayn. an. 1378. §. 2. 3. Spond. §. 2.

septem, dies undecim*: ab ejus coronatione, ad quam Cardinales ex Italia accivit, & contigit undecimo Novembris ejusdem anni* 1305. unum & septuaginta annos, menses duos, dies quinque*: a constitutione vero Sedis Avenione, quæ ab eodem Clemente facta est, ad principium anni 1309 cum eo usque vaga fuisset per varia Galliæ loca*, annos sexaginta octo.

(6) Morem præferendi Corporis Christi Romanis Pontificibus, ineuntibus iter longinquum, ab hoc Gregorio deducit Angelus Rocca, qui anno 1598. tractatum Romæ edidit de ritu eo. Alii longe antiquiorem esse arbitrantur, remque totam sibi conficere videntur eo loco, in quo auctor secundæ Vitæ Gregorii XI. apud Baluzium in Vitis Paparum Avenionensium tom. 1. pag. 464. ita loquitur de Urbano VI. proximo Gregorii successore, quem appellat intrusum: *Et videns dictus intrusus, sic omnes Cardinales recessisse, exivit Roma, & die 26. Julii equitavit quasi stultus sine cruce præcedente, & sine corpore Christi, & sine ullo Cardinali, & ivit ad unam civitatem, quæ vocatur Tibur.* Non enim, inquiunt, dixisset fuisse stultitiam *sine corpore Christi præcedente* Pontificem Romanum iter aggredi, si ritus ille Gregorio XI. antiquior non fuisset. Vide Christianum Lupum De Sacris Processionibus extremo cap. 2. Operum tom. 11. pag. 340. Pagium in vita hujus Pontificis §. 31. & Baluzium in notis ad locum citatum pag. 1470.

(7) Ab auctore primæ vitæ Gregorii XI. apud Baluzium pag. 440. & Radulpho Tungrensi in lib. De canonum observantia proposit. 19. tom. 26. Bibl. Patr. pag. 310. Hodie tamen jejunium non servatur.

(8) Gregorius XI. in suo Testamento, quod est in Spicilegio Dacherii tom. 8. pag 675. revocat, abrogatque non quæ dixit ut Pontifex summus, sed si qua, ut homo privatus laborans vitio infirmitatis ingenitæ, alicubi dixisset

erro-

erronea contra Catholicam Fidem ex lapsu linguæ, aut alias ex aliqua turbatione. Id patet cuique legenti locum integrum sine studio calumniandi.

Cardinalis Lambertinus De Serv. Dei Beatif. & Beat. Canoniz. lib. 3. cap. ult. num. 16. *Gerson* in Tractatu de Examinatione doctrinarum part. 2. considerat. 3. in fine *narrat, Gregorium* XI. *in extremis positum habentem in manibus Sacrum Christi Corpus protestatum esse coram omnibus, ut caverent cum a Viris, tum a Mulieribus* sub specie Religionis loquentibus Visiones sui capitis, quia per tales ipse seductus, dimisso suorum rationabili consilio, se traxerat, & Ecclesiam ad discrimen Schismatis imminentis, nisi misericors provideret Sponsus Jesus. *Spondanus* ad an. Ch. 1378. *putat, iis verbis Gregorium intelligere voluisse suasiones Petri Aragonii, ac Sanctarum Brigittæ, & Catharinæ Senensis. At Natalis Alexander* in Vita dicti Pontificis *falsam existimat prædictam narrationem a Gersonio expositam, cum Auctor* primæ Vitæ Gregorii, *qui erat ipsi coævus, de ea non loquatur, & Gregorius spiritum S. Catharinæ probasset, eamque Prophetiæ dono auctam agnovisset, quando sibi votum de petenda Urbe in occulto factum, & sibi soli ac Deo notum divinitus agnovisse monstravit.... Gersonius Sanctas Virgines Birgittam, & Catharinam non nominavit. Marcus Antonius de Dominis Gersonium referens memoratas Sanctas Mulieres recensuit. En ejus verba indigno Apostata digna:* De Catharina Senensi procul dubio loquebatur Gregorius, & id notum erat Gersonio; sed eam noluit nominare; est enim in Historicis notorium, Femellam illam contra regulam humilitatis, quæ Sanctos decet, & contra præcepta Apostoli se sub illusionibus Visionum, & Revelationum Magistram in Ecclesia constituisse, & Epistolis propemodum dogmaticis scribendis totam dedisse. Quibus, & Apostolatu suo prophetico miserum Gregorium decepit, eumque, ut Romanam residentiam importune resumeret, sub prætextu Sanctitatis compulit. Ex quo secutum est Schisma horrendum in Ecclesia, fructus ingens seminalis Sanctitatis: & nihilominus canonizata est. Quis talium Canonizationes approbet? *At scelesti hujus nebulonis verba adamussim profligat Arauxo* Decis. Moral. tract. 3. quæst. 23. §. 1. num. 26. *ubi ostendit, Sanctam Virginem Spiritu Dei, & jubente Romano Pontifice, munus, quod exercuit, obiisse; Gregorium in translatione Sedis non fuisse deceptum, cum ad eam teneretur; Schisma ab eadem S. Catharina fuisse prædictum; egressum e Gallia, & progressum usque Romam prædicti Gregorii feliciter successisse, prout ipsa prænuntiaverat; Gregorii e Gallia recessum caussam Schismatis non fuisse.* CCII.

CCII.

URBANUS VI.

ANNO CHRISTI 1378.

CAROLI IV. 33. JOANNIS PALÆOLOGI 38.

DUM Comitia Pontificia haberentur, Romani veriti, ne creato Pontifice Gallo, Pontificalis Sedes iterum Roma Avenionem transferretur, clamoribus ac minis Pontificem petiere Romanum, aut Italum saltem. Itaque VI. Idus April. anno 1378. Pontifex renuntiatur *Bartholomaeus Prignanus*, Neapolitanus Barii in Apulia Archiepiscopus, qui *Urbanus* VI. appellatus est. Vix inito Pontificatu gravem Cardinalium offensionem in se concitavit asperitate sua. Ob id Cardinales Galli numero duodecim coitione facta, per speciem vitandi æstus Roma Anagniam, ubi cum Gregorio XI. transegerant æstatem superiorem, exeunte Junio commigrarunt, Urbano interim cum quatuor Italis Cardinalibus Tibur concedente. Illi factam sibi a populo vim caussati, Urbanum, tamquam vitio creatum, vocant in jus, eique ut contumaci abrogant Pontificatum. (1) Fundos deinde Urbem Nea-

Rayn. an. 1378. §. 2. 23. 25. 47. 55. Spond. §. 6. 11. 13. 15. 16.

(1) De electione Urbani VI. diversi diversa scripserunt, ut quosque studium privatim aut gratia occupaverat. Alii addubitarunt, rite ne ac recte electus esset, propter metum a populo Romano injectum Cardinalibus. Scripti in partem utramque *tractatus pæne innumeri*, ut ait Spondanus ad an. 1378. §. 10. Baldus Jurisconsultorum hujus ætatis facile princeps, Urbani VI. electionem fuisse legitimam probavit, ut legere est apud Raynaldum ad an. 1378. §. 36. & ad calcem tom. XVII. Qui etiam *fuisse videtur Ecclesiæ Catholicæ sensus, Urbanum, ejusque successores Italiam colentes exstitisse veros ac legitimos Pontifices*, ut scribit Spondanus memoratus §. 17.

Neapolitani Regni, annuente Joanna Regina, in cujus pariter offenſionem Urbanus incurrerat, ſe recipiunt, perductiſque ad cauſſam ſuam tribus Cardinalibus Italis, novum Pontificem XI. Kal. Octobr. creant *Robertum* Cardinalem Gebennenſem, annos ſex ac triginta natum, qui *Clementis* VII. nomine ſibi impoſito, mox ſeceſſit Avenionem. Utrique parti Reges ac populi favebant, viri etiam inſignes cum doctrina, tum pietate. Tale eſt initium ſchiſmatis omnium, quæ hactenus Eccleſiam turbarunt, teterrimi atque longiſſimi. (2) Quinquaginta enim annos Pontificibus Romæ aliis, aliis Avenione commorantibus, Eccleſiam habuit ſo-

(2) S. Antoninus 3. part. Chron. tit. 22. cap. 2. *Multæ diſputationes factæ ſunt circa iſtam materiam, multi libelli editi pro utriuſque partis defenſione. Peritiſſimos viros in ſacra pagina & jure Canonico habuit toto tempore illo, quo duravit id ſchiſma, utraque pars ſeu obedientia, ac etiam religioſiſſimos viros, & quod majus eſt, etiam miraculis fulgentes; nec umquam ſic potuit quæſtio illa decidi, quin ſemper remaneret apud plurimos dubia. Nam etiamſi neceſſarium ſit credere, ſicut unam eſſe Catholicam Eccleſiam, non plures; ita & unicum ejus Paſtorem Vicarium Chriſti; tamen ſi contingit plures per ſchiſma creari ſeu nominari Pontifices ſummos uno & eodem tempore, non videtur ſaluti neceſſarium credere, iſtum eſſe, vel illum, ſed alterum eorum, qui ſcilicet fuerit Canonice aſſumtus. Quis autem fuerit Canonice electus, non tenetur quis ſcire, ſicut nec jus Canonicum, ſed in hoc populi ſequi poſſunt majores ſuos, ſeu Prælatos.*

Wernerus Rollewink in Faſciculo Temporum ad an. 1378. tom. 2. Scriptorum Rer. Germanicarum Piſtorii pag. 567. *Schiſma* XXII. *omnium ſchiſmatum, quæ ante fuerunt, peſſimum & ſubtiliſſimum. Adeo enim perplexum fuit, ut etiam doctiſſimi & conſcientioſi viri non valerent diſcutere, cui eſſet magis adhærendum. Et fuit continuatum per annos* XL.... *Et ideo ab iſto Urbano* VI. *uſque ad Martinum* V. *neſcio, quis fuit Papa.*

Brietius in Annalibus ad an. 1378. *Certe Illuſtriſſimus Cæſar Cardinalis Baronius ſignificavit ſuo Jacobo Sirmondo, nihil ſe æque reformidaſſe, quam pervenire ad hoc tempus, de quo quid ſtatuendum, non eſſet libere pronuntiaturus.*

solicitam. (3) Cum Urbanus totum fere Pontificatum per Italiam discurrens gessisset valde laboriosum, anno tandem 1389. quiete degens Romæ tria decrevit: unum quod *Jubileum* tertio & trice- Rayn. an. 1389. §. 1.3. 4. 10. 11. Spond. §. 1. 2. 4. 5.

(3) Pontifices Romani, & Avenionenses tempore Schismatis ab anno 1378. ad annum 1429.

ROMANI.	AVENIONENSES.
URBANUS VI.	CLEMENS VII.
electus 8. Aprilis anno 1378. Mortuus Romæ 15. Octobr. anno 1389.	Electus 19. Septembr. anno 1378. Mortuus apoplexia 16. Septembr. anno 1394.
BONIFACIUS IX.	BENEDICTUS XIII.
electus 2. Novembr. 1389. mortuus 1. Octobris anno 1404.	antea *Petrus de Luna* Hispanus electus 28. Septembr. anno 1394.
INNOCENTIUS VII.	
electus 17. Octobr. anno 1404. mortuus 6. Novembr. 1406.	
GREGORIUS XII.	
electus 2. Decembr. anno 1406.	

GREGORIUS XII. ET BENEDICTUS XIII.

exauctorantur in Concilio Pisano die 5. Jun. an. 1409. Sufficitur *Petrus Philaretus* Cretensis die 26. mensis ejusdem dictus

ALEXANDER V.

qui moritur die 4. Maji anno 1410. Subrogatur *Balthassar Cossa* die 17. ejusdem mensis appellatus

JOAN-

JOANNES XXIII.

Dehinc tres fuere Pontifices.

JOANNES XXIII.	GREGORIUS XII.	BENEDICTUS XIII.
Romæ.	in Regno Neapolitano.	in Aragonia.

Omnes exauctorati in Concilio Conſtantienſi.

JOANNES	GREGORIUS	BENEDICTUS
exauctoratur ſeſſ. 12. die 29. Maji an. 1415. & initio Junii traditur in cuſtodiam.	ipſe ſe abdicavit ſeſſ. 14. die 4. Jul. an. 1415. Obiit ante finem Concilii.	exauctoratur ſeſſ. 37. die 26. Jul. an. 1417.

MARTINUS V.

ſubſtituitur ſeſſ. 41. die 11. Novembr. anno 1417. Pro legitimo Pontifice habetur ab omnibus, exceptis quibuſdam Aragonenſibus.

JOANNES XXIII.	BENEDICTUS XIII.
cuſtodia elapſus benigne excipitur a Martino V. & Decanus Collegii Cardinalium conſtituitur. Moritur 22. Decembr. anno 1419.	in caſtro Paniſcolæ concluſus gerit ſe pro Pontifice. Moritur anno 1424. Ab ejus Cardinalibus Pontifex renunciatur.
	CLEMENS VIII.
	antea dictus *Ægidius Munio* Barcinonenſis, qui abdicato Pontificatu die 26. Jul. anno 1429. *Martino* V. adhæret, fitque Epiſcopus Majoricenſis.

ſimo

ſimo quoque anno pro numero annorum ætatis Chriſti celebrari voluit: alterum quod Feſtum *Viſitationis* B. M. Virginis inſtituit: (4) tertium quod edixit, ut in locis etiam, quibus ſacra eſſent interdicta, liceret die Feſto Corporis Chriſti rem divinam facere apertis januis; eodem prorſus modo, quo id fieri die Natali Chriſti Domini, Paſchæ, Pentecoſtes, & *Aſſumtionis* Deiparæ Bonifacius VIII. permiſerat. Uſus Pontificatu *annos undecim, menſes ac dies ſex*, Idibus Octobr. ſublatus eſt veneno, a quo ut ſibi caveret, a S. Catharina Senenſi admonitus fuerat.

CCIII.

BONIFACIUS IX.

ANNO CHRISTI 1389.

WENCESLAI REGIS 11. EMMANUELIS II. 6.

QUARTO Nonas Novembris anno 1389. Cardinales numero quatuordecim, qui Urbano VI. conſtanter adhæſerant, ei ſubſtituunt *Petrum* Cardinalem *Thomacellum*, Neapolitanum, annos natum quinque & quadraginta: qui *Bonifacius* IX. appellatus eſt. Tria Urbani VI. decreta, de quibus ſupra eſt dictum, rata juſſit eſſe, indictumque ab eodem *Jubilæum* anno 1390. celebravit. Veritus, ne Ludovicus Andegavenſis potiretur Regno Neapolitano, atque inde gradum in Romanæ Ec-

Rayn. an. 1389. §. 12. 13. Spond. §. 6.

Rayn. an. 1390. §. 1. 18. Spond. §. 1.

(4) Bonifacius IX. Conſtitut. 1. §. 3. *Suaſit etiam & conſuluit idem Prædeceſſor noſter* (Urbanus VI.) *ut ipſius feſti* (Viſitationis) *vigilia, ut vigilia Nativitatis & Aſſumtionis prædictæ Virginis feſtivitatum, etiam in obſervatione jejunii devotius obſervaretur*. Vide Hiſtoriam noſtram Familiæ Sacræ De Maria Virgine extremo cap. 4.

Ecclesiæ ditionem inferret, plures ejusdem Ecclesiæ Urbes viris nonnullis potentioribus dedit fiduciarias, tributo imposito in annos singulos. In his Ferrariam Alberto Marchioni Atestino, ita tamen ut decem aureorum millia quotannis solveret, & equites amplius centum, cum id res posceret, egregie instructos Pontificum commodo aleret stipendiis suis. (1) B. Brigittæ sanctarum viduarum cultum rite decrevit. (2) Seditione affectantium trahere Urbis imperium ad plebem Roma pulsus, ac mox revocatus, *visus est quasi primus omnium Romanorum Pontificum omnem populi Romani vim sustulisse, Pontificiam auctoritatem eo usque nutantem confirmasse, ac tandem Urbis summum imperium obtinuisse, cunctis suo arbitratu magistratibus creatis.* (3) Idem fertur instituisse *Annatas* ab unoquoque novo Episcopo & Abbate solvendas Pontifici Romano. (4) Traditur etiam indixisse *Jubilaeum* in annum 1400. ex decreto Bonifacii VIII. præcipientis

Rayn. an. 1391. §. 29. An. 1395. §. 17.

Rayn. an. 1399. §. 12. Spond. §. 1. Rayn. an. 1400. §. 1. Spond. §. 1. 2. 3.

(1) Vide Raynaldum ad an. 1390. §. 18.

(2) Rem gestam ordine describit Petrus Amelius, qui præsens adfuit, in Ordine Romano XV. apud Mabillonium tom. 2. Musei Italici pag. 535.

3 Abrahamus Bzovius ad an. 1394. §. 1.

Ægidius Cardinalis Viterbiensis apud Victorellum in Addit. ad Ciaconium tom. 2. pag. 698. *Primus* (Bonifacius IX.) *vim populi Romani in Pontificem retulit, primus in Hadriani Mole arcem firmavit, primus Tiberis aditus, Pontesque communiit.*

(4) Van espen Part. 2. Juris Ecclesiastici Universi tit. 24. cap. 4. §. 18. *Annatarum originem plures referunt ad Joannem* XXII. *in* Extravagante 11. de Præbendis *inter* Communes, *ubi reservat Sedi Apostolicæ fructus & proventus primi anni Beneficiorum vacantium inferiorum Episcopatibus & Abbatiis in verbis*: Præsertim cum Archiepiscopales & Episcopales Ecclesiæ, ac Regulares Abbatiæ ab hujusmodi solutione fructuum (ut dicunt) in dictis litteris eximantur.

Ob hanc exceptionem, & quia suam reservationem ad triennium restrinxit, credunt alii, huic Pontifici originem Annatarum

tis centesimo quoque anno celebrandum. (5) Idem concessit, ut Electores Imperii Regnum abrogarent Wenceslao, qui Carolo IV. Patri successerat, substitutumque in locum ejus Robertum Bavariæ Ducem *Parvum* cognomine confirmavit. Edixit præterea, ne liceret bona Ecclesiarum, Cœnobiorum, Rayn. an. 1401. §. 9. An. 1403. §. 1. 16.

Gg rum,

rum *adscribi non posse: sed earum auctorem esse Bonifacium* IX. *qui anno* 1392. *durante schismate*, ingravescentibus rei pecuniariæ difficultatibus ob continuos armorum fragores, sanxit, ut redigendorum ex omnibus Sacerdotiis, quæ a Sede Apostolica conferrentur, vectigalium, quæ primo labente anno obvenirent, dimidia pars in Fiscum Pontificium inferretur.

Hæc Odoricus Raynaldus ad an. 1392. *n.* 1. *qui & ad annum* 1399. *n.* 12. *refert verba Theodorici Niem, quibus testatur, hunc Pontificem* primos fructus unius anni omnium Ecclesiarum Cathedralium & Abbatiarum vacantium suæ Cameræ reservasse.

Id ipsum de eodem Pontifice scribit Platina in ejus vita, qui addit quod Annata *ab ipso imposita tantum conficeret* dimidiam partem *proventuum primi anni*: Annatarum usum Beneficiis Ecclesiasticis primus imposuit (*ait*) hac conditione, ut qui beneficium consequeretur, dimidium annui proventus fisco Apostolico persolveret.

Ceterum *hanc consuetudinem*, ut ego quoque Platinæ verbis utar, *omnes admisere præter Anglos, qui id de solis Episcopatibus concessere, in ceteris Beneficiis non adeo*.

(5) Spondanus ad an. 1399. §. 4. *Utrum indixerit* Jubilæum *in annum sequentem, cum nemo ex antiquioribus affirmet, testeturque Victorellus se diligenter quæsisse in Regesto Bonifacii, nec tamen ullam prædicti* Jubilæi *memoriam reperire potuisse: omnino crediderim minime indixisse. Qua enim ratione, cum jam sub ipso celebratus fuisset anno* 1390. *ac proinde approbatus, quem Urbanus* VI. *anno præcedenti reduxerat ad trigesimum tertium annum, nec nisi decem anni ab eo decurrissent? Quod tamen nullum sit dubium, advenisse Romam anno proximo* 1400. *ex cunctis Orbis Christiani partibus magnam hominum multitudinem tamquam ad* Jubilæum; *inde contigisse putamus, ut multi asseruerint indictum fuisse ab hoc Bonifacio, cum nihilominus fuerit tantum non prohibitus; sed relictus antiquissimæ populorum devotioni visitandi annis centesimis Apostolorum Limina, cujus occasione vidimus institutum fuisse Jubilæum a Bonifacio VIII.*

rum, & Xenedochiorum locari, vel in emphyteusim dari, nisi ad triennium, neve census ex iis ante tempus, sed annuus duntaxat perciperetur. Periit anno 1404. Kal. Octobr. diro calculorum cruciatu, post *annum* Pontificatus *decimum quartum, ac mensem undecimum*. (6)

Rayn. an. 1404 §. 7 8. Spond. §. 5.

CCIV.

INNOCENTIUS VII.

ANNO CHRISTI 1404.

ROBERTI REGIS 4. EMMANUELIS II. 21.

INNOCENTIUS VII. *Cosmas Melioratus* antea dictus, *patria Sulmonensis, vir aetate grandaevus, ac multarum magnarumque rerum experientia callens* (1) XVI. Kal. Novembr. anno 1404. ab novem Cardinalibus Pontifex effectus est, & IV. Nonas mensis ejusdem tiara redimitus. Romanorum seditione coactus Urbem relinquere, Viterbium secessit. Postea ut legitimus Urbis Dominus revocatus, magna Civium gratulatione susceptus est. Tum vero Romanam Academiam, doctissimis disciplinarum omnium professoribus undique accitis, instauravit. Animadvertit in principes seditiosorum. Deque ipso etiam Ladislao rege Neapolis, qui seditiosis faverat, meritas poenas sumsit. Namque illum Regno privatum addixit anathemati. De-

Rayn. an. 1404. §. 10. 11. 16. Spond §. 7. 8. Rayn. an. 1405. §. 5 8. Spond. §. 1. Rayn. an. 1406. §. 1 2. 5. 6. 7. 8. Spond. §. 1. 2. 5.

(6) *Bonifacius iste tres habuit germanos, quos multum exaltavit in saeculo & ditavit, quorum tamen filii ad extremam paupertatem devenerunt, ut eorum exemplo discant ceteri de patrimonio Crucifixi nolle ditari.* S. Antoninus in Chron. part. 3. tit. 22. cap. 3.

(1) Leonardus Aretinus in Commentario rerum suo tempore in Italia gestarum tom. 9. Scriptor. Rer. Italic. pag. 921.

Deterritus ille veniam pacemque rogavit, impetravitque iis conditionibus, quas Innocentius ipse in diplomate apud Raynaldum describit. Receptum in gratiam non solum restituit honoribus pristinis, sed nova quoque auxit dignitate *Signiferi* ac *Defensoris* Romanæ Ecclesiæ. At mox fœdifragum rursus damnasset anathemate, nisi morte præreptus fuisset, VIII. Idus Novembr. anno Christi 1406. Pontificatus *secundo, die primo & vicesimo*.

CCV.

GREGORIUS XII.

ANNO CHRISTI 1406.

ROBERTI REGIS 6. EMMANUELIS II. 23.

GREGORIUS XII. antea *Angelus Corrarius*, Venetus Patricius, *vir a pueritia magna sanctimonia & sapientia* (1) Presbyter Cardinalis tituli S. Marci IV. Nonas Decembr. anno 1406. Pontifex electus est. Hic ratum habuit jusjurandum, quo, dum comitia haberentur, una cum aliis Cardinalibus promiserat, se caussa tollendi schismatis abiturum Pontificatu, quotiescumque id etiam *Petrus de Luna*, seu *Benedictus* XIII. faceret. Ab initio pacis ostensa spes. Nam statutis utrimque conditionibus Saona congressui delecta. Sed utroque suas, ne in congressum veniret, caussas prætexente, concordiæ spes omnis incisa. Ob id

Rayn. an. 1406. §. 13 14. Spond. §. 1.

Rayn. an. 1407. §. 1. 4. Spond. §. 3.

Gg 2 utriuf-

(1) S. Antoninus 3. part. Chron. tit. 22. cap. 5. Leonardus Aretinus in Commentario rerum suo tempore in Italia gestarum, tom. 19. Scriptor. Rer. Italic. pag. 926. *Fuit in Gregorio permagna vitæ morumque honestas, & prisca quidem, ut ita dixerim, bonitas: Scripturarum quoque scientia, & indagatio subtilis & recta.*

Rayn. an. 1409. §. 71. 72. Spond. §. 11. 14.

utriusque partis Cardinales conveniunt Pisas, habitoque Concilio, Nonis Junii anno 1409. utrumque amovent Pontificatu, sufficiuntque *Alexandrum* V. (2) Qua re audita Gregorius Ariminum, Benedictus Paniscolam se recepit, oppidum maritimum Regni Valentini, voluitque uterque haberi pro Pontifice. Tali modo *non est ablatum schisma, sed augmentatum, ex duobus, tribus se pro Papa gerentibus*. (3) Sexto post anno *Gregorius vir sanctus, utpote qui Ecclesiæ & unionem, & reformationem semper optaverat, per Carolum Malatestam* (Arimini Dominum) *procuratorem ad hoc suum omni jure suo, quod in Papatu haberet, renuntiavit solemniter* in Concilio Constantiensi sess. 14. quæ IV. Nonas Jul. anno 1415. celebrata est. *Qua* (abdicatione) *recepta cum magna jucunditate, Patres nihilominus ad venerandum illum omni laude dignissimum antiquum dierum, ex Gregorio ad Angelum, primum suum nomen, reversum, Legatum illum instituerunt in Picentibus consistentem*, hoc est perpetuum: (4) eumdemque Car-

Rayn. an. 1415. §. 28. 29. Spond. §. 41. 42.

Concil. Pisanum.

(2) Præter Oratores Principum interfuerunt Concilio Pisano Cardinales quatuor & viginti, tres Patriarchæ Alexandrinus, Antiochenus, & Hierosolymitanus, Episcopi 180. Cœnobiarchæ 300. Doctores 280. Præfuit Cardinalis Pictaviensis utriusque Collegii Decanus. Duabus & viginti sessionibus absolutum est. *Conciliabulum* vocat S. Antoninus 3. part. Chron. tit. 22. cap. 5. §. 2. *cum non esset alicujus eorum, qui se gerebant pro Pontifice, auctoritate congregatum*. & §. 3. addit, *Alexandrum* V. in eo electum *anno uno sedem Petri tenuisse, secundum communem opinionem: significans*, ut ait Scholiastes, *ex sua sententia Alexandrum* V. *legitimum non fuisse Pontificem, sed Gregorium* XII. Nihilominus alii contradicunt affirmantes, & Concilium, & creatum in eo Pontificem fuisse legitimum, ut legere est apud Raynaldum ad an. 1409. §. 79. 80. Azorium part. 2. lib. 5. cap. 17. & Natalem Alexandrum in Hist. Eccl sæc. XV. & XVI. dissertat. 2. num. 19. *Generale nec approbatum, nec reprobatum videtur esse* Bellarmino lib. 1. De Conc. cap. 8.

(3) S. Antoninus in Chron. part. 3. tit. 22. cap. 5. §. 2.

(4) Idem S. Antoninus ibidem cap. 6 §. 2.

Cardinalem Episcopum Portuensem deinceps esse voluerunt. Post biennium fato functus est Recineti, senex octogenarius vel nonagenarius, anno 1417. tumulatusque in templo majore. (5) Pontifex fuit a dato Pontificatu ad abdicatum *annos duos, menses sex, ac dies tres.* (6)

(5) Victorellus in addit. ad Ciaconium tom. 2. pag. 754. *Vere obiit Recineti, & proximis præteritis annis aperto tumulo cadaver conspectum fuit.* Oldoinus in nova addit. pag. 760. *Hujus Pontificis sepulcrum anno 1623. cum destrueretur, cadaver habitu Pontificio adhuc sarto ornatum, maxima omnium admiratione integrum fuisse, ex illis, qui propriis oculis illud aspexerunt, habemus. Tanta hujus viri pietas fuit, ut S. Antoninus, dum eorum vitas prosequitur, qui sanctitatis opinionem reliquerunt, ipsum haud dubie propter summam in adversis constantiam, D. Stephano martyri comparet.*

(6) Hujus tempore anno 1408. in Diœcesi Xantonensi exorta est controversia, supersit ne in terris pars aliqua sanguinis a Christo Domino in passione effusi. Id credere non esse pietati contrarium, responderunt Theologi Parisienses, referente Dupino tom. 12. Bibl. auctor. Eccl. cap. 8. pag. 145. Vide Card. de Lugo De Incarnatione disputat. 14. sect. 6. num. 91. Cajetanum comment. in D. Thom. part. 3. quæst. 54. art. 2. & Lambertinum De Serv. Dei Beatif. & Beat. Canoniz. lib. 4. part. 2. cap. 7. num. 3.

CCVI.

ALEXANDER V.

ANNO CHRISTI 1409.

ROBERTI REGIS 9. EMMANUELIS II. 26.

Rayn. an. 1409. S. 72. 85. Spond. S. 14. 16.

ALEXANDER V. *Petrus*, *Philargus*, seu *Philaretus* antea dictus, Cretensis, Vicentinus olim Episcopus, *sessione* 19. Concilii Pisani VI. Kal. Jun. a Cardinalibus quatuor & viginti, in Conclavi de more inclusis, Pontifex factus est, & Nonis Jul. coronatus. Omnium primus *Titulos* mutavit Cardinalibus, unde *Optionis*, uti appellant, exordium inter Romanæ Ecclesiæ Cardinales. (1) Regnum Neapolitanum Ladislao abrogatum concessit Ludovico Andegavensi. Romam ab

(1) Panvinius De præcipuis Urbis Romæ sanctioribusque Basilicis, quas septem Ecclesias vocant, extremo cap. 3. *Apud veteres consuetudo per mille & ducentos continuos annos in Romana Ecclesia usurpata fuit, ut neque Diaconi Diaconias semel acceptas, neque Presbyteri Titulos, neque Episcopi Cardinales Episcopatus suos umquam mutarent .... qua ratione fiebat, ut Diaconi, Presbyteri, & Episcopi Cardinales Diaconias, Titulos, & Episcopatus suos magis colerent, & exornarent, restituerent & augerent, quos dum viverent, essent retenturi. Nunc Cardinales optionis lege multos Titulos & Diaconias obtinere possunt. Cujus rei initium ortum est tempore Alexandri V. in Concilio Pisano, anno Domini 1409. in quo cum ob schisma contigisset Sacerdotia Cardinalitia duos ad minus habere Cardinales, unum unius obedientiæ Avenionensis, alterum alterius Romanæ; sublato schismate, unitisque utriusque Collegii Cardinalibus, & novo Pontifice creato, has mutationes fieri tunc necesse fuit, ut unus ex duobus, qui in schismate Episcopatum Tusculanum obtinebat, eo alteri dimisso, Sabinum tunc vacantem eo optaret. Ita in Titulis & Diaconiis factum est. Quæ res quamquam necessaria tunc fuit, in exemplum tamen*

ab ejuſdem Ladislai tyrannide vindicatam per Paulum Urſinum, redegit in poteſtatem. Hac victoria lætus Romam cogitavit. Sed, cum prius, ſuaſione Balthaſſaris Cardinalis *Coſſæ*, Piſtorio, ubi tum degebat, Bononiam ſe contuliſſet, morbo correptus ibidem anno 1410. IV. Nonas Maji vitam edidit, *menſes decem ac dies octo* Pontificali munere functus. Venenato clyſtere interfectum narrat S. Antoninus 3. part. Chron. tit. 22. cap. 5. §. 3. Sepultus eſt eodem loco in Eccleſia Sacerdotum ex familia S. Franciſci, cujus & ipſe inſtitutum profeſſus fuerat. Laudibus hujus Pontificis, ſicut aliorum ſui temporis, obtrectat maledicus conviciator Theodoricus Niemus, jure propterea confutatus a Waddingo ad an. 1410. §. 4. teſtimoniis Scriptorum, qui Alexandrum V. commendarunt uti virum animi magni, prudentiæ ſummæ, & effuſæ in egenos liberalitatis. Quamobrem tradit Platina, illum *per jocum dicere interdum* conſueviſſe, *ſe divitem Epiſcopum fuiſſe, pauperem Cardinalem, mendicum Pontificem*.

Rayn. an. 1410 §. 5. 17. Spond. §. 1.

Pag. 216.

men tracta, poſtea frequentari cœpta eſt. Atque hac ratione factum eſt, ut aliquando Cardinalis Diaconus initio creatus tres & quatuor Diaconias, poſt Presbyter factus totidem Titulos, demum Epiſcopatus omnes cooptaverit.

CCVII.

JOANNES XXIII.

ANNO CHRISTI 1410.

SIGISMUNDI REGIS 1. EMMANUELIS II. 27.

CARDINALES decem septemque, qui erant Bononiæ, habitis de more comitiis,
Rayn. an. *Balthassarem Cossam* Neapolitanum XVI. Kal. Junii
1410. S. 18. anno 1410. Pontificem jusserunt. Hic Pontificiis in-
20. Spond. S. 2. signibus VIII. Kal. mensis ejusdem in Æde S. Petro-
4 7. nii susceptis, *Joannes* XXIII. appellatus est. Audi-
ta morte Roberti Regis Romanorum, confestim
Legatos misit ad Electores Imperii, ut ei Sigismun-
dum Hungariæ Regem subrogarent. Romam pro-
Rayn. an. 1411. S 3-4. fectus Ludovicum Andegavensem in Ladislaum Ro-
Spond. S 1. manæ Ecclesiæ hostem excitavit, eique Paulum
2. Ursinum copiarum Pontificiarum Ducem, & Fran-
ciscum Sfortiam conjunxit, virum bellicis artibus
pollentem. Prælio commisso Ladislai exercitum
magna strage fuderunt, victoria tamen non usi,
prædæ nimium intenti. In Ladislaum ob id auda-
ciorem factum Joannes indixit bellum sacrum:
Rayn. an. 1412. S. 2. quo ille adeo est consternatus, ut *Gregorio* XII.
Spond. S. 1. relicto, se Joanni submitteret. Verum post haud
Rayn. an. 1413. S. 19. ita multo fœdifragus cum exercitu irrupit in Ur-
20. bem, fugam continuo arripiente Joanne Sutrium
Spond. S. 4. versus: qui Viterbii ac Florentiæ commoratus
menses aliquot, Bononiam demum remigravit.
Inde, Ladislao mortuo, per agrum Tridentinum
Rayn. an. 1414. S. 6. superatis Alpibus venit Constantiam, daturus ini-
Spond. S 7. tium Concilio, quod antea indixerat. (1) In alte-

(1) Concilium Constantiense celebratum est extinguendo schis-

tera Concilii *sessione* recepit, se cessurum Pontificatu, si *Gregorius* XII. & *Benedictus* XIII. pariter cederent. Sed mox vim sibi metuens clam discessit Rayn. an. 1415. §. 4. 5. 22. 24. Spond §. 5. 8. 37.

schismati, quo jamdiu Ecclesia vexabatur, moribus formandis, damnandisque erroribus Vicleffi, Joannis Hussi, & Hieronymi Pragensis. Anno 1414. Nonis Novembr. celebrari cœptum, *sessionibus* quinque & quadraginta absolutum est anno 1418. X. Kal. Majas. Interfuerunt Patres fere mille. In his Patriarchæ quatuor, & Episcopi trecenti. Adfuit etiam Sigismundus Rex Romanorum. Concilii Præses diversus pro temporis diversitate. Duabus *sessionibus* præfuit Joannes ipse XXIII. Post abitum ejus e Concilio, tertiæ præfuit Petrus de Alliaco Cardinalis Cameracensis: quartæ & quintæ Jordanus Episcopus Albanensis Cardinalis Ursinus: reliquis usque ad Martini V. electionem Joannes Episcopus Ostiensis Cardinalis Vivariensis: quatuor postremis Martinus V. *sessione* 41. Pontifex creatus. *Sessione* 12. Joannes XXIII. depulsus est Pontificatu: *sessione* 14. Gregorius XII. seu *Angelus Corrarius* se abdicavit. Quod cum Benedictus XIII. seu *Petrus de Luna* sæpe jussus adesse atque citatus, facere recusasset, *sessione* 37. anno 1417. simul usurpata Pontificali dignitate, simul Christianorum communione privatus est. Pontifex tamen ad mortem usque haberi voluit, fovente pertinaciam ejus Alphonso Aragoniæ Rege. Nec, eo Paniscolæ anno 1424. vita defuncto, desiit schisma. Duo enim Cardinales, qui partes ejus sequebantur, *Clementem* VIII. suffecerunt: quo, ejusdem Alphonsi jussu Ecclesiæ jam reconciliati, anno demum 1429. VII. Kal. Sextil. summittente se ad pedes Martini V. schisma extinctum est. Concil. Constantiense.

Sessione 43. editæ constitutiones moribus regendis.

Sessione 8. rejecta est insana Vicleffi doctrina quinque & quadraginta capitibus comprehensa: *sessione* 15. damnati triginta articuli Joannis Hussi: probata insuper communio sub una tantum specie, ipsisque Sacerdotibus non sacrificantibus imperata. *Sessione* 21. anathemate percussus Hieronymus Pragensis, & perinde atque Hussus, vivus igni traditus combustusque, quod relapsus esset in errores Hussi ac Vicleffi, quos *sessione* 19. ejuraverat.

Sessione 45. ut est apud Labbeum tom. 12. Conc. pag. 258. jussit Pontifex Martinus V. *decreta in materiis Fidei per præsens Concilium conciliariter tenere & inviolabiliter observari*. Quibus verbis, ut animadvertit Spondanus ad an. 1418. §. 5.

sit de Concilio : postea tamen subjiciens se judicio ejus, *sessione* 12. IV. Kal. Junii anno 1415. dejectus est Pontificatu post *annos quinque, ac dies tredecim*, quam ei mandatus fuerat. Exinde fuit in custodia Ludovici Ducis Bavariæ Comitis Palatini Rheni. Elapsus Florentiam contendit ad Martinum V. a Patribus Concilii Constantiensis creatum Pontificem, a quo susceptus benigne, Cardinalis Episcopus Tusculanus, & sacri Collegii Decanus constituitur, concessa ei sede paullo eminentiore, quam ceterorum Cardinalium. Vitam posuit Florentiæ anno 1419. XI. Kal. Januar. mœrore aut veneno confectus. *Solemnissimæ Ecclesiasticæ exequiæ sunt ei exhibitæ, sepultusque solus in Oratorio Joannis Baptistæ in sepulcro partim æneo seu orichalceo, partim marmoreo*. (2)

CCVIII.

5. significavit, se non approbare, quæ *sessionibus* 4. & 5. statuta fuerant de auctoritate Concilii supra Pontificem. Quamquam, ut idem Spondanus ac Bellarminus lib. 2. De Conc. cap. 19. docet, Concilium Constantiense *non definivit absolute, Concilia generalia habere a Christo potestatem supra Pontifices, sed tantum in casu, id est tempore Schismatis, quando nescitur, quis sit verus Papa, & proinde habere super illum potestatem, non habere potestatem in Papam*. Bellarmino consentiunt Turrecremata, Sanderus, Campegius, ut est in Annalibus Raynaldi ad an. 1415. §. 7. & 8.

(2) S. Antoninus in Chron. Part. 3. tit. 22. cap. 7. §. 2.

CCVIII.

MARTINUS V.

ANNO CHRISTI 1417.

SIGISMUNDI REGIS 7. EMMANUELIS II. 34.

MARTINUS V. *Odo de Columna* antea di-
ctus, magna Chriſtiani Orbis lætitia anno Rayn. an.
1417. III. Idus Novembr. *ſeſſione* 41. Concilii Con- 1417. §. 2. Spond. § 7.
ſtantienſis Pontifex electus eſt a Cardinalibus una
omnibus, qui Joanni XXIII. Gregorio XII. ac Be-
nedicto XIII. ſtudebant, numero tribus & viginti,
aliiſque viris ſpectatiſſimis triginta, qui juxta de-
cretum *ſeſſione* 40. præcedente ſancitum admiſſi
fuerant in Conclave, daturi operam Pontifici le-
gendo. (1) Hic, abſoluto Concilio Conſtantienſi, Rayn. an.
hanc primam fecit curam ſuam, ut erroribus Vi- 1418. §. 3.
cleffi, Joannis Huſſi, & Hieronymi Pragenſis ex- Spond. § 8.
tinctionem afferret. Nec interim ea neglexit, quæ
pertinent ad munus Principis ſupremi. Namque
pervicit, ut Braccius Dux Peruſinus occupatas Ec- Rayn. an.
cleſiæ Urbes reſtitueret: & Bononienſes, qui au- 1420. §. 9. Spond. § 9.
ctore Antonio Bentivolo jugum excuſſerant, coe-
git redire ſub jus. Romam redux *Jubilæum* ex le- Rayn. an.
ge Urbani VI. anno 1423. celebravit haud magna 1423. § 1.4. Spond. §. 1.
tamen populorum frequentia, propterea quod Ita- 2. 3.
lia,

(1) Eo decreto, ut eſt apud Labbeum tom. 12. Conc. pag. 244. ſtatutum fuerat, ut hac vice Cardinalibus adjungerentur *ſex Prælati, vel aliæ honorabiliores perſonæ Eccleſiaſticæ in ſacris Ordinibus conſtitutæ, de qualibet natione in eadem ſynodo pro tunc exiſtentes, quos, ſeu quas quælibet ipſarum nationum pro ſe ad hoc infra decem dies* elegiſſet, utque nemo haberetur pro vero ac legitimo Pontifice, niſi quem duæ tum Cardinalium, tum delegatorum partes cooptaſſent.

Rayn. an. 1424. §.4.5. lia, Gallia, atque Germania bello arderent. Idem vetuit, Cardinales Regum, ac Principum esse patronos. Idemque ex decreto Concilii Constantiensis edito *sessione* 44. Ticini inchoavit Concilium generale, quod deinde translatum Senas justis de caussis postea dimisit, alio indicto Basileam celebrando post annos septem. Anno itaque 1431. legavit Julium Cardinalem Cæsarinum, qui Concilio præesset. Ast intervenit cœptis mors. Obiit enim X. Kal. Martii, cum *annos tredecim*, *menses tres & dies decem* Summo Sacerdotio præfuisset. (2)

Rayn. an. 1431. §.1.2. Spond. §.2. 3.

CCIX.

(2) Auctor Gallus apud Dominicum Berninum in Historia hæresum omnium tom. 4. sæc. XV. cap. 5. pag. 70. *Bullam Cænæ tempore Martini* V. *cœpisse anno* 1420. *quando in Constantiensi Synodo Boemorum hæreses proscriptæ fuere, docuit olim Dominicus a Soto (non tamen Cardinalis Toletus, ut falso ei imponunt aliqui) hoc unico fretus fundamento, quod Angelicus, aliique prisci Scriptores altum de ea re silentium servaverint. Ceterum non Martino tantum, sed & Clemente* V. *antiquiorem ipsam esse, eruditorum est constans opinio: idque ex eo potissimum evincunt, quod ipse Clemens* V. *in Clem.* I. De Judiciis *palam fateatur, quibusdam solemnibus anni diebus* (die Jovis Hebdomadæ Sanctæ, Ascensionis Domini, & Dedicationis Basilicarum Petri & Pauli) *Romanos* Pontifices generales quosdam processus facere consuevisse: *ubi observetur* Glossa, *quæ huic opinioni favet. Viguisse autem hanc* Bullam *ante Urbanum* III. *& Clementem* IV. *&* V. *ea non contemnenda conjectura est, quod Ostiensis D. Thomæ contemporaneus, imo & antiquior (floruit enim circa annum* 1254.) *expresse hujus processus meminit in tit.* de Crim. falsi l. 5. §. Qualiter committatur *vers.* Porro.

Non tamen tot, quot nunc habet, continebat Canones, sed datis occasionibus a Martino V. *Paulo* II. *Sixto* IV. *in Extrav.* Et si Dominici gregis, *Leone* X. *Paulo* III. *Julio* III. *Paulo* IV. *Pio* V. *Gregorio* XIII. *& aliis variæ adjectiones factæ sunt. Multos casus contentos in processu* Bullæ Cœnæ *notatos fuisse censuris jure antiquiore ipsis Clementinis, nemo, quamvis leviter Canonum notitia pollens, est qui ignoret; cum tam multi habeantur Canones* De percussoribus Clericorum, de

mo-

CCIX.

EUGENIUS IV.

ANNO CHRISTI 1431.

SIGISMUNDI REG. 21. JOAN. VII. PALÆOL. 8.

EUGENIUS IV. antea *Gabriel Condulmerius* Angeli filius, Venetus Patricius, Gregorii XII. ex sorore nepos, Canonicus Cælestinus congregationis S. Georgii in *Alga*, Cardinalis Episcopus Senensis anno 1431. V. Nonas Martii creatus est Pontifex. *Hic statura fuit procerus, gratiosus aspectu, nec animo minor, liberalissimus ad pauperes, ad* re-

Rayn. an. 1431. §. 3. 10. 17. 22. 23. 25. Spond. §. 4. 7. 14.

molestantibus Romipetas, de hæreticis, de deferentibus ad hostes prohibita, de imponentibus pedagia &c. *in Decreto & Extra.*

Quoad usum hos casus solemniter prohibendi, si de annuali quæratur, verosimile puto non esse morem Martino V. antiquiorem; si de illo, qui ter in anno fiebat, incertissimum est initium, sed indubitanter Urbano IV. antiquius, id est ante annum 1260. est studiosorum commune placitum. Vide Spondanum ad an. 1420. §. 6.

Raynaldus ad an. 1431. §. 2. *Fœdissimæ infamiæ labem inferunt Martino hæretici, ducti auctoritate Angeli Clavasii in Summa, dum ajunt, Martinum legem de Conjugiis solvisse in primo gradu, ut quidam cum sorore connubium iniret. Verum hæc ab adulteratore litterarum Apostolicarum conficta, certum est.*

Alio modo Nat. Alexander in Hist. Eccl. Sæc. XV. & XVI. cap. 1. art. 3. *Martinus dispensavit duntaxat cum homine, qui feminam duxerat, cujus sororem constupraverat. Cujus affinitatis impedimentum solvere posse summum Pontificem, cum nec Juris naturalis sit, nec divini, omnes Theologi & Canonici Juris Interpretes docent. Quamquam* S. Antoninus 3. part. Sum. tit. 1. cap. 11. *testetur, ea de re varie tunc a Doctoribus fuisse disceptatum: ideoque dispensasse Martinum V. quod fornicatio esset occulta, & vir ille Monasticæ professioni aut longinquæ peregrinationi impar esset, & gravia ex divortio scandala secuta fuissent.*

reparationem Ecclesiarum munificus, religiosos Deum timentes eximio fovebat affectu pariter & effectu, cultus divini & Christianæ religionis dilatandæ zelator præcipuus. (1) Sub ipsum Pontificatus initium eo intendit curam omnem, ut sectam Hussitarum per Boemiam late grassantem aboleret. Eam ob rem Juliano Cardinali Cæsarino, quem Martinus V. ejus decessor legaverat Basileam ad Concilium generale celebrandum, legationem affirmavit, mandavitque, ut datum sibi negotium conficeret. At Concilium successu caruit. Illud siquidem diremit Eugenius, ac Bononiam transtulit. Translationis decreto restitere Patres Basileenses, quibus Julianus ipse Legatus imprudens favit. Nec ante finis
Rayn. an. 1432. §. 19. Spond. §. 2. contentionum fuit, quam Eugenius Sigismundi Regis, Romæ postea insignibus Augustalibus ab se exornati, suasione permotus, & schismatis metu victus permisit, ut Basileense Concilium instaura-
Rayn. an. 1433 § 1. 14. Spond. § 1. Rayn. an. 1434 § 14. Spond § 2. Rayn. an. 1437. §. 1. Spond. §. 1. 2. 3. 7. retur. Itaque præsentibus Eugenii Legatis continuatum est ab *sessione* 17. ad quintam usque & vicesimam. In hac enim ortum est dissidium inter Patres de loco celebrandi Concilii pro reconciliatione concordiæ inter Græcam & Latinam Ecclesiam: censentibus aliis una cum Eugenii Legatis, celebrandum Florentiæ, vel Utini, aut quocumque magis Pontifici libuisset loco: aliis Basileæ, vel Avenione, aut in Sabaudia. Pontifex accedens primis Concilium transtulit Ferrariam: qua
Sess. 33. re offensi factiosi quidam ex Patribus (nam ple-
Rayn. an. 1439. §. 30. 35. Spond. §. 30. 44. rique steterunt a Pontifice) ausu temerario ratum rursus, & quidem tamquam *veritatem Fidei Catholicæ* id esse jusserunt, quod Concilium Constantiense decreverat, scilicet Concilii generalis auctoritatem antecellere auctoritati Pontificis summi, nec licere Pontifici Concilium generale *sine ejus consensu dissolvere, prorogare, transferre*. Eoque demum pro-

(1) S. Antoninus 3. part. Chron. tit. 22. cap. 10.

progressi sunt, ut Eugenium dejicerent Pontificatu, & nomine *Felicis* V. subrogarent *Amedeum*, qui ante annos quinque Ducatu Sabaudiæ abdicato, vitam agebat solitariam. Eugenius nihil deterritus, dicto in factiosos anathemate, Concilium Ferrariæ inchoavit, quod, cum gravis per Urbem pestilentia incidisset, Florentiam transtulit, atque inde Romam, *ut majorem auctoritatem etiam ex loco susciperet*. (2) Febri consumtus est anno 1447. VII. Kal.

(2) Augustinus Patricius in Historia Concilii Basileensis & Florentini apud Labbeum tom. 13. Conc. pag. 1599.

Concilii Basileensis acta continentur *sessionibus* quinque & quadraginta. Legitimum & Oecumenicum fuit sub initium duntaxat: insurgens postea contra Pontificem evasit in Conciliabulum Satanæ: & saniores Episcopi subduxere se de eo. Hinc ejus sanctiones vanæ, & *Amedeus* suffectus Eugenio IV. Pontifex falsus. Vide Bellarminum lib. 3. De Ecclesia militante cap. 16. ad 6. Concil. Basileense.

Hoc est Concilium Florentinum, Oecumenicum XVI. Habetur velut quædam continuatio Concilii Basileensis, quod post *sessionem* 25. desiit esse Oecumenicum. Patrum enim pars major consentiens Eugenio IV. se contulit Ferrariam, ubi anno 1438. V. Idus April. inchoatum est Concilium ad Græcos reconciliandos cum Latinis. Interfuerunt Episcopi 140. in iisque Josephus Patriarcha Constantinopolitanus, Bessarion Antistes Nicænus, Isidorus Thessalonicensis, Marcus Ephesinus. Adfuit etiam Joannes VII. Palæologus Orientis Imperator. Præfuit ipse Eugenius IV. Quinque & viginti numerantur *sessiones* hujus Concilii. Sexdecim habitæ sunt Ferrariæ, Florentiæ vero reliquæ. De rebus Græcos inter ac Latinos controversis disceptatum est, sex utrinque delectis ad disceptandum. Græci omnes extra unum Marcum Ephesinum consensere, Spiritum Sanctum procedere a Patre *Filioque*, vocemque *Filioque* declarandæ caussa veritatis recte insertam Symbolo, quamvis ipsi eam Symbolo suo inserere noluerint: Eucharistiæ Sacramentum in azymo pane juxta, atque fermentato confici, nemini tamen licere mutare ritum Ecclesiæ suæ: esse locum, in quo piorum animæ sejunctæ a corpore, si quid diluendum superfit, ad definitum tempus cruciatæ expiantur, eisque preces Christianorum & sacrificia prodesse: puras e con- Conc. Oecum. XVI.

tra-

Rayn. an. 1447. §. 13. Spond. an. 1446. §. 10. In Chron. p. 3. tit. 22. cap. 11. §. 18.

Kal. Mart. post *annum Pontificatus fere decimum sextum*, ætatis sexagesimum sextum vel quartum, *integro sensu atque aspectu*, ut ait S. Antoninus, qui decumbenti præsto fuit ad extremum. (3)

CCX.

trario, omnisque maculæ expertes ad optatissimam beatitudinem, quæ in Dei visione consistit, statim advolare: denique Pontificem Romanum in Ecclesia universa *Primatum* obtinere. Sic reconciliata pax, quæ tamen brevis admodum fuit. Græci enim vix in patriam reversi, auctore Marco Ephesino Metropolita, renovarunt schisma antiquum, in quo ad hodiernam diem perseverant post duodecimam, seu decimam quartam cum Latina Ecclesia reconciliationem. Namque S. Antoninus 3. part. Chron. tit. 22. cap. 13. hanc duodecimam appellat, alii vero apud Spondanum ad an. 1274. §. 8. eam faciunt tertiam decimam, quæ in Concilio Lugdunensi II. Oecum. XIV. facta est. Post Græcorum discessum edidit Eugenius decretum Armenis in Catholica Fide erudiendis, recipiendisque in societatem Romanæ Ecclesiæ. Accesserant enim Legati *Primatis* seu *Catholici* Armenorum id petentes. Jacobitas quoque, emisso pro eorum institutione decreto, conjunxit cum Ecclesia Catholica: item Æthiopas seu Abissinos, quorum Imperator Constantinus cognomine *Zerah Jacob*, id est *semen Jacob*, vulgo *Presbyter Joannes*, invitatus ad suscipiendam Christianorum religionem miserat Legatos suos, quos Romæ anno 1442. Concilio in Basilicam Lateranensem translato, Eugenius suscepit.

(3) Paulus Æmilius De rebus gestis Francorum lib. 10. pag. 225. *Id Eugenii felicitati tributum est, quod nulli ante, postve ad hanc diem Pontifici, ut duo Cæsares Græcus Latinusque eum adirent, parentem Orbis terrarum profiterentur.*

CCX.

NICOLAUS V.

ANNO CHRISTI 1447.

FEDERICI III. REG. 8. JOAN. VII. PALÆOL. 24.

NICOLAUS V. ortu Sarzanensis, vir Theologica doctrina illustris, anno 1447. pridie Nonas Mart. a Cardinalibus decem septemque in Pontificatu collocatus est. Rogatus, & recusans summam in terris dignitatem inivit *Nicolai* V. nomine ad celebrandam memoriam *Nicolai* Cardinalis *Albergati*, qui, eum Catholicæ Ecclesiæ præfectum iri, prædixerat multo ante. Tam felix fuit schismati extinguendo, ut & confessione ipsius Pseudopontificis *Felicis* V. & approbatione Præsulum Concilii Basileensis, ob pestilentiam translati Lausanam, verus ac legitimus Pontifex haberetur. Amplissimos eidem Pseudopontifici honores habuit. Constituit enim Cardinalem Sabinensem, ac perpetuum Sedis Apostolicæ Legatum in Sabaudia: indulsitque eidem Pontificia insignia omnia, præter jus præferendi Corporis Christi, anulum Piscatoris, Crucem in pedibus, & umbellam: cuncta etiam acta ejus jussit rata esse, suam hac de re voluntatem universo Christiano Orbi testatus tribus constitutionibus. (1) Restituta Ecclesiæ pace, *Jubilæum* ex decreto Clementis VI. anno 1450. celebravit majore, quam umquam antea, frequentia populorum. S. Laurentium Justinianum ita *dilexit*, *ut in illo ornando certaverit cum Eugenio. Nam sicut ille Episcopum, cum primum potuit, fecit; ita hic Pa-*

Rayn. an. 1447. §. 15. 16. Spond. §. 1.

Rayn. an. 1449. §. 1. 5. 7. Spond. §. 2. 4. 5.

Rayn. an. 1450. §. 1. 19. Spond. §. 1.

Hh *triar-*

(1) Primam refert Labbeus tom. 12. Conc. pag. 663. omnes Auctor libri, qui inscribitur *Amedeus Pacificus*.

triarcham, cum primum oblata occasio est, creavit. Gradensi siquidem Patriarcha mortuo, Patriarchatum a Grado nobili quondam Urbe transtulit Venetias; idque nec cognita, nec postulata Senatus voluntate: quippe qui non minus hominem, quam civitatem eo facto exornare cuperet. (2) Idem Federicum III. Romæ perhonorifice susceptum ornavit Augustalibus insignibus. Prænunciatum ab se excidium Imperii Græcorum, captamque a Turcis Constantinopolim eo tulit gravius, quo magis laboravit, ut Christianorum Principum ope tanta clades averteretur. (3) In calamitate tam exitiosa, quod unum præstare potuit,

Rayn. an. 1452. §. 2. 1453. §. 1. Spond. § 2.

Rayn. an. 1455. §. 12. 15. 16. Spond. §. 4. 5.

(2) Bernardus Justinianus in vita S. Laurentii Justiniani cap. 8. apud Bollandum tom. 1. Jan. pag. 560. Adstipulatur Ludovicus Thomassinus De Veteri ac Nova Ecclesiæ disciplina part. 1. lib. 1. cap. 23. §. 2. Ughellus tom. 5. Italiæ Sacræ pag. 1292. edit. Venet. & Josephus Motta De Metropolitico jure §. 184. contra Baronium, qui ad an. 1050. §. 3. scribit eam translationem factam a Leone IX.

(3) Ex quo Græci, ut est apud Vincentium Ludovicum Gotti tom. 1. *Veræ Ecclesiæ* cap. 7. §. 3. num. 20. pag. 235. spernere cœperunt Episcopos Romanos, & obedientiam abjicere, cœptus ab eisdem divino spiritu tactis prænuntiari occasus Imperii eorum, nisi redirent ad officium. Vates primus S. Leo, secundus S. Gregorius, deinde alii, postremus Nicolaus V. Hic animadvertens, Constantinum Palæologum a promulgandis decretis Concilii Florentini refugere, seque minus paratum ostendere ad servandam concordiam cum Latinis pactam juratamque, eidem, ni staret in pactione, & schisma penitus aboleret, Constantinopolis expugnationem, eversionemque Imperii anno 1451. denuntiavit intra triennium. Verba ipsa, quibus grande malum prædixit, magno cum dolore recitat Gennadius Patriarcha Constantinopolitanus apud Thomam Bozium De signis Ecclesiæ tom. 1 lib. 6. sig 19. *Optime cuncta novimus, sed toleramus in Jesum respicientes sempiternum Sacerdotem & Dominum, qui sterilem illam ficum usque ad annum tertium jussis asservari, agricola jam ad excidendam arborem se accingente, quia nullum fructum ferebat.* Posthabitæ prædictionis meritas pœnas luit Palæologus. Vix enim tertius a vaticinatione annus 1453. advenit, cum Mahumetes II.

tuit, *Libros ex tota Græcia perquisitos ad se jussit afferri, & in Latinam converti linguam curavit*, profugasque & extorres Græciæ Musas amice & liberaliter excepit. *Veteribus & novis Codicibus ornatissimam Bibliothecam instruxit, in qua circiter tria millia librorum volumina condidit*. (4) *Flaminiam in Pontificis iterum ditionem redegit. Publicum in Monte Pessulano gymnasium instituit. Probos & eruditos in Cognatorum loco tantum habuit*. (5) *Urbem Romam multis ac maximis ædificiis mirum in modum exornavit: cujus opera si compleri potuissent, nulli veterum Imperatorum magnificentiæ cessura videbantur*. (6) Ante diem IX. Kal. April. anno 1455. ex corporis vinculis evocatus est. Huic *annorum octo ac dierum decem novemque* Pontificatus fuit.

Hh 2 CCXI.

II. Amurathis II. filius Imperator Turcarum, Constantinopoli capta, & Constantino extincto, Græcorum Imperium evertit. Sic Græci, divino numine ulciscente multiplicem eorum defectionem ab Ecclesia Romana, in Turcarum servitutem redacti sunt, quam ad hodiernam diem instar Hebræorum patiuntur. Sic Imperium Orientis cœptum a Magno Constantino filio Helenæ desiit in Constantinum Helenæ itidem filium, cum ab summo culmine fortunæ ad finem ultimum stetisset annos 1123.

(4) Æneas Silvius De Statu Europæ sub Federico III. cap. 54. inter Scriptores Rer. Germanic. Freheri tom. 2. pag. 156. 157.

(5) Inscriptio apud Waddingum in Annalibus Minorum ad an. 1292. §. 7.

(6) Memoratus Æneas Silvius ibidem pag. 156.

CCXI.

CALLISTUS III.

ANNO CHRISTI 1455.

FEDERICI III. IMPERATORIS 16.

Rayn. an. 1455. §. 17. 18. 19. Spond. §. 6. 7.

Rayn. an. 1456. §. 1. 70. Spond. §. 1. 2. 4.

CALLISTUS III. antea *Alphonsus* Cardinalis *Borgia*, Hispanus, vir ætatis prope exactæ, Bessarioni Cardinali Græco præter omnium expectationem præoptatus, anno 1455. VI. Idus April. Pontificatum suscepit: quemadmodum B. Vincentius Ferrerius ejusdem nationis homo vaticinans prænuntiaverat. (1) Iste nihil prius aut acrius movit, quam ut bellum contra Turcas votum pararet classemque instrueret. Ob id Legatos etiam ad Christianos Principes misit, qui hortarentur ad arma consocianda adversus Christiani nominis hostes. Ad propitiandum vero numen divinum voluit sub meridiem ad Æris Campani sonum Orationem Dominicam & Salutationem Angelicam ter recitari. (2) Neque incassum missæ preces. Turcæ enim cæsi

(1) Ciaconius in vita hujus Pontificis: *Mirandum, Hispanos ante hoc tempus nullum protulisse Pontificem Romanum, nisi Damasum & Joannem Hadriani V. successorem.*

(2) S. Antoninus in Chron. part. 3. cap. 14. *Mandavit per solemnes litteras Apostolicas ubique terrarum fidelium singulis diebus inter Nonam & Vesperas pulsari in omnibus Ecclesiis ad Ave Maria ter. In qua pulsatione quicumque diceret genibus flexis ter* Ave Maria *&* Pater Noster, *consequeretur indulgentiam trium annorum & trium quadragenarum.*

Platina, qui, ut est apud Raynaldum ad an. 1458. §. 4. *Romæ tunc agebat*, pag. 243. Callistus *mandavit, ut assiduo rogatu Deus flecteretur, in meridie Campanis signum dari Fidelibus omnibus, ut Orationibus eos juvarent, qui contra Turcas continuo dimicabant.*

Eum-

cæsi ad Taurunum, fugatique. Ut grates Deo haberentur pro victoria parta, Festum *Transfigurationis* Christi Domini celebrius fecit largitione *indulgentiarum* earumdem, *quibus celebritas Corporis Christi in pretio habetur*, (3) *Officiumque ipse composuit*. (4) Cavit idem sub pœna anathematis, ne quis in sacello Pontificio sermonem haberet, quem prius non expendisset sacri Palatii Magister. B. Vincentio Ferrerio Divorum cultum decrevit. Alphonso Aragonio defuncto, Regnum Neapolitanum Ecclesiæ repetiit, repugnantique Ferdinando notho Alphonsi filio magnum exhibuisset negotium, nisi senio & morbo confectus anno 1458. VIII. Idus Augusti migrasset e vita. Pontifex fuit *annos ac menses tres, diesque undetriginta*. Ejus *præcipua laus, quod dum Episcopus esset, aut Cardinalis, beneficium aliquod in commendatione numquam voluit, dicens* se una sponsa, & quidem Virgine contentum esse, hoc est Ecclesia Valentina, *ut jus Pontificium mandat*. (5)

Rayn. an. 1457. §. 73.

Rayn. an. 1452. §. 31. 40. Spond. §. 7.

Eumdem morem, eademque de caussa, ad implorandam videlicet opem divinam adversus Turcas, instauravit Alexander VI. ut ad an. 1500. narrant Raynaldus §. 4. & Spondanus §. 5. Qua de re multo fusius Angelus Rocca in Commentario de Campanis cap. 17. & 18. Vide annotat. 10. ad Joannem XXII. & 3. ad Benedictum XIII.

(3) Baronius in annotat. ad Martyrologium Romanum VIII. Idus Augusti: quicum sentit Spondanus ad an. 1456. §. 4. & Ludovicus Thomassinus lib. 2. De dierum Festorum celebratione cap. 19. §. 14. Ne credas igitur iis, qui Festum hoc ab Callisto III. institutum edunt.

(4) Platina in ejus Vita pag. 245.

(5) Idem Platina ibidem pag. 244.

CCXII.

PIUS II.

ANNO CHRISTI 1458.

FEDERICI III. IMPERATORIS 19.

PIUS II. Senensis, *Piccolomineus*, appellatus antea *Æneas Silvius*, XIV. Kal. Septembr. anno 1458. ad summi Pontificatus dignitatem evectus est, *litteris, eloquentia, dexteritate, & prudentia nulli secundus, adeoque scribendo delectatus, ut nec perpeti morbi articularis dolore, nec multitudine negotiorum oppressus ab eo cessare potuerit*. (1) Multa hic fecit præclare. In primis vetuit ab sententia Pontificis appellari ad futurum Concilium, pœna anathematis inhibita appellantibus. (2) Rescidit omnia, quæ ipse contra Eugenium IV. egerat in Concilio Basileensi. (3) Abrogavit etiam *Compactata* Boemorum. (4) Exortam inter *Franciscanos* & *Dominicanos*

Rayn. an. 1458. §. 1. Spond. §. 9. 13.

(1) Spondanus ad an. 1458. §. 9. & 13.

(2) Constitut. 5. quam rem Gregorius XIII. constitut. 81. & Paulus V. constitut. 63. inseruerunt in *Bullam Cœnæ Domini*.

(3) Constitutione 10. tom. 1. Bullarii pag. 392. & tom. 13. Conc. Lab. pag. 1409. *Sequimini, quæ nunc dicimus, & seni magis, quam juveni credite, nec privatum hominem pluris facite, quam Pontificem: Æneam reiicite, Pium recipite*. Hæc ideo annotata sunt, ut sciant omnes, etiamsi Æneæ Silvii Oratio alicubi recedere videatur ab sententia communi Theologorum Romanorum, non inde tamen colligi posse, ita locutum esse Pium II.

(4) Erant pacta quædam inita inter Legatos Concilii Basileensis, & Boemos, probata postea ab eodem Concilio, quorum *vigore abdicabant ab se se Boemi quosvis articulos erroneos, illo demto, qui de Communione duplici* (hoc est sub utraque specie) *nuncupatur*, ut ait idem Æneas Silvius in Ora-

nos controversiam, utrum sanguini ab corpore Christi in passione separato adhæserit Verbum Divinum, disceptari voluit coram se, jussitque silentium esse utrinque, arcens communione Ecclesiæ, si qui secus faxint. (5) *Rogatus a suis Civibus B. Catharinam Senensem inter Sanctas Christi Virgines retulit*. Idem persuasit Ludovico XI. Gallorum Regi, ut *pragmaticam sanctionem, quam Pater ejus induxerat, prorsus eliminaret, & Apostolicæ Sedi in rebus Ecclesiasticis summum imperium permitteret*. (6) Bellum sacrum adversus Turcas haud minori, quam Calli-

Hh 4 stus

Oratione habita coram Callisto III. apud Muratorium tom. 3. Anecdot. pag. 313.

(5) Asserebant D. Francisci discipuli sanguinem Christi, per triduum passionis effusum, non fuisse cum Verbo conjunctum *hypostatice*, ob eamque rem non adorandum cultu *Latriæ*. Contrariam sententiam ut defenderent viri ex familia S. Dominici, manibus pedibusque obnixe omnia faciebant. *Major pars sententiam Prædicatorum approbavit, pauci cum Minoribus sensere. Pius quoque in majori parte fuit*, ut lib. 11. Comment. Pii II. pag. 537. ait Joannes Gobellinus, qui fuit a secretis ejusdem Pontificis. Rem fuse narrant idem Gobellinus, Spondanus ad an. 1462. §. 12. Raynaldus ad an. eumd. §. 45. Cardinalis Lambertinus De Serv. Dei Beatif. & Beat. Canoniz. lib. 2. cap. 30. num. 3. & Cardinalis de Lugo De incarnatione disputat. 14. ubi Dominicanorum opinionem probat.

(6) Joan. Gobellinus Comment. Pii II. lib. 5. pag. 146. & lib. 6. pag. 300. 301. & pag. 336. 338. & 343.

Apud Raynaldum ad an. 1461. §. 118. & Labbeum tom. 14. Conc. pag. 97. est epistola Ludovici XI. ad Pium II. in qua ille professus *omnibus victimis potiorem obedientiam esse*, abrogat *Pragmaticam sanctionem, utpote quæ in seditione & schismatis tempore nata sit, & quæ, dum* Romano Pontifici, *a quo sacræ Leges oriuntur & manant, quantamlibet eripit auctoritatem, omne jus & omnem legem dissolvit*. Vide Raynaldum ad an. 1516 §. 22. Petrum de Marca lib. 6. De Concordia Sacerdotii & Imperii cap. 9. §. 10. & annotat. 6. ad Julium II.

Porro Pragmaticæ Sanctionis, quæ fertur nomine S. Ludovici IX. *fidem non satis firmis niti fundamentis*, atque adeo sub-

Rayn. an. 1459. §. 4. 59. Spond. §. 9. 16. Rayn. an. 1460. §. 1. 1462. §. 1. 5. 16.

ſtus III. paravit cura. Profectus enim Mantuam habuit in id Epiſcoporum & Principum conventum. At decretum in eo bellum inſtructum non eſt, converſis in alia Principum ſtudiis. Itaque quod armis non potuit, ſcriptis tentavit, data epiſtola ad Mahumetem, qua eum hortatus eſt, ut amplecteretur Chriſtiana ſacra. (7) Cum hæc ſurdis auribus dixiſſet, animum retulit ad expeditionem in Mantuano Concilio motam. *Magna vi mortalium ad famam piæ expeditionis ad eum in Urbem confluente, Anconem venit: nec multo poſt adfuit illic ſedenti per litteras evocatus Chriſtophorus Maurus Venetorum Princeps cum decem triremibus militari bellicoque apparatu egregie inſtructis*. (8) At Pius morbo, qui jam remiſerat, ingraveſcente, XIX. Kal. Septembr. anno 1464. ætatis nono fere ſupra quinquageſimum, biduo defecit, Pontifex *annorum ſex minus diebus quinque*. Corpus ſepultum Romæ in ſacello Ædis Vaticanæ, in quo duobus ante annis caput S. Andreæ Apoſtoli a Thoma Palæologo Peloponneſi Principe acceptum ſolemni pompa repoſuerat,

Rayn. an. 1464. §. 36. 40. 49. Spond. §. 8. 9.

CCXIII.

ſubdititiam eſſe, docet Scriptor Gallus Ludovicus Thomaſſinus De vet. & nova Eccleſiæ diſciplina part. 2. lib. 2. cap. 33. §. 4. & part. 3. lib. 1. cap. 43. §. 17.

(7) Exſtat epiſtola, ſeu potius libellus etiam apud Raynaldum ad an. 1461. §. 44.

(8) Petrus Juſtinianus Rerum Venetarum lib. 8. pag. 283.

CCXIII.

PAULUS II.

ANNO CHRISTI 1464.

FEDERICI III. IMPERATORIS 25.

PAULO II. Veneto, *Nicolai Barbi* & Polyxenæ sororis Eugenii IV. filio, annos duodequinquaginta nato, cui antea nomen *Petrus* fuerat, anno 1464. III. Kal. Septembr. primo comitiorum die, maxima omnium admiratione, summi Pontificatus honos delatus est. Ad tantam dignitatem perventurum B. Virgo paullo ante prædixerat, cum Domum ejus Lauretanam pestilentia tactus adiisset pro valetudine. Decessorum suorum exempla secutus huc incubuit primum, ut bellum pararet contra Turcas. Hussitarum quoque hæresim opprimendam curavit, & Georgium Regem Boemorum Hussitis deditum & anathemate damnavit, & exuit regno. Idem cavit, ne Legati Apostolici, neve Rectores provinciarum munera acciperent *præter esculenta & poculenta, quia brevi tempore consumi possunt, quod tempus ad biduum moderatur*. (1) Vetuit etiam bona Ecclesiastica alienari, aut locari ultra triennium. (2) *Abbreviatores, ut vocant, a Pio in Curiam adscitos officio privavit: inter quos Platina, quod cum insolentius epistola quadam factum redarguisset, in custodiam detrusus est.* (3) Rubro Cardinalium galero rubra addidit *Capitia*, quibus, in Sacris Ceremoniis, ubi non est usus galeri, secernerentur *a Prælatis inferiorum ordi-*

Rayn. an. 1464. §. 54. 55. 57. 62. Spond. §. 12. 18.

Rayn. an. 1466. §. 23. 26. Spond. § 2.

(1) Constitutione 3. §. 1. tom. 1. Bullarii pag. 398.
(2) Constitutione 5. ibid. pag. 400.
(3) Auctor vitæ Pauli II. apud Labbeum tom. 13. Conc. pag. 142.

dinum, jussitque ut qui Cardinales ex Ecclesiastico censu quatuor aureorum millia non haberent, eis centum ex ærario publico suppeditarentur mensibus singulis. (4) *Jubilæum* quinto ac vicesimo quoque anno celebrandum decrevit. (5) *Borsium Atestinum Mutinæ Ducem optime de Sede Apostolica meritum, maxima pompa, ut regiam non æquaret modo, sed vinceret, Urbem ingressum, Ferrariæ Ducis titulo exornavit, cum antea Vicarii Pontificii potestate tantum fungeretur*. (6) Basilicam S. Marci ornavit, porticum pulcherrimam addidit, & ædes magnificas juxta construxit, in quas Pontifices tempore æstivo divertere possent e Vaticano. (7) Anno 1471. VIII. Kal. Augusti animam exspiravit, correptus apoplexia, ut plures, certioresque tradunt. Pontificale munus gessit *annos sex, menses decem, dies sex & viginti*. *Tam liberalis fuit, ut paucis egentium non donarit: tam justus, ut furum, sicariorum, maleficiorum nemini pepercerit: tam clemens, ut occidi neminem passus sit*. *Dicebat*, in rebus aliis hominem esse posse, in Ecclesiarum rectoribus creandis Angelum, in Collegio augendo Deum Pontificem esse oportere: *qui in altero peccet, impium, qui in altero, Dæmonem esse existimandum: in illo unam Ecclesiam prostitui, ac vi-*

Rayn. an. 1470. §. 55. Spond. §. 6. Rayn. an. 1471. §. 56. 62. 63. Spond. §. 8. 9.

ro

(4) Jacobus Piccolomineus Card. Papiensis Commentariorum lib. 2. pag. 350. *Cardinalibus, qui sacris indutii vestibus a Prælatis inferiorum Ordinum præterquam loco non noscebantur, usum mitræ sericeæ Damasceni operis rubraque Capitia indulsit, quibus soli Antistites Romani antea utebantur. Subsellia quoque tam ad senatus, quam ad sacrificiorum consessum altius elevavit. Aureos mensurnos centum singulis patrum instituit, quibus annua quatuor millia ex Sacerdotiis non provenirent: Quod*, ut ait Cohellius in Notitia Cardinalatus extremo cap. 11. *in præsentem usque diem servatur, & vulgo* il piatto di Cardinal povero *appellatur*. Vide annotat. 1. ad Innocentium IV.

(5) Constitutione 7. tom. 1. Bullarii pag. 401.

(6) Raynaldus ad an. 1471. §. 56.

(7) Lege vitam Pii IV.

ro alieno conjungi & non suo, in hoc Ecclesias universas periclitari tum ob ea, quæ quotidie per senatum decernuntur, tum ob ipsos Dei Vicarios, qui e senatu creari consueverunt. (8)

CCXIV.

SIXTUS IV.

ANNO CHRISTI 1471.

FEDERICI III. IMPERATORIS 32.

SIXTUS IV. Savonensis, *Franciscus Roboreus* antea dictus, institutum S. Francisci professus, & scriptis clarus, anno 1471. V. Idus Augusti Pontifex proditus est. Id huic curæ fuit, ut Mahumetis II. impetus propulsaret a finibus Christianorum. Itaque Catholicos Principes legationibus solicitavit ad communem hostem repellendum. Ad labefactandam vero hæresim Hussitarum Boemiæ Regnum Matthiæ Regi Hungarorum adjudicavit, Boemis exsolutis religione jurisjurandi, quo se Uladislao Poloniæ Regis filio obligaverant. Ferdinando Regi Neapolitano tributum, dum viveret, remisit, *modo equum album quotannis feudi nomine persolveret, tueretur que oram maritimam a prædonibus, & milite, si opus esset, Pontificem juvaret, sua impensa quoque & ductu.* (1) Ferrariensis Principatus

Rayn. an. 1471. §. 66. 72. 76. Spond. §. 10. 11.

Rayn. an. 1472. §. 32. 55. 59. 60.

(8) Ægidius Cardinalis Viterbiensis apud Raynaldum ad an. 1471. §. 63.

Brietius in Annalibus ad an. 1464. *Cave de hoc Pontifice Platinæ fidem adhibeas, a quo hic longo carcere subactus, imo & tormentis subjectus ob conspirationem & impietatem, multa in eum effutiis ex recordatione potius pœnarum, quam ex veritate.*

(1) Platina in Vita MS. Sixti IV. apud Raynaldum ad an. 1472. §. 55.

tus possessionem fiduciariam dedit Herculi Ate-
stino, imperato censu millium aureorum quinque.
Judices, quos *Rotæ Auditores* appellant, numero
duodecim in posterum esse decrevit, cum antea
Rayn. an. essent quatuordecim. (2) Confirmavit Ordinem
1474. §. 26. *Minimorum* ab Francisco de Paula, & *Augustinia-*
31.
1475. §. 1. *norum* Excalceatorum a Baptista Poggio Genuensi
1480. §. 29.
1482. §. 46. institutum. *Jubilæum*, confirmata Pauli II. constitu-
tione, anno 1475. celebravit. Festum omnium
Sanctorum coli jussit per dies octo. B. Bonaven-
turam Episcopum Cardinalem retulit in Sanctos
Spond. an. & Ecclesiæ Doctores. Ortam inter Franciscanos
1483. §. 8. & Dominicanos controversiam de sacris stigmati-
bus D. Catharinæ Senensis opprimere conatus est.
(3) Eosdem vetuit de immaculata B. Mariæ Vir-
ginis Conceptione disceptare, (4) & in utrosque
vim

(2) Constitutione 2. tom. 1. Bullarii pag. 404.

(3) Negabant Franciscani, D. Catharinam Virginem Senensem sacris stigmatibus fuisse insignitam, contendentes, tale privilegium concessum uni S. Francisco. Dominicani asserebant communicatum etiam D. Catharinæ, quamvis sacra stigmata in ejus corpore non apparuerint, ut in corpore S. Francisci. Pontificem illi suum precibus atque obtestationibus fatigatum perpulere, ut sanctæ Virginis imaginem cum stigmatibus pingi vetaret, inhibitis pœnis Ecclesiasticis, quas tamen mitigato postea decreto sustulit. Eadem controversia renovata Clemente VIII. Pontifice, qui anno 1599. in *sacra Rituum Congregatione* pensatis utrinque rationum momentis, utrique parti silentium indixit. Urbanus VIII. qui tertiam Lectionem ab se compositam *Breviario* Romano inseruit, litem diremit his verbis: *Hanc gratiam amantissimus Dominus nova gratia cumulavit, ut sentiret dolorem illapsa vi vulnerum, & cruenta signa non apparerent. Quod ita contigisse, cum Dei famula Confessario suo Raymundo retulisset, ut oculis etiam repræsentaretur, radios in imaginibus B. Catharinæ ad dicta quinque loca pertingentes pia Fidelium cura pictis coloribus expressit*. Vide Cardinalem Lambertinum De Serv. Dei Beatif. & Beat. Canoniz. lib. 4. cap. 8. num. 8. & seqq.

(4) Constitutionibus, quas habes Extravagant. 1. & 2.
De

vim magnam privilegiorum effudit. (5) Probavit antiquum orandi modum, quo *volens orare dicit toties Angelicam Salutationem, quot sunt Psalmi in Psalterio Davidico, videlicet centies & quinquagies, singulis decem Salutationibus orationem Dominicam semel praponendo;* & hoc *modo orantibus pro qualibet quinquagena quinque annos & totidem quadragenas indulgentia misericorditer in Domino relaxavit.* (6) Multa Romæ ædificia restituit condiditque maximo Urbis commodo & ornamento. In his Pons ejus nomine nuncupatus Tyberi impositus, & Vaticana Bibliotheca instaurata, quam etiam libris ornavit, auxitque proventibus, unde custodibus, librariis Latinis, Græcis, Hebræis stipendia persolverentur. Eidem Bibliothecæ Platinam præposuit, omniumque Pontificum primus libros vidit typis excusos. (7) Idem *primus, nulla habita ratione Decre-*

Rayn. an. 1484. §. 20. 23. Spond. §. 2.

De reliquiis & venerat. Sanct. inter Communes, quasque ratas esse jussit Tridentina Synodus *sess.* V. in Decreto de peccato Originali §. ult. Capite altero sanxit sub pœna anathematis, neque eos, qui negarent, neque eos, qui affirmarent, *Dei Genitricem ab Originalis peccati macula in sua Conceptione præservatam fuisse*, ullius criminis reos esse, & utrique parti potestatem fecit alterutram sententiam amplectendi, nulla habita ratione Concilii Basileensis, quod *sess.* 36. definierat B. Virginem sine ulla *Originalis* peccati labe conceptam. Quandoquidem conventus iste, ex quo se ab Eugenio IV. separavit, corpus esse cœpit sine capite, ac proinde decernere id non potuit. Neque refert Concilii Basileensis decretum a Concilio Avenionensi anno 1457. confirmatum fuisse, ut est apud Labbeum tom. 13. Conc. pag. 1403. Vide annotat. 2. ad Eugenium IV.

(5) Constitut. 6. 7. 19. tom. 1. Bullarii.

(6) Constitut. 18. ubi addit: *Iste modus orandi Psalterium Virginis Mariæ vulgariter nuncupatur*. Memorata jura amplificarunt, ac nova societati Rosarii concesserunt Pius V. const. 86. Sixtus V. const. 21. & novissime omnium Benedictus XIII.

(7) Constat fere inter omnes anno circiter 1440. cogitari cœptum de Arte Typographica invenienda, eamque anno

ereti Concilii Basileensis, supra omnes prædecessores suos Cardinalium numerum maxime ampliavit, cujus exemplum optime secutus est Alexander Papa VI. (8) Excessit post *annos tredecim ac dies quinque*, quam regnare cœperat, anno ætatis septuagesimo, Christi 1484. Idibus Augusti.

CCXV.

anno 1457. prolatam in lucem. Si quid librorum ante hunc annum 1457. excusum est, id factum beneficio characterum tabulis ligneis insculptorum, non typis ex plumbo, stannoque conflatis. De loco autem, ubi primum utilissima Ars inventa, ac de ipsis inventoribus varias discrepantesque sententias peperit æmulatio. Harlemum enim Hollandiæ Urbs Laurentio suo, cui Æditue seu *Confiero* cognomen, præclarissimi inventi gloriam vindicat: Argentoratenses eam laudem tribuunt Joanni Mentelio: Moguntini Joannem Guttembergium tanto honore afficiendum esse contendunt. Qui plura desiderant, eos remittimus ad Annales Typographicos Michaelis Maittaire, & ad Marci Zuerii Boxhornii dissertat. *De Typographicæ Artis inventione.*

(8) Onuphrius Panvinius in libro *De Episcopatibus, Titulis, & Diaconiis Cardinalium* pag. 18. apud Van espen Juris Ecclesiastici Universi part. 1. tit. 22. cap. 1. §. 16. ubi subdit e vestigio: *Nullus tamen horum Pontificum antiquum 53. numerum excessit, ut essent videlicet plures quam 53. cum nec eum numerum attigerint: sed omnium Romanorum Pontificum primus fuit Leo X. qui antiqui statuti ratione non habita, in magna illa 31. Cardinalium creatione, veterem & antiquum atque a nullo umquam Romanorum Pontificum excessum numerum superarit. Nam sub Leone X. plus minus 65. Cardinales simul viventes fuerunt, quod numquam alias contigerat post fundatam Romanam Ecclesiam. Ejus exemplum secuti sunt Paulus III. & qui nunc vivit Paulus IV. Prior enim ad 63. numerum Cardinales auxit, sequens ad 70. quem quoque numerum numquam fuisse satis constat.*

CCXV.

INNOCENTIUS VIII.

ANNO CHRISTI 1484.

FEDERICI III. IMPERATORIS 45.

ANTE diem IV. Kal. Septembr. anno 1484. Ecclesiæ Catholicæ administrandæ præfectus est *Joannes Baptista Cibo* Genuensis, appellatusque *Innocentius* VIII. Magnum fuit studium ejus curaque de pace inter Christianos Principes concilianda, ut eos in Turcarum perniciem armaret. Confirmavit jura in Guineam, aliasque terras Saracenorum concessa Regi Lusitano a Nicolao V. Callisto III. & Paulo IV. Consensit, Maximilianum Federici III. Cæsaris filium a Septemviris creari Regem Romanorum. Varias adversus maleficos & hæreticos edidit constitutiones: ipsoque annitente *extincta sensim est Hussitarum hæresis, donec* Lutherus *eam hydram pluribus horrentem capitibus in Christianorum exitium suscitavit*. (1) Idem dicitur *Catholici* titulo decorasse Ferdinandum V. Aragoniæ & Castellæ Regem, qui Granata Urbe potitus, deleverat vetustissimum Maurorum imperium in Hispania. (2) Idemque permisisse Norvegiis sine vi-

Rayn. an. 1484 §. 40. 43. 60. 81. Spond. §. 5. 6.

Rayn. an. 1486 §. 42. 58. Spond. §. 1.

(1) Raynaldus ad an. 1486. §. 58.

(2) *Post annos, quam eo venerant*, 780. Petavius Rationarii Temporum part 1. lib. 9. cap. 9.

Spondanus ad an. 1492. §. 2. Ferdinando & Isabellæ *Regibus post Granatæ expugnationem titulum* Catholici *ab Innocentio tributum fuisse, sunt qui asserant. Quod ut esset etiam consequentibus Hispaniæ Regibus proprium hereditariumque, Alexandrum* VI. *Innocentii successorem, hominem Hispanum, concessisse, alii tradunt; aliique Ferdinandum a Julio* II. *id* eni-

vino sacrum facere, falso traditur. (3) Hujus tempore inventus Romæ in Basilica S. Crucis, dum reficeretur, Crucis Christi Domini Titulus. Præterea partem Lanceæ, qua confossum Christi latus, dono dedit Innocentio Orator *Bajazethis* Turcarum Imperatoris, spongiam item & cannam passione Salvatoris consecratas. (4) Mortuus est anno. 1492. VIII. Kal. Augusti. Vixit annos sexaginta, regnavit *septem*, *cum mensibus decem*, *diebus se-*

Rayn. an. 1492. §. 14. 15. 19. 22. Spond. §. 19.

enixis precibus impetrasse. Olim illud Reccaredo Regi, ob reductam secum gentem suam Gothicam ab Arianismo ad fidem Catholicam, in Episcoporum Concilio a Patribus acclamatum fuisse, constat; & centum ferme quinquaginta post annis ab Alphonso ejus nominis Primo pro cognomine usurpatum jam alias vidimus.

(3) A Raphaele Volaterrano lib. 7. Geographiæ pag. 80. *Norvegiæ Innocentii* VIII. *Pontificis concessione permissum sine vino calicem sacrificare, quod ob immensa frigora vinum in ea regione importatum acescat.* Cardinalis Lambertinus De Serv. Dei Beatif. & Beat. Canoniz. lib. 2. cap. 31. num. 2. *Id tamen tamquam fabulosum ab aliis rejicitur, cum in Norvegia vinum facile conservetur, & sit usu receptum, ut animadvertunt Cardinalis de Lugo* De Sacramento Eucharistiæ disput. 19. sect. 8. *Natalis Alexander* in Theologia Dogmatica & Morali lib. 2. De Sacramento Eucharistiæ art. 3. in Consectariis praxim spectantibus regul 3. *& Migliorruccius* Instit. Canonic. lib. 2. tit. 6. in Explicationibus n. 44.

Præterea ut animadvertit memoratus Natalis Alexander in Hist. Eccl. sæc. XV. & XVI. cap. 1. art. 10. *nullum* Innocentii VIII. *ea de re decretum exstat, nec ulla apud alios auctores memoria*. Illud fortasse simile veri sit, quod Gonetus in Clypeo Theologiæ Thomist. tom. 5. disputat. 3. De Eucharist. art. 6. §. 2. n. 91. scribit *ex Bzovio ad annum* 1490. *circa illud tempus nonnullos Sacerdotes, qui postea combusti sunt propter falsificata diplomata Pontificia, potuisse in illis partibus falsam aliquam dispensationem publicare*. Vide Dianam Coordinatum tom. 3. tract. 1. Resol. 47. & annotat. 4. ad Alexandrum VI.

(4) Vide Historiam nostram Familiæ Sacræ *De Christo Domino* cap. 15.

septem & viginti, novi Orbis, ut habet ejus elogium, *suo avo inventi gloria*. (5)

CCXVI.

ALEXANDER VI.

ANNO CHRISTI 1492.

FEDERICI III. IMPERATORIS 53.

ALEXANDER VI. Hispanus Valentiæ natus, *Callisti* III. ex sorore nepos, *Rodericus* *Lenzolius* antea dictus, III. Idus Augusti anno 1492. ad summum Sacerdotium deligitur. (1) Eo initio, constitutis, qui carceribus detentos quotidie inviserent, & *audirent querelas in Urbe*, sicariorum licentiam coercuit, statisque diebus per se unicuique jus reddens effecit, ut eum summi severum Pontificem crederent, infimi satis comem. Certior factus a Ferdinando V. *Catholico* de novi Orbis inventione, ei enixe petenti adjudicavit insulas detectas ac regiones omnes in posterum de- te-

Rayn. an. 1492. §. 24. 26. 29. Spond. §. 21.

Rayn. an. 1493. §. 18. 22. Spond. §. 8. 10.

(5) A Christophoro Columbo Genuensi anno 1492. & *Americæ* nomine appellati ab Americo Vespucio Florentino, qui sub auspiciis Emmanuelis Regis Lusitanorum anno 1497. profectus a Gadibus, primus ex Europæis in ejus continentem ingressus est.

(1) Joannes Mariana De rebus Hispaniæ lib. 26. cap. 2. *Natus est in Hispaniæ Urbe Valentia: pater Gothifredus Lenzolius, mater Isabella Borgia.*

Spondanus ad an. 1492. §. 21. *Fuit is Rodericus e Lenzolia familia Valentiæ in Hispania nobili & clara ortus, patre Iofredo, sive Gothofredo, matre Isabella Callisti Papæ* III. *sorore: cujus cognomen* Borgiæ, *quo una cum gentilitiis insignibus ab avunculo donatus fuerat, avito relicto, usque ad obitum retinuit. Sic enim plerique: cum nihilominus ex Surita intelligi videatur, hunc Iofredum non fuisse e familia Lenzolia, sed Borgia æque ac conjugem Isabellam.*

tegendas, initio facto a Circulo *Meridiano*, qui centum leucarum intervallo ab Azoribus & Hesperidum insulis in Occasum & Meridiem distaret. Hinc ortum dissidium inter eumdem Ferdinandum V. & Joannem Regem Lusitanorum, quod hic contenderet, ignoti Orbis pervestigationem universam pertinere ad se concessione Romanorum Pontificum, ac nominatim Eugenii IV. ille vero caussam suam tueretur concessione Alexandri. Itaque Pontifex, ne quando lis ad arma deduceretur, ducto a Septemtrionibus ad Australem Polum circulo, qui a praecedenti declinaret, atque ultra Hesperidum insulas ad tercentesimam septuagesimam leucam pertingeret, totum terrarum Orbem ex aequo bifariam secuit. Quae pars ad Orientem solem erat, hanc Joannes, facta sibi ob juris antiquitatem optione, desumsit, quae ad Occidentem, Ferdinando relicta est. Post haec Ferdi- Spond. an. 1495. S. 2. nando II. Regi Neapolitano permisit, ut matrimonium contraheret cum sorore Patris sui, aliis admirantibus quid ita fieri licuerit, aliis per ignorantiam licere potuisse negantibus. (2) Idem anno Rayn. an. 1500. S. 4. Spond. S. 1. Rayn. an. 1501. S. 36. 1500. *Jubilaeum* celebravit, instauravitque morem a Callisto III. inductum, ut meridie Campanae pulsarentur, quarum sonitu excitati Fideles per Dominicam precationem, & salutationem Angelicam propitiarent Divinum Numen pugnantibus adversus Turcas. (3) Idemque inhibuit Librariis anathema, si quid typis mandarent haud impetrata ab Episcopis licentia, qui eam non largirentur, nisi ante perpensum & exploratum haberent, nihil in Operi-

(2) Vetitum id quidem *Levitici* lege cap XVIII. 12. Sed ea lex judicialis erat, non naturalis: alioquin prohibitum fuisset etiam matrimonium Patrui seu Avunculi cum nepte, cum inter se conjungantur cognationis gradu eodem, ac nepos cum Amita, quod tamen in *Levitico* non prohibetur.

(3) Vide annotat. 2. ad Callistum III.

ribus edendis *Orthodoxæ fidei contrarium, impium, & scandalosum* contineri. (4) Tres & quadraginta Cardinales creavit, & in his duodeviginti Hispanos. De ejus interitu duplex memoria prodita est. Quidam opinantur mortuum hausto per ministri imprudentiam veneno, quod Cæsar Borgia nothus ejus in alios comparaverat; multi ajunt defecisse jactatum febri ad septimum diem. Defecit autem XV. Kal. Septembr. anno 1503. ætatis circiter altero & septuagesimo, Pontificatus *undecimo, & die octavo*. (5) Rayn. an. 1503. §. 10 11. Spond. §. 5.

(4) Exstat Alexandri VI. decretum apud Raynaldum ad an. 1501. §. 36.

(5) Natalis Alexander lib. 2. Theol. Dogmat. & Moral. de Sacr. Euch. art. 3. prop. 4. regula 3. *Æque incertum est, quod ex vagis rumoribus refert* Bartholomæus Fumus *in Summa*, Alexandrum VI. voluisse dispensare, quibusdam petentibus, ut sine vino conficeretur Eucharistia in locis, ubi non potest vinum haberi; & fuisse declaratum quod non poterat: quia in iis, quæ sunt essentialia Sacramentis, Summus Pontifex dispensare non potest. Utriusque autem speciei, scilicet panis & vini consecratio est essentialis Eucharistiæ. *Unde* nec propter defectum alterius est unum tantum sine altero consecrandum, quia non esset perfectum Sacramentum, *inquit* S. Thomas *3. p. quæst. 74. art. 1. ad 2. quidquid in contrarium scripserint* Gabriel Biel *Lect.* 84. *in Canonem Missæ*, *&* Joannes Major *in 4. Sentent. Dist. 13. quæst. 3. necessarium non esse jure Divino, sed Ecclesiastico tantum, ut species utraque pariter consecretur. Quod quidem inaniter probant ex Cap.* Comperimus *Dist.* 2. De Consecratione, *cum* Gelasius I. *de Sacerdotibus ibi dicat*: Aut integra Sacramenta percipiant, aut ab integris arceantur: quia divisio unius ejusdemque Mysterii sine grandi sacrilegio non potest provenire.

CCXVII.

P I U S III.

ANNO CHRISTI 1503.

MAXIMILIANI REGIS 10.

Rayn. an. 1503. §. 13. 14. 18. Spond. §. 7.

PONTIFEX in locum Alexandri VI. anno 1503. X. Kal. Octobr. lectus est *Franciscus Tudeschinus Piccolomineus* Cardinalis Senensis. Avunculum habuit Pium II. Ejus propterea nomine appellari voluit, ejusque insignia usurpavit. (1) Vir erat doctrina admirabili, & prudentia singulari. *Ecclesiam Romanam reformare, Concilium celebrare, ac in Turcas proficisci avunculi imitatione statuerat.* (2) Sed aliter statutum Superis. A *sexta* enim *& vicesima* Pontificatus luce, XV. Kal. Novembr. interiit vitiatæ tibiæ doloribus, anno ætatis quarto & sexagesimo.

CCXVIII.

(1) *Ab avunculo, cujus cura a teneris annis omnibus disciplinis & juri in primis operam dederat, gentilitiis insignibus & Piccolomineorum familiæ nomine donatus*. Panvinius in ejus vita pag. 278.

(2) Raphael Volaterranus extremo libro 22. Anthropologiæ.

CCXVIII.

JULIUS II.

ANNO CHRISTI 1503.

MAXIMILIANI REGIS 10.

KALENDIS Novembr. anno 1503. Pio III. successor datur *Julianus Roboreus* Ligur, Savonensis, clarus & virtute sua, & memoria *Sixti* IV. patrui: & quidem *tanto omnium consensu, ut conclavi nondum obserato summus Pontifex renuntiatus sit*. (1) Julius II. appellatus est. Hic Henricum VIII. Regem Britanniæ legibus solvit, ut matrimonio sibi conjungeret Catharinam Ferdinandi & Elisabethæ Regum Hispaniæ filiam, viduam Arthuri fratris sui, qui nullos ex ea liberos susceperat: imo ob ætatis imbecillitatem, ac lentum, quo conficiebatur, morbum nullam ferebatur habuisse notitiam ejus. (2) Edita constitutione irritam esse jus-

Rayn. an. 1503. §. 10. 22. Spond. § 8.

(1) Raynaldus ad an. 1503. §. 10.

Ciaconius in ejus vita: *Primus omnium Pontificum contra majorum consuetudinem barbam prolixam aluit, ut majorem intuentibus reverentiam incuteret; idque reliqui post eum Romani Pontifices probasse usu videntur.*

(2) Nec id permisit Pontifex injuria, quod postea dixerunt aliqui, ut morem gererent Regi, qui Annæ Bolenæ amore deperibat. Lex enim illa *Levitici* XVIII. 16. quæ vetat fratrem *turpitudinem uxoris fratris sui revelare*, aut intelligenda est de uxore fratris adhuc superstitis, aut derogatum ei est per aliam legem *Deuteronomii* cap. XXV. 5. qua jubetur *frater suscitare semen fratris sui absque liberis mortui*. Ut ut est, præceptum illud numeratur inter præcepta judicialia, quibus Judaicus tantum populus obligabatur, non inter Legis naturæ præcepta immutabilia: alioquin Judas Patriarcha (*Gen.* XXXVIII. 8.) non præcepisset Onæ filio suo, ut uxorem sibi adjungeret Thamarim viduam

Spond. an. 1505. §. 1. Rayn. an. 1506. §. 1. 19 23. 30. 45. Spond. §. 3. 7.

sit lectionem Pontificis *simoniacam*, ac hujusmodi criminis reos Cardinales ab dignitate summovit & Sacerdotiis, facta reliquis hac labe puris licentia eligendi novum Pontificem, Concilium generale convocandi, rogandique opem Principum *laicorum* contra Pontificem *Simoniacum*. Vaticanam S. Petri Basilicam a Magno Constantino olim ædificatam, vetustate collabentem instaurandam suscepit. Concepit animo eam amplitudinem Templi, quæ digna Apostolorum Principe, quæ Romano Pontifice, quæ ipsius etiam loci majestate esset. Quarto decimo Kal. Maji anno 1506. structuram designante Architecto præstantissimo Lazaro Bramante, jacta sunt fundamenta Ædis magnificentissimæ, cui perficiendæ cum sumtus ingentes requirerentur, Julius, ejusque successores non pecunia solum ad id publica sunt usi, sed etiam *Indulgentias* Christianis largiti, quorum stipe inchoata moles absolveretur. (3) Roma VII. Kal. Septembr. Eucharistia præeunte

ex obitu fratris sui natu majoris. Itaque Henricus VIII. ipse matrimonium ab se initum cum Catharina pro vero ac legitimo habuit per annos viginti, nec ante suspicari cœpit, esse incestuosum, quam ei hujusmodi suspicionem injecit effrænata libido complectendi impudicissimam feminam Annam Bolenam. Nihilominus propediem moriturus rursus approbavit, tamquam legitimum, matrimonium contractum cum Catharina. Siquidem heredem Regni post Eduardum testamento instituit Mariam ex ea susceptam.

Eodem modo postea Clemens XI. concessit Francisco Farnesio Parmensium Duci, ut fratris sui Eduardi viduam Dorotheam Sophiam Principem Neuburgensem duceret in matrimonium.

(3) Hinc cœpit Lutherus oblatrare *Indulgentias* tamquam quæstuosas. Sed immerito. Nam pecunia ad percipiendum fructum *Indulgentiarum* erogata pertinere ad quæstum non poterat, quod erogaretur in usum ædificandæ domus Dei, Ecclesiæ Vaticanæ. Idque præcipiebatur tamquam conditio, & onus ad impetrandam liberationem pœnæ *Canonicæ* debitæ peccatis, juxta illud Danielis cap. IV. 24. ad Nabuchodonosorem: *Peccata tua eleemosynis redime*.

Si

te profectus, metu magis, quam vi Balliones Perusia, Bentivolos Bononia expulit. In Urbem reversus anno insequente V. Kal. April. Dominica Palmarum exceptus est pompa triumphali. Idem *Julius*, *Maximilianus Imperator*, *Ludovicus Galliæ*, *Ferdinandus Hispaniæ Reges* (anno 1508.) *fœdere Cameraci inito*, *socia arma sumsere*, *ut Imperio Venetis ademto illorum nomen delerent ac penitus exscinderent*. (4) In acerrimum bellum Venetis undique illatum Pontifex non solum armis, sed sacris etiam detestationibus incubuit. Ast *ubi a Republica omnibus suis postulatis satis esse factum cognovit*, *magna populi Romani frequentia interdictum abrogavit*, (5) icitque cum ea fœdus adversus Gallos, quod patrocinium suscepissent Alphonsi Atestini Ferrariensium Principis, qui salinas Comaclenses Ecclesiæ restituere abnuebat. Exacerbatus ad hæc Ludovicus XII. egit cum Maximiliano de convocatione Concilii Julio in ordinem redigendo. Conventiculum illud Pisanum dictum, quod Pisis anno 1511. a quibusdam Schismaticis Cardinalibus eidem Ludovico addictis coactum est, Mediolanum deinde translatum, ac

Rayn. an. 1507. §. 2.

Rayn. an. 1506. §. 4. 10. 21. Spond. §. 1.

Spond. an. 1508. §. 2.

Rayn. an. 1510. §. 1. 7. 16. Spond. §. 1. 3. 8.

Rayn. an. 1511. §. 1. 5. 8. 13. 42. Spond. §. 8. 11. 19. 22.

Si quid autem peccatum est vel malitia eorum, qui *Indulgentiam* promulgabant, vel eorum, qui subsidium seu pecuniam exigebant, id ministris, non Pontificibus, vitio vertendum. Nec vero morem hunc Julius II. & Leo X. primi induxerunt: alii ante eos Romani Pontifices *Indulgentias* hujusmodi largiti sunt, Nicolaus V. ad ædificandam Ecclesiam S. Petri Urbis Xantonensis in Gallia, Sixtus IV. aliique tum ad hæreticos exterminandos, tum ad impetus Turcarum propulsandos, referente Raynaldo ad an. 1451. §. 9. & ad an. 1476. §. 6. Nulla tamen fuit de harum Indulgentiarum concessione querela. *Lutherus* omnium primus nodum quæsivit in scirpo, & ex re sanctissima occasionem obtrectandi, homo ad id natura comparatus, arripuit.

(4) Andreas Maurocenus initio ipso libri primi Historiarum Venetarum.

(5) Petrus Bembus lib. 10. Historiæ Rerum Venetarum pag. 260.

postremo Lugdunum, ubi fœdum exitum habuit. Istud Conciliabulum ut tolleret Julius, Concilium Lateranense V. Oecum. XVII. indixit, inchoavitque; ejus tamen absolvendi gloriam successori reliquit morte præreptus. (6) Mortuus autem est IX. Kal.

Rayn. an. 1512. §. 35. 42. Spond. §. 8.

(6) Concilium anno 1512. inchoatum, anno 1517. *sessionibus* duodecim absolutum est. Interfuerunt Episcopi *sessioni* quidem primæ quatuor & nonaginta, in quibus Cardinales quindecim, & Patriarchæ Alexandrinus & Antiochenus. Crevit postea Episcoporum & Cardinalium numerus, ut centum & quatuordecim Episcopi Concilio huic interfuisse dicantur, præter Doctores, & Cœnobiarchas. Adfuere etiam Oratores omnium fere Principum Christianorum, ipsius Ludovici XII. Regis Gallorum, qui Cæsaris exemplum secutus, Pisano Conventiculo favere jam desierat. Præfuit Julius II. usque ad *sessionem* quartam, qua finita cum in morbum incidisset, quintæ præfuit Raphael Riarius Cardinalis, Episcopus Ostiensis, ac septem reliquis Leo X. in locum Julii demortui suffectus. Est autem hæc summa Concilii. Acta Pisani Conventiculi rescissa. Pœnæ Cardinalibus Schismaticis, ceterisque ejusdem conventus auctoribus inflictæ. Simoniaca Pontificis electio irrita declarata. Damnati qui assererent, intelligentem animam esse mortalem, aut unicam in omnibus hominibus. Decreti Legati ad Principes, qui eos reducerent in concordiam. Statutum, quemadmodum est apud Labbeum tom. 14. Conc. pag. 222. ut Cardinalium *domus*, *familia*, *mensa*, *supellexque* ejusmodi sint, ut *modestiæ & frugalitatis speculum dici mereantur*. Cautum pariter, *ne partialitatem suscipiant aliquam, neque Principum, aut communitatum, vel quorumcumque aliorum contra quemquam, nisi quantum justitia & æquitas postulat, eorumque dignitas & conditio requirit, promotores aut defensores fiant*. Pœnæ constitutæ in Clericos & Laicos blasphemiæ & nefarii criminis reos. *Montes Pietatis* approbati confirmatique, confixis anathemate, qui illorum usum damnare, deque *usura* vitio insimulare auderent. Latæ leges a concionatoribus sacris servandæ, castigataque eorum vitia. *Pragmatica Sanctio* abrogata, & in locum ejus substitutum *Concordatum Gallicum* initum Bononiæ inter Leonem X. & Franciscum I. In constitutione Leonis, qua Concilio approbante damnatur *Pragmatica Sanctio*, apud Labbeum loc. cit. pag. 311. legitur, *solum Ro-*

Conc. Oecum. XVII.

Kal. Martii anno 1513. annum ætatis agens septuagesimum, Pontificatus *nonum, mensem tertium, diem primum & vicesimum*. (7) Rayn. an. 1513. §. 9. Spond. §. 2.

Romanum Pontificem pro tempore exsistentem, tamquam auctoritatem super omnia Concilia habentem, Conciliorum indicendorum, transferendorum, ac dissolvendorum plenum jus & potestatem habere.

Porro *Sanctio Pragmatica*, seu *Carolina* nihil est aliud, quam celebris illa constitutio in Concilio Bituricensi sub Carolo VII. Gallorum Rege anno 1438. ex decretis fere Pseudosynodi Basileensis conflata, inque tres & viginti *Titulos* divisa. Præponit auctoritatem Concilii auctoritati Pontificis. Electiones Episcoporum, quas sibi Pontifices reservarant, Canonicorum Collegiis restituit. *Expectativis præterea gratiis*, ut ait Gaguinus lib. 10. de Gestis Regum Francorum pag. 226. *locum esse non sinit. Beneficia vivo eorum rectore nemini reservari* permittit, aliaque statuit injuriosa in Sedem Apostolicam. Itaque Romani Pontifices *regiam constitutionem*, ut ait idem Gaguinus pag. 228. *non secus ac perniciosam hæresim exsecrati*, egerunt cum Regibus Galliæ, ut abrogaretur, certatumque super ea re per annos amplius septuaginta. Anno demum 1516. per *Concordatum* inter Leonem X. & Franciscum I. quod modo nominavi, controversia sedata est, iterumque Electiones Collegiis Canonicorum abrogatæ, nominatione Episcoporum delata Regi, confirmatione Pontifici. *Pragmaticæ* statuta cetera partim abolita, partim omissa, partim correcta, partim approbata, ut est apud Petrum de Marca lib. 6. De Concordia cap. 9. §. 13. & Dupinum in Nova Bibliotheca Auctor. Ecclesiasticor. tom. 13. cap. 1. §. 8. pag. 22.

(7) Labem, quam hujus Pontificatui imponunt aliqui propter bella, quæ magno animi ardore suscepit, ursitque præsentia sua, absterget Bellarminus De potestate sum. Pont. in rebus temporalibus adversus Barclajum cap. 11. *Admonitos Lectores esse volo, Romanos Pontifices, qui simul etiam Principes sunt temporales non contemnendi Imperii, non minus ex officio obligari ad ea conservanda, quæ Sedis Apostolicæ sive Ecclesiæ Romanæ sunt, quam Principes ceteros. Quare quemadmodum Reges & Principes supremi ceteri pro defensione Regnorum suorum sive ditionum aliarum bella gerere possunt & debent, & si ad ea defendenda confœderatione cum aliis Principibus opus habent, jure possunt cum sociis Principibus fœdus inire, & conjunctis viribus hostem propulsare, quando justam belli*

li

li gerendi caussam habent : sic etiam Romani Pontifices , qua Principes supremi sunt, omni jure possunt & debent populos sibi creditos armis protegere, & si res ita postulet, adversus hostes bella gerere, nec non ad auxilium , vel belli societatem Principes alios evocare.

Neque primus fuit Julius II. *qui pro recuperandis Ecclesiæ Romanæ provinciis bella gessit, vel cum magnis Principibus fœdus percussit . Nam Pius* II. *multo antea exercitum armatum habuit, & bella cum hostibus cum laude gessit, ut Nauclerus & Platina referunt , & ante Pii* II. *tempora Innocentius* VI. *vir prudentia & vitæ innocentia clarus, per Legatum suum Albernotium Cardinalem Ecclesiasticam ditionem a tyrannis diversis occupatam felicissime armis recuperavit, ut scribunt iidem Nauclerus & Platina, multique alii Historici. Clemens* IV. *qui Innocentium* VI. *multis annis præcessit, & Pontifex sanctus est habitus, Carolum Andegavensem Ducem , S. Ludovici Regis Francorum fratrem e Galliis evocavit , ut Manfredum tyrannum e Regno Neapolitano, quod est Ecclesiæ Romanæ feudum , armis expelleret, ipsumque Carolum Regem instituit , imposita quadraginta millia nummorum aureorum pensione quotannis solvenda in recognitionem feudi: testes sunt auctores iidem , & alii , quos ipsi citant.*

Sed ante hæc tempora Leo IX. *Pontifex non solum vitæ probitate, sed etiam divinis miraculis clarus , atque adeo in Sanctorum numerum relatus, adversus Normannos pro Beneventana Civitate recuperanda præsens ipse in exercitu armis decertavit, ut Hermannus Contractus in Chronico, & Leo Ostiensis in Histor. Casinensi lib.* 2. *cap.* 88. *testes sunt. Ubi illud memorabile accidit, quod cum Pontifex a Normannis victus & captus fuisset, ea submissione & reverentia victores erga victum usi sunt , ut Pontifex victus & captus victoribus imperare ac dominari videretur.*

Porro Leo IV. *Pontifex plus ducentis annis Leone* IX. *antiquior, vir sanctissimus & miraculis clarus , teste Anastasio in ejus vita , exercitum duxit adversus Saracenos , qui ad Ostia Tiberina cum ingenti classe appulsi , Romanam* Urbem *capere & spoliare cupiebant: & Oratione præmissa ad Deum, & exercitu Apostolica benedictione munito, memorabilem victoriam reportavit. Omitto confœderationem Zachariæ , Stephani* II. *Hadriani, Leonis* III. *aliorumque Pontificum cum Regibus Francorum pro recuperatione , & defensione provinciarum & civitatum, quæ ad Romanam Ecclesiam pertinebant, adversus Langobardos & Græcos. Omitto etiam fortissimos Machabæos , qui & summi Sacerdotes & Principes erant , & pro patriæ defensione gravissima bella gesserunt. Omitto denique Mosem Pontificem &*

Prin-

CCXIX.

LEO X.

ANNO CHRISTI 1513.

MAXIMILIANI ROMANORUM REGIS 20.

LEONEM X. Florentinum gentis *Medicea*, cui *Joanni* antea nomen, annum ætatis agentem septimum a tricesimo, juniores præsertim Cardinales V. Idus Martii, anno 1513. in Pontificatu collocarunt. *Isque priusquam e Conclavi exiret*, Petrum Bembum, *&* *Jacobum Sadoletum*, *qui Romæ tunc erant*, *sibi ab epistolis adscivit*. (1) Pontificatu inito absolvendum curavit Concilium Lateranense inchoatum a decessore suo, duosque Cardinales ab eodem ob Pisanum Conventiculum & dignitate & Sacerdotiis summotos restituit in gradum pristinum. Boemos querentes, quod Sedes Apostolica non maneret in pactionibus cum Hussitis Basileæ conventis, invitavit ad Concilium, deditque Cardinali Strigoniensi negotium, ut illos, sublatis Hussiticæ hæreseos reliquiis, conciliaret cum Romana Ecclesia. Eodem animi ardore Legatos misit ad Moscos, & Maronitas, ut illos quidem ab Græcorum

Rayn. an. 1513. § 14. 15. 18 44. 68. Spond. §. 3. 4. 10.

Rayn. an. 1514. §. 65. 87. 102. 110

Principem sapientissimum, qui adversus Amorrhæos aliosque populi sui perturbatores armis decertare non dubitavit.

Hos igitur clarissimos sacrosque viros Julius II. *imitatus, eorumque virtutem & diligentiam æmulatus, partim armis propriis, partim auxilio fœderatorum Regum Ecclesiasticam ditionem fere totam amissam magno labore recuperavit. Quod factum qui reprehendere voluerit, oportebit etiam, ut industriam & virtutem sanctorum Pontificum, addo etiam Machabæorum, & ipsius Mosis virtutem bellicam reprehendat.*

(1) Petrus Bembus extremo libro 12. Historiæ Rerum Venetarum pag. 337.

rum schismate abduceret, hos vero hortaretur ad abrogandos ritus pravos, qui apud ipsos inoleverant in rebus sacris. Abyssinis quoque errores eripere studuit. Christianis novi Orbis Episcopos dedit. Idem edixit, eos, qui Sacrificio Missæ interessent in Ecclesiis *Ordinum Mendicantium*, satisfacere præcepto de Missa audienda diebus festis. (2) B. Franciscum de Paula collocavit in concilio Sanctorum. Permisit Carolo V. Regi *Catholico*, quem Electores creaverant Regem Romanorum, ut simul cum Imperio Regnum Neapolitanum retineret, quod Pontificia vetabatur lege. Super hæc Martinum Lutherum, erroresque ejus damnavit, jussitque libros ea peste contaminatos comburi. (3) Henricum vero VIII. Angliæ Regem, quod luculentum opus contra ejusdem Lutheri insaniam edidisset, eximio *Defensoris Fidei* titulo decoravit. (4) Ne-

Rayn. an. 1517. §. 113. 1519. §. 76. Spond. §. 2.

Rayn. an. 1520. §. 53. 56. Spond. §. 5.

Rayn. an. 1521. §. 54. 74. 108. 111. Spond. §. 5. 20.

(2) Constitutione 25. §. 2. tom. 1. Bullarii pag. 597.

(3) Lutherus anno 1483. Islebii Urbis Comitum Mansfeldiensium, in Turingia, seu, ut aliis placet, in Saxonia superiore infimo loco natus est. Fulminis ictu, quo tantum non absumtus est, perterritus annum agens secundum & vicesimum nomen dedit Ordini Eremitarum S. Augustini. Anno 1517. *Indulgentias* cœpit oppugnare, suosque errores docere. Anno 1525. cucullo abjecto, nuptias celebravit cum Catharina Virgine Deo sacra, tresque ex ea liberos suscepit. Anno 1546. XIII. Kal. Martii miseram animam efflavit, cum vespere bene potus cubitum isset, neque crapulam edormire potuisset.

Ejus errores præcipui, hominem justificari fide sola: liberum arbitrium periisse per peccatum: Pontificem esse Antichristum: in Eucharistia remanere substantiam panis cum Corpore Christi: *Indulgentias* nihil prodesse: non esse Purgatorium: per Sacramenta non dari gratiam: peccata, dum remittuntur, non deleri, sed non imputari: & hujusmodi, quorum capita aliqua, unum videlicet & quadraginta recenset ac damnat Leo X. Constitutione *Exsurge Domine* 40. tom. 1. Bullarii, & apud Raynaldum ad an. 1520. § 53.

(4) Henricus VIII. librum edidit *De septem Sacramentis*, pie-

Neque minus domi, quam foris enituit Leonis virtus. Instaurata Romæ Academia, fovit studia bonarum artium. In Vaticanæ Basilicæ constructionem incubuit enixe. Lavacrum Constantini Lateranense restituit, ac publica ædificia alia refecit, ornavitque sumtu magno. Periit morte inopina non sine suspicione veneni, anno 1521. Kal. Decembr. cum paullo ante ingenti lætitia affectus esset, Parma ac Placentia receptis, Mediolanoque Gallis erepto, & Francisco Sfortiæ, uti convenerat, a Carolo V. Rege attributo. Confecit in Pontificatu *annos ac menses octo, diesque viginti.*

CCXX.

pietatis juxta, atque eruditionis refertum, opposuitque Lutheri libro *De captivitate Babylonica*, & per Oratorem suum Romæ degentem Leoni X. obtulit hoc disticho

Anglorum Rex Henricus, Leo decime, mittit
Hoc opus, & fidei testem & amicitiæ.

Cum autem conspiceret Leo, ut ait Ciaconius in ejus vita, *a Luthero primum damnatas esse Indulgentias, concessit legentibus librum Henrici Regis decem annorum & decem quadragenarum Indulgentiam.*

Idem Ciaconius in vita Joannis Card. Fischerii in Paulo III. tom. 3. pag. 576. *Omitto hic recensere volumen* De septem Sacramentis contra Lutherum *scriptum, quod sub Regis nomine prodiit: incertumque est, cujusnam sit, Roffensis ne, an Regis ipsius Henrici, cum multi Roffensem ejus operis si non auctorem, certe adjutorem fuisse autument.*

CCXX.

HADRIANUS VI.

ANNO CHRISTI 1522.

CAROLI V. ROMANORUM REGIS 4.

Rayn. an. 1522. §. 1. 4. 8. 11. 17. 65. 75. 100. Spond. §. 1. 2. 13.

HADRIANUS VI. Batavus Trajecti tenui loco natus, cum & vitæ sanctimonia & doctrina unus omnium maxime floreret, summo consensu, absens licet & in Hispania degens, Cardinalium plerisque ne de facie quidem notus, anno 1522. V. Idus Januar. in Pontificale fastigium provectus est. (1) Romam pervenit III. Kal. Septembr. maritimo itinere, coronatus die Dominico pridie Kal.

(1) Spondanus ad an. 1522. §. 2. *Alterius nationis, quam Batavæ fuisse Hadrianum, nemini umquam in mentem venit; quousque Matthias Bellintanus Capuccinus Salodiensis diœcesis Brixiensis in Italia, anno 1586. brevi edita historia*, ut est apud Victorellum in Addit. ad Ciaconium, *persuadere voluit, Hadrianum natum esse in pago Renzano Salodiensis agri patre Joanne Bono, atque in baptismo Ludovicum dictum, cum in Belgium adolescentulus commigrasset, in Hadrianum commutasse: ac propterea factum Pontificem noluisse amplius nomen mutare, quod id jam semel præstitisset. Addit alia plura ejusdem acuminis de patre, familia, insignibus, & educatione: quæ omnia* commentitia *esse puto. Sane si id fuisset, poterat Hadrianus uno verbo iis satisfacere, qui querebantur, Pontificatum ad Ultramontanos esse delatum. An vero honorificentius ei fuit Batavum esse, quam Italum? aut illum dicemus patriam, & nomen, & familiam ementiri voluisse, ut mundo illuderet? Apage commentum.*

Ludovicus Vincentius Gotti Tom. 1. *Veræ Ecclesiæ* cap. 11. §. 1. num. 6. adversarium objicientem sibi, quod Hadrianus VI. in 4. Sent. *De Confirmatione* sub finem scripserit: *Plures Romani Pontifices fuerunt hæretici*, ita refellit, eam opinionem habuisse Hadrianum, antequam Pontifex fie-

Kal. mensis ejusdem, haud magna populi frequentia ob pestilentiam, quæ Urbem vexabat. Retento priore nomine *Hadrianum* VI. se appellari voluit. Hic Carolum V. cujus fuerat præceptor, & Franciscum I. Galliæ Regem reducere in concordiam studuit. Ludovico Hungarorum Regi suppetias tulit adversus Turcas. Vetuit reos excipi Cardinalium ædibus. Lutheranæ hæresi extinguendæ operam dedit, misso eam ob rem Francisco *Cheregato* Vicentino Fabriani Episcopo cum mandatis ad conventum Norimbergensem: datisque ad Fedéricum Saxoniæ Ducem litteris suasit, ut avitæ pietatis memor Martinum Lutherum desereret; & ad Fidem Orthodoxam rediret. Idem Sacerdotes ex familia S. Francisci legavit in Novum Orbem, qui rudes & barbaras gentes sacrosanctis mysteriis imbuerent. Antoninum Antistitem Florentinorum, ac Bennonem Misnensium Episcopum aggregavit in Sanctorum numerum. Sigismundnm Malatestam Arimino expulit. Franciscum Cardinalem Soderinum convictum proditionis inclusit in custodiam arcis Hadrianæ. Quam vero in Sacerdotiis & Ecclesiasticis dignitatibus conferendis cautus fuerit ac religiosus, ostendit illa sæpissime ab eo usurpata vox: *Ecclesias Sacerdotibus, non Sacerdotes Ecclesiis se ornare velle*. Suis minime deditus, cum Romam spe celsioris fortunæ venissent, modico viatico donatos remisit in Patriam. Nepotem etiam castigavit acerbissime, quod cum accepisset *Sacerdotium annui census septuaginta Ducalium aureorum*, paullo post aliud, ex quo centena redibant, petere ausus esset. Tan-

Rayn. an. 1523. S. 95. 108. 109. 112. 114.
Spond. S 4. 7. 20. 21.

fieret, cum esset Theologus Lovaniensis: quod si ejus Opera, verbis illis haud explosis, rursus impressa typis sunt eodem gerente Pontificatum, non inde sequi, ut opinionem illam ratam habuerit factus Pontifex. Quoties enim Opus aliquod novis typis excuditur auctore insciente? Vide Bellarminum De Rom. Pont. lib. 4. cap. 2. & Canum lib. 6. cap. 1.

Tandem urgentibus assidue aulicorum obtestationibus, Sacerdotium in eum contulit, ita tamen, ut priore se abdicaret. Jus legendi ac nominandi Episcopos a Leone X. Gallorum Regibus datum etiam ad Hispaniarum Reges extendit. (2) Hujus tempore ab Suleimanno capta Rhodus. (3) Decessit XVIII. Kal. Octobr. anno 1523. cum *annum unum, menses octo, ac dies sex* Ecclesiam administrasset. *Conditus est temporario monumento in æde* D. Petri *juxta Pios Piccolominea familia Pontifices cum hoc titulo*: Hadrianus VI. hic situs est, qui nihil sibi infelicius in vita duxit, quam quod imperaret. (4)

CCXXI.

(2) Joannes Mariana De rebus Hispaniæ lib. 26. cap. 5. *Hadrianus VI. in gratiam Caroli alumni, cui debebat Pontificatum, ei & successoribus concessit lege perpetua jus præsentandi Episcopos Hispaniæ, qui ante ad eorum supplicationem precario a Pontificibus Romanis instituebantur.*

Covarruvias in Regul. *Possessor malæ fidei* part. 2. §. 10. num. 5. tom. 2. pag. 405. dicit, jus præsentandi Episcopos pertinere ad Reges Hispaniæ non solum ex vi privilegii, sed etiam Jurispatronatus: *siquidem Hispaniarum Reges Patronatus jus obtinent in Ecclesiis Cathedralibus, cum eas erexerint, construxerint, & amplis patrimoniis dotaverint.*

(3) Insula in Carpathio mari subjecta Equitibus Hierosolymitanis seu Hospitalariis Xenodochii S. Joannis Baptistæ apud Hierosolymam, qui una cum Christianis anno 1291. Palæstina ejecti, eam anno 1310. Turcis eripuerant. Inde anno 1522. a Suleimanno pulsis Carolus V. anno 1530. Melitam concessit, a qua Equites *Melitenses* nunc appellantur. Mira est hujus Ordinis virtus adversus Turcas, & piratas.

(4) Jovius in vita Hadriani VI. pag. 149.

Pallavicinus lib. 2. Hist. Conc. Trid. cap. 9. eumdem Hadrianum VI. dicit fuisse *Sacerdotem optimum, Pontificem re ipsa mediocrem*. Sed contra Joannes Launojus, quod mirere, lib. 4. extrema epist. 7. tum eos reprehendit, qui mediocrem fuisse asserunt, tum colere se & venerari profitetur, *ut prioris ævi Pontificem, ut qui lapsos Curialium mores erigere studuit, ut qui contra cupidos & avaros Antistites patrimonia pau-*

CCXXI.

CLEMENS VII.

ANNO CHRISTI 1523.

CAROLI V. ROMANORUM REGIS 5.

UNIVERSIS Ecclesiæ rebus procurandis XIII. Kal. Decembr. anno 1523. eligitur *Julius* Cardinalis *Mediceus*, Leonis X. patruelis, appellaturque *Clemens* VII.

Rayn. an. 1523. §. 125. 128. Spond. §. 25.

Hic in gratiam recepit Franciscum Cardinalem Soderinum, quamquam ex arcis Hadrianæ carcere admissus in Comitium Pontificale obstiterat pugnacissime, ne Pontifex fieret. Approbavit Congregationem *Clericorum Regularium* institutam ab Joanne Petro Caraffa Episcopo Theatino, & Cajetano Thieneo Sacerdote Vicentino.

Rayn. an. 1524. § 102. Spond. §. 13.

Anno 1525. *Jubilaeum* celebravit. Eodem anno Nonis Februar. Veneta annitente Republica, quod liquet ex MS. probatissimo, edidit constitutionem, qua aliam Leonis X. confirmans statuit, ut Clerici Urbis Venetiarum ea, quæ adhuc servatur, ratione eligerentur in *Plebanos* & alios *Titulos*. (1) Post Caroli Borbonii defectionem ab Gallis verens potentiam Caroli V. Regis Hispaniæ & Romanorum, pro tuenda Italiæ libertate fœdus iniit cum Regibus Galliæ & Angliæ, Venetis, & Francisco Sfortia Mediolanensium Duce, eam interponens caussam,

Rayn. an. 1526. §. 6. 19. Spond. §. 4. 7.

pauperum vindicare voluit, & consanguineos egenorum sumtibus locupletare noluit, ut qui sacros canones non sine urgenti & necessaria caussa relaxare instituit, & Ecclesiam ad eorumdem canonum institutum regendam suscepit.

(1) Sixtus V. anno 1590. III. Kal. Jan. alia constitutione indulsit, ut iidem *Tituli* Venetis Clericis cuilibet Urbis Ecclesiæ inservientibus essent loco *Patrimonii* a Tridentina Synodo imperati.

quod Carolus in Hiſpania edicto ſtatuiſſet, ut Senatus Regius Pontificia diplomata examinaret. Offenſus hac ſocietate Carolus V. indicit Clementi bellum, cui initium fecerant Columnenſes, infeſtiſſima Pontificibus familia, qui cum Hugone Moncata Regni Neapolitani Prorege haud exiguis militum copiis ſtipati Urbem mane ſummo ingreſſi; ædes Pontificis nihil tale opinantis invadunt, diripiuntque. Id omen pertinuiſſe arbitror ad captæ deinde Urbis Romanæ, quod paullo poſt accidit,
Rayn. an. cladem. Nam Carolus Borbonius in Italiam a
1527. §. 16. Carolo V. miſſus exercitu Romæ admoto Urbem,
22. 46. Spond. § 2. ſpreta induciarum fide, obſedit, captamque, dum
4. 6. 10. inter primos conſcendit muros, globulo plumbeo in femur ad inguina ictus & occiſus, militibus, Lutheranis pleriſque, fœde diripiendam relinquit. (2) Clementem in arce Hadriani, quo ſe receperat, obſeſſum Philibertus Arauſicanus in locum Borbonii ſuccedens compellit ad deditionem duriſſimis conditionibus, ac tandiu habet in cuſtodia, quoad omnes impleat. Poſt menſes ſeptem Clemens ſibi timens ab aſtu Hiſpanorum, mentita veſte ſimulatoque mercatoris habitu arce egreſſus confugit Urbem Veterem. Dein redintegrata
Rayn. an. cum Carolo V. amicitia, Imperii coronam ei Bo-
1529. §. 60. 90. noniæ imponit ſolemni ritu, receptæque ejuſdem
Spond. §. 1. auxilio Florentiæ Alexandrum pronepotem ſuum, uti

(2) Roma ſexies direpta eſt. Primum ab Alarico Gothorum Rege anno 409. ſeu 410. Innocentio I. Pontifice. Deinde ab Genſerico Rege Wandalorum anno 455. Leone Magno regnante. Poſtea anno 546. a Totila Rege Oſtrogothorum, Eccleſiam adminiſtrante Vigilio. Rurſus ab Aiſtulpho Rege Langobardorum anno 755. in Pontificatu Stephani II. Præterea ab Saracenis Africæ anno 846. Pontificatum gerente Sergio II. Demum ab exercitu Caroli V. anno 1527. ſub Clemente VII. quæ direptio fuit omnium fœdiſſima.

uti convenerat, Ducem præficit. (3) Exinde multo gravius fuit Clementi negotium cum Henrico VIII. Rege Anglorum, qui Annæ Bolenæ illecebris captus enixe petit, ut jubeat conjugium suum cum Catharina Regum Catholicorum Ferdinandi atque Elisabethæ filia, & Caroli V. Cæsaris matertera esse irritum. Non annuit Clemens, imo caussam Romæ cognoscendam suscepit, utque Regi amore furenti tempus esset ad resipiscendum, sententiam prorogavit ad triennium: sed vana omnino spe. Namque incestæ Henrici cum Bolena nuptiæ, ac pervicax ejus adversus Apostolicam auctoritatem contumacia a Pontifice extorquent anathema, ni intra mensem Catharinam uxorem legitimam recipiat, ejecta Bolena pellice. Adeo Clemens in id præsertim studuit, ut Henricus ad officium redire, & Pontificiæ sententiæ obtemperare commode posset. (4) Tanta Rex clementia non modo non avocatus ab incepto, sed in summum

Rayn. an. 1533. S. 65. 78. 84. 88. Spond. S. 3. 4. 7. 10. 11. Rayn. an. 1534. S. 4. 5. 10. Spond. S 3. 5. 17.

 mum

(3) Carolus a Pontifice coronam sumsit anno 1530. die natali suo, Festo S. Matthiæ. Nullus exinde Imperator legitur a Pontifice Romano coronatus. Alexander Mediceus Dux Florentinorum constitutus anno insequente.

(4) Natalis Alexander in Hist. Eccl. Sæc. XV. & XVI. art. 15. *Apud eos, qui ex eventu facta metiuntur, imprudentiæ notam incurrit* Clemens VII. *judiciique præcipitis insimulatus est, quod paucis post latam sententiam diebus Romæ redditæ sint* Henrici *litteræ, quibus Pontificis judicio se pariturum pollicebatur, modo Fidelium communione minime summoveretur, & a Caussæ cognitione excluderentur homines sibi suspecti, & Commissarii sibi non infensi Cameracum delegarentur, ea excepturi, quæ pro sua Caussa proferre cupiebat. Qui post menses unum & viginti contigit* Catharinæ *Reginæ obitus, opinionem auxit, quod Pontifex nimia festinatione sententiam tulisset. Ea siquidem morte, si res integræ fuissent, finita controversia fuisset, cujus, inquiunt, præproperum Judicium Regem Regnumque in Schismatis voraginem submersit. Malum quidem illud Angliæ, quam Romanæ Ecclesiæ, longe funestius,* Clemens *divinare non potuit, quem excusat* Pallavicinus *Cardinalis* lib. 3. Hist. Conc. Trid. cap. 15. *Sed etsi forte peccasset*

mum Pontificem exacerbatus supra modum, *Ordinum Angliæ decreto auctoritatem Pontificiam per regnum abrogat, tributum annuum jam ab Ina temporibus pendi solitum denegat, pœnam capitis constituit, si quis supremam potestatem Pontifici adscribat: postremo Ecclesiasticos tam Angliæ, quam Hiberniæ sacramento adigit, ut se tamquam Ecclesiæ caput a Christo proximum agnoscant*. (5) Interim Pontifex Pisis solvens Gallicis triremibus, posito in primaria Eucharistiæ Sacramento, navigat Massiliam. Ibi cum Francisco I. Galliæ Rege congressus Catharinam Mediceam neptem suam matrimonio jungit cum Henrico filio ejus natu minori, Duci Aurelianensium, (6) agitque de Anglorum Rege revocando ab errore. Romam reversus proponit *Protestantibus* conditiones celebrandi Concilii, quæ ab iis rejiciuntur. (7) Anno insequente 1534. VI. Kal. Octo-

set Clemens *in præclaram illam* S. Augustini *Regulam* lib. 3. *contra Parmenianum* cap. 2. Cum quisque fratrum, id est Christianorum intus in Ecclesiæ societate constitutorum, in aliquo tali peccato fuerit deprehensus, ut anathemate dignus habeatur, fiat hoc, ubi periculum schismatis nullum est: *Nihil tamen contra æquitatem peccasse dici posset, cum Regis indomita libido, despecta matrimonii religio, abjecta reverentia in Ecclesiæ Caput pœnam anathematis mererentur. De gestis* Clementis VII. *hac in caussa legendus* Sanderus *lib.* 1. De Schismate Anglicano.

(5) Thuanus Historiarum sui temporis lib. 1. §. 16. pag. 31. & 32. Vide annotat. 6. ad Gregorium III.

(6) Is postea Gallorum Rex, quo mortuo administratio prope summa Regni fuit penes Catharinam, viventibus tribus Regibus filiis ejus, Francisco II. Carolo IX. & Henrico III.

(7) Spondanus ad an. 1529. §. 10. *Statutum est in Concilio Spirensi a Ferdinando* (Rege Hungariæ ac Boemiæ fratre Caroli Cæsaris) *& majori Principum ac Civitatum parte, ut ubi hactenus decretum Cæsaris Vormatiæ contra hæreticos editum, observatum fuisset, deinceps quoque servaretur; nihil amplius ullibi a* Novatoribus *inveheretur, donec fieret Concilium universale;* Missa *nusquam abrogaretur; nullibi admitte-re-*

ctobris moritur, cum in vivis fuisset annos sex & quinquaginta, in Pontificatu *decem*, *menses totidem*, *ac dies septem*.

CCXXII.

PAULUS III.

ANNO CHRISTI 1534.

CAROLI V. IMPERATORIS 16.

PRIMO comitiali die, Octobris tertio decimo, *Alexander Farnesius* Romanus, sacri Collegii princeps, & Episcopus Ostiensis, annum agens septimum & sexagesimum cooptatus est, quem *eximia atque inveterata virtus*, *& praecellentes litterae magnopere commendabant*, *adeo ut Clemens eum sibi successorem testamento scripturum affirmaret*, *si Pontificatus hereditate pararetur*. (1) Paulum III. se dici voluit, propterea quod Paulo II. Pontifice natus esset. Commentum enim est, eum statim ab electione sua vocatum fuisse *Honorium* V. ac postea dum III. Nonas Novembris coronaretur, *Pauli* nomen sumsisse. (2) Cum Henricus VIII. Britanniae Rex, colentibus Romana jura infensus, saeviret in Catholicos sibi subjectos, atque inter

Rayn. an. 1534. § 1.2. Spond. §. 18.20.

Rayn. an. 1535. §.7.10. 13. Spond. §. 14.15.

Kk 3 ce-

retur novum dogma Sacramentariorum *de Ecclesia*. *Cui decreto cum* Joannes *Elector Saxoniae*, Georgius *Brandeburgicus*, Philippus *Landgravius Hassiae*, *fratres Luneburgici*, *aliique nonnulli Principes palam reclamarent*, *in consessu publico protestati sunt*, *se huic decreto minime assentiri*. *Unde &* Protestantes *sunt appellati*; *quod nomen postea ad universam sectam transiit*. Vide Pallavicinum lib. 2. Hist. Conc. Trid. cap. 18. Thuanum Hist. lib. 1. §. 19. pag. 35.

(1) Jovius lib. 32. Historiae sui temporis pag. 88.

(2) Thuanus Hist. lib. 1. §. 12. pag. 25. *Onufrius* V. *primum*, *mox* Paulus III. *dici voluit*. At nullus Pontifex fuit *Onufrii* nomine.

ceteros Joannem Cardinalem Fischerum Episcopum Roffensem, ac Thomam Morum Regni Cancellarium publice obtruncari jussisset, Paulus iterato anathemate damnatum privavit Regno, nisi intra diem nonagesimum vel per se, vel per Oratorem Romæ diceret caussam suam. Postea ad hæresum genus omne exterminandum indixit Concilium Oecumenicum. (3) Quod ut celebrari commodius posset, Nicææ Pedemontii Urbis cum Ca-

Rayn. an. 1536. §. 4. Spond. §. 15.

(3) Mantuam primum anno 1536. dein Vincentiam anno insequente: cum ne in eum quidem locum consentirent Germaniæ Principes, anno 1541. Tridentum, quæ Urbs est in Germaniæ & Italiæ finibus, Concilio celebrando assignavit. Celebrari cœptum anno 1545. Idibus Decembr. Dominica tertia Adventus, imperante Carolo V. & cura ingenti trium Romanorum Pontificum Pauli III. Julii III. & Pii IV. anno demum 1563. absolutum. *Adsunt*, ut ait Villelpandus apud Bellarminum lib. 1. De Conciliis cap. 5. *sex Cardinales, quatuor Legati, Patriarchæ tres, Archiepiscopi triginta duo, Episcopi ducenti viginti octo, Abbates quinque, Generales Ordinum ministri septem, Episcoporum procuratores plurimi*. Concilii Præsides quatuor summorum Pontificum Legati. Constat *sessionibus* quinque & viginti. Paulo III. regnante decem celebratæ. Ex his octo habitæ Tridenti, duæ vero Bononiæ, quo, contagione Tridentinam Civitatem affligente, Concilium translatum est. Ab Julio III. Tridenti rursus anno 1551. instauratum, sed post sex celebratas *sessiones* propter bella intermissum. Tandem anno 1562. redintegratum est opera Pii IV. & novem *sessionibus*, quæ aliis additæ numerum *sessionum* quinque & viginti explevere, absolutum, Ferdinando I. imperante anno 1563. septimo ac vicesimo postquam a Paulo III. Mantuam indictum fuerat, a prima vero Tridentina sessione decimo octavo. Illius decretis Patres, quibus id jus erat, ducenti quinquaginta quinque subscripsere. Pius IV. ejus acta confirmavit anno insequente, Constitutione edita VII. Kal. Febr. cavitque, ne ulli in Concilium Commentarii ac interpretationes ederentur. Idemque Constitutione alia edita XV. Kal. Augusti edixit, decreta ejus *ad reformationem jusque positivum duntaxat spectantia a Kal. Maji proxime præteriti omnes obligare cœpisse*. Oecumenicum fuisse non negant nisi ii, quorum prava doctrina damnatur.

Conc. Oecum. XVIII.

Carolo V. & Francisco I. Gallorum Rege congressus, decennales inducias firmavit inter eos. Induciarum tempore nondum circumacto, turbatus est status Ecclesiæ ex nece Petri Aloysii, cui Paulus III. pater anno 1545. Parmam & Placentiam attribuerat beneficiario jure, acceptis in locum illarum permutationis titulo Camertium Principatu, ac Nepete Dominio, ex quibus majores, quam ex Parma & Placentia, census tunc redibant. (4) Cum enim Petro Aloysio interfecto Carolus V. contenderet, Urbes illas pertinere ad Mediolanensem ditionem, simultas inter Pontificem & Cæsarem orta est. Factum inde, ut toto Pauli III. Pontificatu Concilium anno 1545. Tridenti jam inchoatum, post decem celebratas *sessiones* intermitteretur. Hæc inter Cæsar ut discordias sedaret in Germania gliscentes Religionis caussa, formulam quamdam doctrinæ & ceremoniarum, *Interim* nomine appellatam, anno 1548. promulgavit, servandam ab omnibus, donec Concilium Oecumenicum rem totam definiret. (5) Paulus quoque in

Rayn. an. 1538. §. 13. Spond. §. 6.

Rayn. an. 1548. §. 50. 64. Spond. §. 4.

(4) Id probat Pallavicinus lib. 5. Historiæ Concilii Tridentini cap. 14. num. 14. pag. 493.

(5) Spondanus ad an. 1541. §. 5. *Fuerunt plura hujusmodi* Interim *in Religionis rebus a Carolo Hæreticis Germaniæ diversis temporibus, quousque celebraretur Concilium, concessa, sed hoc famosissimum, quod per antonomasiam id nominis obtinuit, factum est anno 1548. cum jam Concilium Tridentinum haberetur. Complectebatur autem*, ut ait idem Spondanus ad annum memoratum 1548. §. 4. & 5. *capita viginti sex de præcipuis Religionis Christianæ dogmatibus, de Sacramentis, & œconomia, ac ceremoniis Ecclesiæ: eique datus titulus* Interim *ex eo quod præscriberet formulam doctrinæ & ceremoniarum in Germania tenendam, interim dum de universa religione in Concilio universali esset definitum. Pleraque omnia, duobus illis articulis exceptis*, quibus conjugium permissum Sacerdotibus, & Eucharistia sub utraque specie Laicis concessa, *possent dici Ecclesiæ Romanæ doctrinæ consentanea*. Istiusmodi formulam seu libellum a Pontifice improbatum confutarunt

Scri-

Rayn. an. 1549 §. 9. 11. 20. 23. 48. Spond. §. 12. munus assignatum sibi a Deo incumbens, *Congregationem Inquisitionis sacræ* anno 1542. primus instituit. Probatum jam decessori suo sacrum *Capuccinorum* Ordinem rursus confirmavit. Librum item, qui *Exercitiorum Spiritualium* appellatur, compositum ab S. Ignatio Societatis Jesu conditore communivit auctoritate Apostolica. Ecclesiasticæ disciplinæ sanciendæ Cœtum instituit quatuor gravissimorum & doctissimorum Cardinalium, Contareni, Carafæ, Sadoleti, & Poli, (quibus Præsules quinque in primis peritos addidit) qui offerrent capitulatim collecta libello ea, quæ præcipue emendatione digna viderentur. (6) Consuevit etiam super mensam præstantes Philosophos atque Theologos inducere, & ipsemet ponere de quo disputarent; quibus rebus & regendi mores, & veritatis indagandæ ardentissimum studium significavit. Cum *annos quindecim & dies duodetriginta* regnasset, IV. Idus Novembr. anno 1549. senio curisque confectus decessit, Pontifex, si propensiorem erga suos caritatem excipias, longe maximus.

CCXXIII.

Scriptores tum Catholici, tum Hæretici, ut est apud eumdem Spondanum §. 7. & Pallavicinum lib. 10. Hist. Conc. Trid. cap. 17.

(6) Memoratus libellus recitatur a Nat. Alexandro in Hist. Eccl. sæc. XV. & XVI. cap. 1. art. 16.

CCXXIII.

JULIUS III.

ANNO CHRISTI 1550.

CAROLI V. IMPERATORIS 32.

CUM duos amplius menses diversis sententiis certatum esset, contra spem omnium VI. Idus Februar. anno piaculari 1550. Pontifex declaratus est *Joannes Maria de Monte*, Aretinus, qui *Julius* III. nominari voluit. Ut id præstaret, quod inter Cardinales convenerat in ipso Conclavi ante Pontificis electionem, Parmam Octavio Farnesio restituit. Idem *quod in Synodo Tridentina Legatus Fabrum, Lainem, & Salmeronem Theologos Apostolicos familiariter noverat; multaque tum ex iis, tum ex aliis de Societatis Jesu instituto didicerat; Ignatio supplicanti multa in Societatis incrementum ac rem admodum liberaliter tribuit. Nec enim solum prioris Pontificis de Ordine eo judicia & acta firma rataque voluit esse, verum etiam eumdem Ordinem novis insuper ipse testimoniis atque decretis ornavit.* (1) Idem primus omnium cavisse dicitur, ne cui liceret libros Lutheranorum, aliorumve hæreticorum legere aut habere apud se. Cavit etiam, ne in Cardinalium numero fratres duo essent eodem tempore. Vetuit, Hebræos *volumen* Ghemarot Thalmud *nuncupatum, nonnulla indigna, & legem divinam, orthodoxamque Fidem offendentia continens* retinere. (2) Concilium Tridentinum instauravit, quod post sex ce-

Rayn. an. 1550. §. 1.3. 7. 46. Spond. §. 1. 2. 3.

(1) Joan. Petrus Maffejus in Vita S. Ignatii Lojolæ lib. 2. cap. 19.

(2) Const. 24. tom. 1. Bullarii pag. 804. ubi §. 2. adjicit,

Rayn. an. 1551. § 4. 66. Spond. § 3.

celebratas *sessiones* intermissum est ob Parmense bellum exortum inter Carolum V. & Regem Christianissimum Henricum II. in cujus fidem Octavius Farnesius se contulerat. Collegium seu Seminarium Clericorum in Urbe condidit, eique S. Ignatium Lojolam præfecit, ut alti atque educati in eo Germani bonæ indolis adolescentes, ac deinde Germaniæ Ecclesiis Sacerdotes præpositi, labantem in regione ea Catholicam Fidem sustinerent, eversamque restituerent. (3) Ubi intellexit, Mariam filiam Catharinæ uxoris Henrici VIII. post mortem fratris Eduardi VI. imperium apud Anglos suscepisse, curam omnem intendit, ut Regnum illud cum Ecclesia Romana rursus conjungeret. Id quod fecit successu plane secundo. Sed, cum speraret, se propediem suscepturum legationem solemnem testandæ erga Pontificem Romanum obedientiæ & observantiæ ab Anglis jam destinatam, fato concessit X. Kal. April. anno 1555. Vixit annos amplius septem & sexaginta, Pontifex fuit *annos quinque, mensem, & dies sexdecim.*

Rayn. an. 1553. § 1. 6. 7. 48. Spond. § 9. 11. Rayn. an. 1554. § 4. 11. Spond. § 3.

Rayn. an. 1555. § 12. Spond. § 4.

CCXXIV.

cit, *Hebræos in memoriam Passionis Dominicæ a sancta Matre Ecclesia tolerari, ut aliquando mansuetudine nostra allecti ad verum Christi lumen, divino afflante Spiritu, convertantur.*

Clemens quoque VIII. Constitut. 20. §. 1. tom. 3. Bullarii pag. 24. approbavit innovavitque Constitutiones *Gregorii* IX. *Innocentii* IV. *Clementis* IV. *Honorii* IV. *Joannis* XXII. *Julii* III. *Pauli* IV. & *Gregorii* XIII. *qui sæpius impium illud* Thalmud *nuncupatum, & alia similia reprobata & detestanda scripta & volumina damnarunt, & retineri prohibuerunt.*

(3) Id Seminarium seu Collegium Germanicum, uti appellant, regia deinde ac plane Apostolica liberalitate ditavit & auxit Gregorius XIII. Pallavicinus Hist. Conc. Trid. lib. 13. extremo capite 8.

CCXXIV.

MARCELLUS II.

ANNO CHRISTI 1555.

CAROLI V. IMPERATORIS 37.

MARCELLUS II. *Cervinus* Politianus Roberti Cardinalis Bellarmini avunculus, fulgens adhuc legatione ad Concilium Tridentinum Pauli III. nomine, anno 1555. V. Idus April. Pontificatum obtinuit ingenti bonorum omnium gaudio. (1) Verum brevi ea lætitia cunctis evanuit. Siquidem *altero & vicesimo* die Pontificatus, anno æta-

Rayn. an. 1555. §. 13. 14.16.18.20. Spond. §. 5. 6. 7.

(1) Natalis Alexander in Hist. Eccl. Sæc. XV. & XVI. cap. 1. art. 17. Marcello *vitio vertit* P. Suavis *magnam quamdam genethliacæ artis fiduciam, qua sibi summum Pontificatum, de eo palam locutus, & in ipso postea diuturnitatem, rerumque, quas apud se digesserat, successum spopondisset; in quibus ab inopinato vitæ exitu illico se delusum agnoverit. Sed* Suavem *mendacii convincit Cardinalis* Pallavicinus lib. 13. Hist. Conc. Trid. cap. 11. *tum ex* Marcelli *vita ante acta, quæ summis Christianæ Reipublicæ impensa negotiis, in quolibet curriculi sui vestigio non nisi prudentiam, maturitatem, animique soliditatem ostendit: & quod in Narrationibus de brevi ipsius Pontificatu editis, ne una quidem vocula deprehendatur, quæ hanc laudem offuscet, tum ex epistola* Seripandi *Salernitani Archiepiscopi ad* Camajanum *Fesulanum Episcopum 9. Maji anno 1555. data. In ea epistola is narrat, cum sæpius intento animo res a* Cervino *gestas recoluisset, hanc secum ratiocinationem habuisse: Si* Cervinus *ad Pontificatum aspirabat, & simul ita se gerebat, omnium mortalium hebetissimus erat: si apicem illum ascendere hic curabat studio virtutis, non tam homo erat, quam Angelus humana specie indutus. Illi nimirum ea ætate quadrabat, quod olim de* Catone *dicebatur:* O te felicem Marce Porci, a quo nemo audet quidquam inhonestum petere! *Atqui post longissimam cum* Cervino *familiaritatem, quo pacto potuisset ita ratiociuari* Seripandus, *si palam ille, ut pro* cer-

ætatis quinquagesimo quarto apoplexia oppressus, Kal. Maji decessit. Calamitatem hanc tota Romana Civitas tulit acerbissime. Tantam Marcellus fecerat sui expectationem. Nomen non mutavit ductus pietate erga inclytum Pontificem & martyrem S. Marcellum I. (2) Contestabatur, se numquam permissurum, ut quibus demandata esset cura animarum, ii ab suis Ecclesiis abessent, aut politica munia obirent. Quare *Laicis* mandare decreverat Reipublicæ procurationem. Consanguineis adeo nihil indulsit, ut neminem ex iis, ne fratrem quidem, Romam venire passus sit, duosque Nepotes, quos in Urbe educabat, ab nemine officii caussa conveniri voluerit, nec in conspectum suum Pontificatus tempore umquam admiserit. (3)

CCXXV.

certo Suavis *assumit*, *per Astrologicas observationes Pontificatum sibi prædixisset? Denique* Suavis *calumniam refellunt Scriptores illustres*, *qui* Marcelli II. *sanctitatem prædicant*.

(2) Hanc rem P. Suavis, ut est apud Pallavicinum lib. 13. Hist. Conc. Trid. cap. 11. num. 2. admiratur tamquam novam & inusitatam. Prorsus inepte: cum paullo ante Hadrianus VI. Oratoris Cæsarei persuasione pristinum *Hadriani* nomen retinuerit, ductus virtutibus & fama Pontificum ejus nominis. Nec minus idem obtrectator ineptit, cum morem nominis mutandi a Romanis Pontificibus servatum carpit tamquam ambitiosum. Nemo enim ipso melius scire debuit, *Fratres* ipsos, qui quidem *humilitatem* eximiam profitentur, eamdem consuetudinem servare. Et vero *humilitas*, non superbia Romanorum Pontificum nominis mutandi morem induxit, ut animadvertit Baronius ad an. 1009. §. 3. & colligitur ex epitaphio Sergii IV. apud eumdem Baronium ad an. 1012. §. 1. Is enim omnium primus, cum Petrus diceretur, nomen mutavit, quod non auderet nomen gerere Apostoli, quem Christus ipse primum suum in terris Vicarium constituerat. Vide annotat. 1. ad Sergium II. & annotat. 2. ad Joannem XII.

(3) *Interpellatus*, *an in Palatium ex privatis ædibus introducendi essent*: Quid, *inquit*, illis cum Palatio? eorumne id patrimonium est? Spondanus ad an. 1555. §. 6.

CCXXV.

PAULUS IV.

ANNO CHRISTI 1555.

CAROLI V. IMPERATORIS 37.

PAULUS IV. Neapolitanus, *Joannes Petrus* Cardinalis *Caraffa* antea dictus, qui cum *Teatinus* esset Episcopus, Ordinem instituerat *Clericorum Regularium*, quibus *Teatinis* inde cognomen, anno 1555. X. Kal. Junii Festo Ascensionis Christi in Cælum vicariam ejus in terris personam sustinere cœpit. (1) Ætatis erat jam exactæ, annos natus undeoctoginta: sed vegetum ingenium in vivido pectore vigebat, virebatque integris sensibus. Hic cum propter severitatem metui se nimium animadvertisset, initio lautum se ac magnificum præbuit, postea ita se gessit, ut & Cleri sapiens censor, & Cardinalium prudens emendator, ac deliciæ Populi Romani haberetur, poneretur que ob eam caussam ei statua in Capitolio. (2) Regum Angliæ Philippi & Mariæ Legatos petentes ve-

Rayn. an. 1555. §. 21. 22. 25. 27. 48. Spond. § 8. 9. 10.

(1) Oldoinus in addit. ad Ciaconium tom. 3. pag. 827. *Neapolitana Civitas ac Clerus novum Pontificem exorarunt, ut Civitatem Antistite alio in ejus locum provideret; at Paulus benigne respondit:* Ecclesiam illam non vacare, vivere adhuc eorum Archiepiscopum: Nos, qui usque adhuc singulari prosecuti sumus amore patriam, ac Ecclesiam sponsam, Nos illi in posterum eodem affectu præerimus. Vide annotat. 1. ad Clementem II.

(2) Hanc post Pauli IV. obitum dejecit idem populus Romanus, qui eam statuerat, furens ob confirmatum ab eo auctumque auctoritate tribunal Inquisitionis sacræ. Dejectam reposuit Clemens XI. & basim sub ea collocavit, inscripsitque, *Paulo IV. Pont. Max. scelerum vindici integerrimo, Catholicæ Fidei acerrimo propugnatori.*

veniam erratorum suscepit, quorum Principum decus ut augeret, paucis ante diebus Hiberniam donarat *Regni* titulo. Eodem anno 1555. Carolus V. Regni & Imperii curam pertæsus, utroque se abdicavit, & quidem Imperii coronam posuit ipso die Festo S. Matthiæ, quo die non ita pridem Bononiæ a Clemente VII. ei imposita fuerat. Regnum capessivit Philippus II. filius, Mariæ Anglorum Reginæ maritus: ad Imperium frater ejus Ferdinandus I. Archidux Austriæ septemviralibus Comitiis anno 1558. evectus est. Hanc electionem approbare abnuit Paulus, missumque ab Ferdinando Oratorem suscipere recusavit, ratus se id facere non posse sine Apostolicæ auctoritatis detrimento. Non una traditur ejus rei caussa, sed ea potissimum, quod neque abdicatio Imperii a Carolo, neque cooptatio Ferdinandi a septemviris Electoribus fieri potuisset sine consensu Pontificis, cum Imperium non nisi morte Cæsaris vacare censeatur.

Rayn. an. 1558. §. 8. 23. Spond. §. 7. 8.

(3) Sed conservandæ ac restituendæ Catholicæ Religionis multo intentiorem habuit curam. Nam Hebræos in secretum a Christianis locum oppidatim coegit, quemadmodum a religiosissima Venetorum Republica acceperat. Voluit eosdem, viros quidem pileum, feminas autem velum glauci coloris gerere, quo signo internoscerentur. (4) Adjecit, ne haberent nutrices, ancillas, famulosve Christianos, ne Dominicis, Festisque diebus munia sua publice obirent, neve luderent cum Christianis. Vetuit etiam Medicos Judæos, vocatos licet rogatosque, morbis Christianorum curationem adhibere. (5) Super hæc Tribunali *Inquisitionis Sacræ,*

(3) Pallavicinus lib. 14. Hist. Conc. Trid. cap. 6. num. 5. & seqq.

(4) Id statutum antea a Concilio Oecumenico XII. Lateranensi IV. can. 68. Vide annotat. 4. ad Innocentium III.

(5) Constitutione 3. §. 10. tom. 1. Bullarii, quam confir-

cræ, quo terribiliorem præberet formam, addidit auctoritatem decernens, ut non de hæresi solum, sed aliis etiam criminibus quibusdam cognosceret ac judicaret. (6) Statuit item pœnas in ambientes Pontificatum. (7) Ne quis vero hæreticus error in animos Fidelium ex impiorum librorum lectione obreperet, eorum indicem per Inquisitores confectum edidit. (8) *Primus fuit, qui Palatinas conciones*

firmarunt Pius V. Constit. 6. Gregorius XIII. Constit. 68. Clemens VIII. constit. 19.

(6) Qui paucis ante annis cum esset Cardinalis Paulo III. auctor iis primis fuerat, ut Congregationem sex Cardinalium institueret juvandis totius Orbis Inquisitoribus, idem factus Pontifex Congregationem eamdem constabilivit *instituitque*, referente Victorello in addit. ad Ciaconium, *ut ejus Tribunalis caussæ, quæ delectorum Cardinalium auctoritate terminari solebant, coram Romano Pontifice die semel in hebdomada statuto cognoscerentur*. Huic Congregationi, ut ait Sixtus V. constitut. 74. §. 1. *ob summam rei gravitatem Romanus Pontifex præsidere solet*. Vide Joan. Bapt. Card. de Luca in eo libro, qui inscribitur *Il Cardinale Pratico*, cap. 25.

(7) Constit. 16. §. 1. tom. 1. Bullarii pag. 825.

(8) Spondanus ad an. 1557. §. 5. *Incorruptam, quantum in se erat, religionem Christianam conservare volens, plurimaque mala ex impiorum librorum lectione provenire cognoscens, Librorum Indicem per Inquisitores fieri curavit, quem deinde anno 1559. impressum publicavit, libros eo contentos gravi anathemate vel legi vel haberi prohibens, primusque existens, qui universalem omnium perniciosorum librorum cujuscumque argumenti, etiamque profani, a quibuscumque etiamque religione Catholicis scriptorum, vel etiam a suspectis typographis de quacumque arte editorum indicem contexere studuerit; cum ad eum usque diem librorum prohibitiones tam a Pontificibus, quam Imperatoribus factæ, numquam excessissent terminos librorum hæreticorum; aliive pestilentes legi prohibiti fuissent, nisi quorum auctores etiam damnati exstitissent.... Illud in hoc Pauli Indice rigidius visum, quod pœna legentibus libros eo catalogo comprehensos ac prohibitos denunciata erat excommunicatio latæ sententiæ Pontifici reservata; privatio atque incapacitas quorumcumque munerum ac Sacerdotiorum, perpetua infamia cum aliis pœnis arbitrariis. Quo factum est, ut Pius IV. Pauli*

nes instituit. Ad cultum divinum augendum multa sancivit: & primo abrogatis, quæ tunc ad Aulæ gustum breviores preces recitabantur, ex antiquioris Breviarii forma persolvi ab omnibus statas Deo laudes jussit. (9) Festum quoque Romanæ Cathedræ S. Petri jam exoletum revocavit, ac præcepit XV. Kal. Februar. celebrari, professus se id facere hæreticis refellendis, qui negarent aliquando Romæ fuisse Apostolorum Principem. Ubi de vitiis nepotum ex fratre, compertum habuit, ea in sacro Cardinalium cœtu detestatus, emisso decreto unumquemque cum familia intra dies duodecim Roma excedere jussit: & Cardinalem quidem Lavinium, Palliani Ducem Galesium, quod oppidum nuper emerat ab Julio Roboreo, Montisbelli Marchionem in Marchionatum suum positum iu Æmilia omni auctoritate exutos

Rayn. an. 1559. §. 30. 31. 35. Spond. §. 32.

li successor rigorem hunc temperans, totum illud librorum negotium ad Concilium retulerit. Interim tamen Petrus Paulus Vergerius infamis ille apostata adversus hunc Pauli indicem, aliosque librorum hæreticorum jam antea a Theologis Parisiensibus, Lovaniensibus, & Hispanicis promulgatos, ita Latine atque Italice debacchatus est, ut quamvis nusquam non insaniat potius quam scribat, in libellis tamen contra hujusmodi catalogos furori suo omnes habenas laxaverit. Cujus ac similium amentiam apposite tetigit contuditque Jacobus Gretserus in suis commentariis De librorum hæreticorum & noxiorum prohibitione. Vide Pallavicinum lib. 15. Hist. Conc. Trid. cap. 18. num. 2.

(9) Oldoinus in addit. ad Ciaconium tom. 3. pag. 829. & 831.

Bona divinæ Psalmodiæ extremo capite 18. *De* Breviarii *notione legendus* Pithœus *ad leges Francicas, itemque* Gretserus *lib. 1. in* Codinum. *Cur vero liber* Divinorum Officiorum *hanc nomenclaturam sortitus sit, explicant viri docti Alardus Gazæus* in annotat. ad Cassianum De Institutis Renuntiantium lib. 4. cap. ult. & *Leonardus Lessius* De justitia & jure lib 2. cap. 37. dubit. 8. *Continet enim omnes Psalmos, qui sunt compendium totius Scripturæ, tum selectissima quæque complectitur ex utroque Testamento, insigniorem Sanctorum Patrum doctrinam, præcipua Sanctorum gesta, Hymnos, & Orationes. Addiderim*

ego

tos relegavit, adjecta in singulos, si inde discederent, perduellionis pœna. Unum apud se retinuit Alphonsum Cardinalem Caraffam, filium Marchionis Montisbelli, annos natum duodeviginti, eximiæ probitatis & indolis egregiæ adolescentem. (10) Paullo antequam decederet, vocatos ad se Cardinales hortatus est, ut *sanctissimum* (sic enim vocabat) *Inquisitionis Officium* commendatum haberent. Decessit autem anno 1559. XV. Kal. Septembr. post *quadriennium, menses duos, dies septem & viginti*, quam Pontifex esse cœperat.

LI CCXXVI.

ego Breviarium dici, quod in eo concise, ac sine musicalibus notis ea omnia conscripta sint, quæ in Antiphonariis, aliisque libris Choralibus magnis characteribus ad usum cantantium comprehenduntur. Denique Breviarii nomen ad Officii divini brevitatem referri posest: nam illud prolixum non esse, & longum injuria dici, recte evincit lib. 1. De horis Canonicis cap. 4. Oliverius Bonartius, *constatque evidenter ex collatione hodierni Breviarii post* Pium V. *cum antiquioribus, quæ multo prolixiora sunt. Imo etiam vetus Romanum a Fratribus Franciscanis olim abbreviatum fuisse*, Radulphus Tungrensis *conqueritur libro* De Canonum observantia proposit. 22. *& alibi passim*. Alii alia, sed nemo fortasse rem, ut dicitur, acu tangit.

(10) Pallavicinus lib. 14. Hist. Concil. Trident. cap. 7. Victorellus in addit. ad Ciaconium tom. 3. pag. 818. *Nepotibus pulsis dixit aliquando*: Nunc dicendum & scribendum Pontificatus anno primo: *tunc enim Pontificatum ordiri sibi videbatur*.

CCXXVI.

PIUS IV.

ANNO CHRISTI 1559.

FERDINANDI I. IMPERATORIS 2.

NOCTE sequente diem Christi Domini Natalem anno 1559. in Petri sede collocatus est
Rayn. an. *Joannes Angelus Medices* Mediolanensis, vir ætate
1559. §. 38. & usu doctus. *Pius* IV. dici voluit, & die festo E-
39. 42. Spond. §. piphaniæ de more coronari. Initio ipso Pontifica-
37. Rayn. an. tus collatam Ferdinando I. Imperatoriam dignita-
1560. §. 2. tem ratam habuit, ejusque tamquam legitimi Im-
68 97. Spond. §. 1. peratoris Legatos honorifice excepit: namque *sub-*
2. *lato e vivis Carolo V. Cæsare, sublata quoque erant difficultates, quas Paulus IV. objecerat*. (1) Triste
Rayn. an. deinde exemplum edidit, sed in posterum salubre
1561. §. 1. Pontificum propinquis, ut discerent populos sibi
8. 9. 10. creditos clementer habere, & publica negotia administrare pro Ecclesiæ dignitate. Siquidem in Caraffas Pauli IV. ex fratre nepotes majestatis damnatos animadvertit pœna mortis. Carolum Cardinalem jussit laqueo in carcere necari, & Joannem ejus fratrem cervice in vinculis cæsa, una cum aliis eodem supplicio affectis, ad pontem Aelium exponi. Mitius actum cum Alphonso Cardinali ejusdem Pauli IV. pronepote, qui vitam obtinuit mulctatus pecunia ingenti. Idem Pontifex Conci-
Rayn. an. lium Tridentinum per annos decem intermissum in-
1562. §. 1. stauravit, & novem *sessionibus* absolutum emisso di-
105. Spond. §. 1. plomate confirmavit. Approbavit etiam indicem
21. librorum prohibitorum ab selectis ejusdem Oecumenici Concilii Patribus confectum. Instituit Congre-

(1) Raynaldus ad an. 1559. §. 42.

gregationem octo Cardinalium, qui ejusdem Synodi decreta executioni mandanda curarent, eorum interpretatione sibi reservata. (2) Idem vetuit Cardinalium & Legatorum domus improbis esse perfugium. (3) Et quia cum gravi morbo laboraret, sermo manarat de successore ejus eligendo in Concilio, cavit, ne alibi quam Romæ summus Pontifex crearetur, neve ab aliis, quam a Cardinalibus, penes quos tantum esset jus Pontificis eligendi. Redintegrata insuper lege lata a Bonifacio II. decrevit, Romanum Pontificem non posse sibi successorem eligere, neque adjutorem sibi adsciscere postea successurum in locum suum, quamvis id Cardinales consentirent. (4) Anno 1564. Venetos, quod promto libentique animo Concilium Tridentinum suscepissent, summopere commendavit, eorum exemplum aliis Principibus imitandum proposuit, *utque egregia aliqua significatione præsentibus* Ll 2 *ac*

Rayn. an. 1564. §. 1. 3. 50. 53. Spond. §. 1. 2.

(2) Constitut. 81. Sixtus V. Constitut. 74. eidem Congregationi potestatem fecit etiam interpretandi, sed ea duntaxat, quæ ad formationem morum, non quæ ad sacra dogmata pertinerent. Vide Zegeri Van-Espen Jus Ecclesiasticum Universum Part. 1. tit. 22. cap. 5.

(3) Constitut. 47. quam ratam jussit esse Gregorius XIII. constitut. 12. innovavitque Sixtus V. pœnis adjectis constitut. 6.

(4) Raynaldus ad an. 1561. §. 9. *Occasionem hujus sanctionis restituendæ potius, quam instituendæ, cum jam olim in Concilio Romano sub Bonifacio* II. *emanaverit, videtur ex parte innuere Victorellus in additionibus ad vitam Pii* IV. *quam Diana par.* 10. *tract.* 5. De potestate Pontificis eligendi sibi successorem *retulit, quem Lector sciendi cupidus consulere potest, invenietque agitatam inter Canonistas quæstionem, sit ne hoc jure, ut vocant, Divino, an Canonico, vel naturali interdictum: quam etiam controversiam doctissime more suo expendit Prosper Fagnanus in 2. part. primi Decretal. cap.* Accepimus *De pactis num.* 16. Vide Pii IV. constitutionem 63. qua *prædecessorum* suorum Alexandri III. Gregorii X. Clementis V. Clementis VI. & Julii II. *constitutiones* de electione Pontificis *innovat, declarat, supplet*. Vide etiam annotat. 1. ad Bonifacium II.

ac posteris eximiam in eos voluntatem testatam relinqueret, sponte, atque, ut ajunt, motu proprio Reipublicæ amplissimas, ingentibusque substructionibus insignes Divi Marci Ædes olim a Paulo II. excitatas dono dedit, litteris adjectis, quibus Venetorum pietatem, religionem, ac præclara in Apostolicam sedem merita extulit. (5) Mortem obiit anno insequente 1565. nocte, quæ quintum Idus Decembris subsecuta est, annos natus amplius sex supra sexaginta, post Pontificatum *quinquennii, mensium undecim, ac dierum quindecim*. Morienti adfuere sanctissimi viri duo Philippus Nerius, & Carolus Cardinalis Borromæus sororis filius, qui etiam Ecclesiæ sacramenta ipsi administravit.

Rayn. an. 1565. §. 21. Spond. §. 19.

CCXXVII.

S. PIUS V.

ANNO CHRISTI 1566.

MAXIMILIANI II. 2.

PIO V. antea *Michaeli Ghislerio*, in Boschi oppido Derthonensis Diœcesis in Insubria nato, Catholicæ Ecclesiæ curam anno 1566. VII. Idus Januar. Cardinales tradiderunt. Renunciatum Pontificem stupor silentiumque defixit. Rogantibus caussam respondisse ferunt: *Se in monasterio viventem sibi & Deo optime de æterna salute sperasse, creatum Episcopum & Cardinalem cœpisse timere, electum Pontificem pene desperare*. (1) Quibus verbis significavit, quam ægre susciperet datum sibi Sacer-

Laderchius an. 1566. pag. 1. §. 1. pag. 2. §. 5. pag. 5. §. 13. pag. 18. §. 52. pag. 26. §. 61. Spond. §. 1. 4. 5. 27.

(5) Andreas Maurocenus Histor. Venet. lib. 8. ad an. 1564. pag. 309.

(1) Cornelius a Lapide in Ecclesiasticum cap. XXXII. 2. & in Apocalypsim III. 1.

cerdotium summum. Sed ille tamen nihil tale recusandum ratus, in quo divina quædam vis apparebat & providentia, onus subiit Pontificale, & Carafiis, unde dejecti fuerant, statim restitutis, totum se Ecclesiæ rationibus addixit. Huc præsertim incubuit, ut Sacrosancti Concilii Tridentini decreta ubique gentium promulgarentur, & inducerentur in morem. Renovata Innocentii III. constitutione cavit, ne Medici eos curarent, qui post diem tertium ab initio morbi non expiassent peccata sua per Sacramentalem Confessionem. (2) Abrogavit factam Latinis Græco ritu, & Græcis Latino potestatem sacrificandi, & Divina Officia peragendi. (3) *Ad augendam Belgarum religionem numismata primus omnium consecravit, sacrosque ejusmodi nummos gestantibus Indulgentias concessit*: (4) *Albanumque Ducem litteris ac pecunia in Geusios animavit, ejusque precibus attribuitur victoria ab eodem Albano Duce reportata: quare pro ea gratias Deo solemni ritu egit, & Galerum ac Gladium Pontificiis precibus sacros eidem Albano Duci transmisit.* (5) Erga Mariam quoque Stuartam Scotiæ Reginam,

(2) Constitut. 3. §. 3. tom. 2. Bullarii pag. 177.
(3) Constitut. 12. §. 1. ibid. pag. 192.
(4) Gabutius De Vita & rebus gestis Pii V. lib. 6. cap. 2. *Sacrarum ex ære imaginum pium usum ipse primus vel induxit, vel certe plurimum excitavit*. Sacræ autem istæ ex ære imagines vulgo appellantur *Medaglie benedette*.
(5) Oldoinus in addit. ad Ciaconium tom. 3. pag. 1006. Spondanus ad ann. 1566. §. 21. *Vocantur autem lingua Valonica, eademque Gallica* Geusii, *mendici & vagi nebulones. Unde factum, ut & ipsimet sibi hoc nomen libenter retinuerint, & apud alias etiam nationes obtinuerint, ut qui in Gallia* Hugonoti, *in Belgio* Geusii *dicerentur*. Eadem Thuanus lib. 40. §. 7. tom. 2. pag. 524.
Unde & quando natum initium mittendi ad Imperatores optime de propugnata religione Christiana meritos insignia memorata ab Oldoino, quæ nocte Christi Domini a summo Pontifice consecrantur, haud satis compertum. Qui-

quam Elisabetha Regina Anglorum per summam injuriam miserat in carcerem, & amantissimi Patris & liberalissimi Principis partes implevit. Regem pariter Christianissimum Carolum IX. gerentem bellum adversus Hugonotos milite juvit & pecunia. (6) Neque interea Ecclesiasticæ ditionis curam dimisit. Namque edidit constitutionem subsignatam manu, firmatamque jurejurando Cardinalium, qua prohibuit, ne in posterum liceret Urbes, aliave Apostolicæ Sedis loca abalienare, aut fiduciaria dare, aut si qua reverterentur ad Pontificem, jure beneficiario possidenda aliis conce-

Spond. an. 1569. §. 10. 11.

Quidam originem ducunt ab litteris sacris: alii inventum existimant Pontificum Romanorum. Sixtus enim IV. qui Pontifex fuit sæculo superiore, vocat *approbatam sanctorum Patrum*, hoc est Pontificum, *consuetudinem*, ut animadvertit Christophorus Marcellus l. 1. Sacr. Ceremon. sess. 7. cap. 7. apud Theophilum Raynaudum *De Gladio & Pileo a Pontifice initiatis* sect. 1. §. 3. Operum tom. 10. pag. 534. ubi & exprimit significationem mysticam ensis, subjicitque verborum formulam, qua Pontifex illum tradere consuevit. Vide Berninum in Hist. Hær. sæc. XVI. cap. 9. tom. 4. pag. 528.

Franciscus Pagius in vita Urbani VI. §. 58. *Nunc hæc* (Ensis & Pilei) *benedictio fit in quocumque festo solemni: anno enim 1716. Clemens XI. cum Ensem & Pileum ad Principem Eugenium de Sabaudia misit, ob victoriam ab eo de Turcis ad Varadinum eodem anno relatam, eos benedixit in Ecclesia S. Mariæ de Populo die octava Septembris*. Vide additionem Victorelli ad Ciaconium tom. 2. pag. 624.

(6) Thuanus l. 24. §. 21. tom. 1. pag. 827. *Cæsarodunensium plerique novam religionem amplectebantur, adeo ut ab eo loco tunc primum Hugonoti ridiculum simul & odiosum nomen innotuerit, quo, qui antea Lutherani dicebantur, passim postea in Gallia vocari cœpere. Hujus autem hæc origo fuit, quod cum singulæ Urbes apud nos peculiaria nomina habeant, quibus mormones, lemures, manducos & cetera hujusmodi monstra inania anilibus fabulis ad incutiendum infantibus ac simplicibus feminis terrorem vulgo indigitant, Cæsaroduni Hugo rex celebratur, qui noctu pomeria civitatis obequitare & obvios homines pulsare ac rapere dicitur. Ab eo Hugonoti appellati*, qui

cedere: (7) quam constitutionem successores ejus & ratam jusserunt & amplificarunt. Judæos expulit Ecclesiæ ditione tota, Urbe Roma, & Ancona exceptis. Anno 1569. VI. Kal. Septembr. Cosmum Mediceum Florentiæ Ducem titulo auxit *Magni Ducis Hetruriæ*, regia corona dono missa, qua ipse, ejusque successores uterentur. (8) Itaque insequenti anno III. Nonas Martii Pius ipse Ducem Romæ in sacello Pontificio inauguravit solemni ritu, nequicquam per Oratorem intercedente Cæsare, cujus expostulationem Pontifex repulit his verbis: *Quonam jure Imperatores ipsi vel sunt vel appellantur Imperatores, nisi ex Apostolicæ Sedis auctoritate?* (9) Anathemate perculit Elisabetham, quæ arrepta in Anglia tyrannide vexabat colentes An. 1570. S.
Romana sacra: eamdemque pœnam edixit, si quis 1. 23.
Anglus ei deinceps obtemperaret. S. Thomam Aquinatem Ecclesiæ Doctorem jussit, & Sixti IV. atque Tridentinæ Synodi decreta de Conceptione B. Mariæ Virginis confirmavit, *liberam cuique facultatem relinquens opinandi hujus controversiæ quamlibet partem, prout vel magis pium, vel magis probabile judicaret*. (10) Ejusdem auspiciis ac precibus rela- An. 1571.
ta est ad Echinadas victoria de sempiterno Chri- S. 21.

Ll 4 stia-

qui ad ea loca ad conciones audiendas ac preces faciendas ibidem noctu, quia interdiu non licebat, agminatim in occulto conveniebant.

(7) Constitut. 35. tom. 3. Bullarii pag. 220.

(8) Constitut. 88. Id fecit Pius, ut tolleret controversiam, quæ erat inter Cosmum & Alphonsum II. Ferrariæ Ducem de primatu. Thuanus l. 46. §. 16. tom. 2. pag. 753.

(9) Gabutius De Vita Pii V. lib. 3. cap. 16. pag. 121.

(10) Constitut. 114. §. 1. Postea Paulus V. Constitut. 105. §. 2. vetuit, ne quis in publicis seu scriptis seu sermonibus affirmare auderet, Deiparam *Virginem fuisse conceptam cum peccato Originali*: quod successor ejus Gregorius XV. Constitut. 29. §. 2. ne in privatis quidem disputationibus affirmari voluit. Idem tamen §. 10. permisit viris ex familia S. Dominici, *ut in privatis colloquiis, seu conferentiis in-*

ter

stiani nominis hoste Turcarum tyranno, quam divinitus didicit eadem hora, qua parta est. Erit hæc sæculis omnibus admirationi. Nulla post hominum memoriam classis prostravit tantas opes. Sine magna Christianorum clade amplius quadraginta hostium millia cæsa, decem amplius millia capta, centum nonaginta quinque triremes, aliaque complura navigiorum genera redacta in potestatem Fœderatorum, ac plus quindecim Christianorum millia reddita libertati. Haud humanæ inde opis videri tanta victoria potuit. Itaque Deiparæ Virgini Pius acceptam referens, *Commemorationem* instituit *S. Mariæ de Victoria* Nonis Octobr. quo die Turcæ devicti, recolendam, ac *Litaniis* ejusdem Virginis inseruit *Auxilium Christianorum ora pro nobis*. (11) Vitam laudabiliter actam
An. 1572. S. 5. 6. non minus laudabili fine anno 1572. conclusit. Quadraginta totos dies tantam doloris vim ex *δυσουρία* seu difficultate & suppressione urinæ perpessus, quanta maxima cadere in hominem potest, illud frequentissime habebat in ore: *Domine adauge dolorem, sed auge etiam patientiam*. (12) Ita defixum in cogitatione una Dei, in beatam æternamque vitam mors transtulit Kal. Maji. Vixit annos octo supra sexaginta, regnavit *sexennium*, *menses tres*, *dies quatuor & viginti*, Pontifex in omni virtutum genere summus, dignusque habitus, qui a Cle-

ter se duntaxat, & non inter alios de materia ejusdem Conceptionis B. Mariæ Virginis dissererent. Vide annotat. 4. ad Sixtum IV.

(11) Pii V. *successor* Gregorius XIII. constitut. 11. ad grates agendas Mariæ Virgini instituit *Festum sanctissimi Rosarii* celebrandum in singulis Ecclesiis, ubi esset Altare *Rosarii*, Dominica prima Octobris, quo die ea victoria parta. Clemens XI. universæ Ecclesiæ commune esse voluit, & Breviario Romano Benedictus XIII. inseruit.

(12) Eminentissimus Lambertinus in Appendice ad librum primum *De serv. Dei beatif. & Beat. Canoniz*. pag. 523.

Clemente X. in Beatos & ab XI. in Sanctos referretur. (13)

CCXXVIII.

GREGORIUS XIII.

ANNO CHRISTI 1572.

MAXIMILIANI II. 8.

IN locum Pii V. anno 1572. III. Idus Maji assumtus est *Hugo Boncompagnus* Bononiensis, qui *Gregorius* XIII. appellari voluit. (1) Ubi Pontificatus insignia VIII. Kal. Junii die sacro Pentecostes rite suscepit, illico sancitum ab decessore suo fœdus contra Turcas, missis ad Christianos Principes legationibus integravit, fortissimumque instruxit exercitum, qui tamen turbante atque impediente discordia imperatorum, & cunctatione, promovit parum. Auspiciis melioribus ac totius Christianæ Reipublicæ utilitate longe maxima tria & viginti Collegia, in quibus alti atque educati juvenes *bonitatem*, *disciplinam & scientiam* docerentur, in variis Orbis Catholici regionibus erexit, annuisque reditibus stabilivit: & Romæ quidem *Germanicum* olim ab Julio III. institutum, sed postea pæne desertum, *Gra-*

Spond. an. 1572. §. 7. 8. 9.

(13) Bona lib. 2. Rer. Liturgic. cap. 2. §. 3. *Pius* V. *in postrema Missalis recognitione ab omnibus, qui Romanis ritibus utuntur, psalmum* Judica me Deus *confessioni præmitti præcepit*. Et cap. 20. §. 5. *Initium Evangelii secundum Joannem, in quo Fidei Orthodoxæ quædam veluti anacephalæosis continetur, in novissima Missalis recognitione Pius* V. *legi præcepit, cum antea certa sine lege ex sola consuetudine a quibusdam dici, ab aliis omitti pro cujusque arbitrio soleret, ut Paris Crassus testatur in Ceremoniali summi Pontificis inedito* cap. 65.

(1) *Quoniam S. Gregorium Magnum a prima ætate sibi patronum adsciverat, & die illi sacro Cardinalis creatus fuerat:* Spondanus ad an.1572. §. 7.

Græcum, *Anglicanum*, *Maronitanum* & *Romanum* Collegium Societatis Jesu, omnium gentium ac nationum Seminarium. (2) Inexhausta ejus & indefessa liberalitas Orbis nostri finibus non contenta, penetravit etiam ad gentes veteribus incognitas, & præterito primum sæculo repertas, constitutis quaternis millibus aureorum nummum, quæ usque in Japoniam quotannis mitterentur ad sustentandos eos, qui cælesti doctrina populos illos imbuerent. Henricum III. Regem Galliæ pecunia & copiis juvit adversus Hugonotos cum extraneis fœderatos. (3) Etiam Catholico Regi Philippo II. milites suppeditavit & nummos Anglis liberandis ab Elisa-
An. 1580. bethæ tyrannide. Damnatas a Pio V. Michaelis
§. 20. Baji *propositiones*, uti vocant, undeoctoginta iterum exsecratus est. Abrogavit pravam consuetudinem pingendi ac vendendi *Agnos Dei per Romanum Pontificem pro tempore existentem benedictos*, ut est in constitutione ejus secunda §. 1. Aliis subinde editis constitutionibus privilegia sacris Mendicantium Ordinibus concessa ab decessore suo accommodavit ad jus commune & Concilii Tridentini decreta. Formulam profitendæ Fidei præscripsit Græcis in communionem Romanæ Ecclesiæ recipiendis. Sacerdotes Societatis Jesu *ab interessentia supplicationum seu precum aut processionum perpetuo exemit & liberavit*, quia eos noluit *quavis ex caussa distrahi a studiis, lectionibus, prædicationibus, confessionibus audiendis, & aliis Verbi Dei ministeriis ac pietatis operibus, quibus continue laudabiliter incubuerunt & incumbere non desistunt*. (4) Remedium jamdiu optatum anno adhi-

(2) Constitutionibus 14. 42. 53. 72. 91.

(3) Hinc collige, falsum esse, quod jactarunt hæretici, Gregorium XIII. consensisse fœderi Guisiano per speciem tuendæ Catholicæ religionis inito contra Regem. Pluribus id ostendit Spondanus ad an. 1576. §. 7. & ad an. 1582. §. 5.

(4) Constitut. 36. §. 3. tom. 2. Bullarii pag. 403.

hibuit, ac tentatam sæpius ejus correctionem publicavit. (5) *Bullam in Cœna Domini* amplificavit. (6) Idem præcepit, ut B. Annæ matris Deiparæ Virginis *dies festus VII. Kal. Augusti per totius Orbis Ecclesias duplici Officio recoleretur*. (7) Ut erat vero litterarum studiis addictus, dicere solitus: *Nullum magis decere plura scire, quam Pontificem Romanum*, (8) An. 1582. S. 14.

(5) Julianum Kalendarium, quod Patres Nicæni Concilii, Dionysius Exiguus, aliique secuti sunt præstituendo diem Paschæ celebrando, annorum progressu vitio laborare compertum est. Positum enim erat pro certo, annum seu cursum Solis per Zodiacum diebus 365. & integris horis sex definiri, cum tamen hisce horis sex explendis deessent minuta amplius undecim. Factum inde, ut ex minutis his ab emendatione Kalendarii per Julium Cæsarem facta usque ad Pontificatum Gregorii XIII. & annum 1582. dies decem constituerentur, & per totidem fere dies Æquinoctium Vernum anteverteret, nec amplius in diem Martii primum & vicesimum, sed undecimum incideret. Ex quo sequebatur illud etiam, ut Pascha non amplius celebraretur, secundum Nicænæ Synodi decretum, die Dominico proxime sequente Lunam decimam quartam, quæ in ipso, vel statim post ipsum Vernum Æquinoctium, & diem XII. Kal. Aprilis illuxisset. Fecerat caussa hæc multis antea desiderium emendationis. Nam, ut de viris eruditis taceam, Concilium Constantiense anno 1414. Basileense anno 1439. & Lateranense anno 1516. ea de re agitarunt. Nicolaus pariter V. in eam curam incubuit, & triginta post annis Sixtus IV. eadem de caussa insignem Mathematicum Joannem Regiomontanum Romam accivit. Tandem Kalendarii emendandi negotium a Concilio Tridentino datum est Pontifici Romano, quod virorum eruditorum opera Gregorius XIII. feliciter absolvit. Siquidem decem dierum suppressione Æquinoctium Vernum restituit in diem suum primum & vicesimum Martii, neve rursus labaret ratio temporum, regulas præscripsit deinceps servandas. Decem autem illi dies e mense Octobri exemti sunt, & dies quintus pro quintodecimo Romæ anno 1582. habitus est, ut patet ex Gregorii XIII. constitutione 74. Plura dabunt Kalendarii explanatores.

(6) Vide annotat. 2. ad Martinum V.

(7) Constitutionibus 9. 33. 74. 81. 87.

(8) inchoatam sub Pio IV. & Pio V. Gratiani ac totius Canonici juris emendationem, cui ipse quoque navarat operam suam, absolvit, totumque Juris Canonici a mendis expurgati corpus Typis Romanis edi curavit. Exinde animum adjecit ad sacra Biblia expurganda: quod opus secundum Tridentinum decretum memorati Pontifices Pius IV. & V. aggressi fuerant. Sed ejus perficiendi laudem Sixto V. & Clementi VIII. Deus Opt. Max. reservavit. Gregorius enim post susceptos Legatos Japoniorum, expletosque ætatis annos amplius tres supra octoginta, pituita spiritum intercludente consumtus est IV. Idus April. anno Christi 1585. *duodecimo*, *mense decimo*, *& die duodetricesimo* Pontificatus. (9)

Seff. 4. de Canonicis Scripturis.

An.1585 S. 33.

CCXXIX.

(8) Apud Ciaconium in vita hujus Pontificis tom.4 pag.6.

(9) Cardinalis Lambertinus De Serv. Dei Beatif. & Beat. Canoniz. lib. 4. part. 2. cap. 26. num. 11. *Tempore Gregorii* XIII. *de* S. Felicis II. *meritis disceptabatur*, *& Cardinalis quidem Baronius stabat contra Felicem*, *pro Felice vero stabat Cardinalis Sanctorius*. *Paratæ erant pro*, *& contra Scripturæ*: *at cum* anno 1582. *pridie ejus diei*, *quo in Ecclesia recolitur natalis dies ejusdem*, *in* Diaconia *Sanctorum Cosmæ & Damiani in Foro ad Templum Pacis posita inventum fuerit ejusdem S. Felicis Corpus una cum lapideo laterculo hisce litteris exarato:* Corpus Sancti Felicis Papæ, & Martyris, qui damnavit Constantium: *Cardinalis Baronius admiratione perculsus stilum modestia Christiana repressit*, *quem zelo veritatis acuerat*; *inventisque subinde Liberii Litteris de inita ad tempus communicatione cum Arianis*, *Summus Pontifex Gregorius accessit sententiæ Cardinalis Sanctorii*, *& Nomen Felicis in* Martyrologio *Romano tamquam Martyris descriptum fuit* ad diem 29. Junii. *Rei series describitur a Cardinali Baronio* ad an. 357. num. 63. & sequentibus, *nec de Felicis Sanctitate & Martyrio ulla amplius superest dubitatio*, *cum tantum inter Eruditos disceptetur*, *utrum Martyr fuerit*, *eo quia gladio necatus est*, *an eo quia multa pro Christo pertulerit*, *uti videri potest apud Pagi Seniorem* ad an. Ch. 357. num. 17. *apud Pagi Juniorem* in Vita ejusdem S. Felicis II. num. 2. & in Responsione *Patris Papebrochii* erroribus sibi oppositis a Patre Sebastiano a S. Paulo, in Responsionibus ad art. 11. §. 16.

CCXXIX.

SIXTUS V.

ANNO CHRISTI 1585.

RODULPHI II. 9.

TERTIO die, postquam Cardinales conclave ingressi fuerant, VIII. Kal. Maji anno 1585. datus, qui præesset Ecclesiæ, *Felix Perettus* Cardinalis a Montealto e Franciscana familia, qui Sixti IV. ejusdem Ordinis Pontificis memoriam renovare cupiens, *Sixti* V. nomen assumsit. (1) Is nihil medium, sed immensa omnia volvebat animo. Japoniorum Principum Legatos, quamdiu Romæ morati sunt, basilice habuit, dimisitque donatos magnifice. Henricum Borbonium Navarræ Regem, & alterum Henricum ejus Patruelem Principem Condeum, in hæresim relapsos, & Hugonotorum in Gallia duces anathemate damnatos spoliavit jure successionis in Regnum, eorumque imperio subjectos fidelitatis sacramento solvit, ac sententiæ in ipsos latæ promulgationem omnibus Regni Episcopis imperavit. Henrico pariter III. Francorum Regi, ob necem Duci, & Cardinali Guisiis fratribus illatam, interdixit sacris. In Elisabetham quoque Angliæ Reginam, quæ Mariam Stuartam Reginam Scotiæ post duodeviginti annorum carcerem obtruncari jusserat, & Catholicos crudelius in dies insectabatur, anathema integravit, pœna eadem san-

Spond. an. 1585. §. 14. 15. 17.

An. 1585. §. 1. 5. 12. 13.

An. 1587 §. 1. 2.

An. 1588. §. 19. 21. 30. 31.

An. 1589. §. 10.

(1) Van Espen Juris Ecclesiastici part. 2. tit. 7. cap. 4. §. 21. *Primus, qui Jubilæum indixit in initio suæ assumtionis ad implorandum Dei auxilium pro bono regimine Reipublicæ Christianæ, videtur fuisse* Sixtus V. *qui mox a sua ad Pontificatum assumtione Bullam Jubilæi publicavit, exstatque in Bullario tom. 2. pag. 490.*

sancita in omnes, qui sub Regno ejus essent, si ei obtemperarent. S. Bonaventuram adscripsit Ecclesiæ Doctoribus, & S. Antonii Patavini memoriam voluit *Officio duplici* celebrari. Cardinalium numerum præfinivit, mandans, ut crearentur septuaginta duntaxat, sex Episcopi, Presbyteri quinquaginta, & Diaconi quatuordecim, atque ex iis insignes *viri in sacra Theologia magistri ex Regularibus, & Mendicantium Ordinibus, saltem quatuor, non pauciores*. (2) Congregatione Inquisitionis confirmata, alias quatuordecim instituit, maximo totius Christianæ Reipublicæ ac ditionis Ecclesiasticæ commodo atque utilitate. (3) Conversus hinc ad Dei cultum & Urbis decus augendum. Utrumque præ-
An. 1590. S. 18. 19. stitit fastigio imposito Basilicæ S. Petri, Templis magnificentius instauratis, sacris Bibliis Latinis Græcisque restitutis nitori pristino, Xenodochiis ædificatis, Fontibus deductis, viis stratis, obeliscis, (4) statuis, columnis erectis, (5) Vaticana Typographia & Bibliotheca magnificentissime constructa &

(2) Constitut. 50. §. 9. Vide Van Espen jus Ecclesiasticum Universum Part. 1. tit. 22. cap. 1.

(3) Constitut. 74. Congregatio 1. *pro S. Inquisitione*. 2. *pro Signatura gratiæ*. 3. *pro erectione Ecclesiarum & provisionibus Consistorialibus*. 4. *pro ubertate Annonæ Status Ecclesiastici*. 5. *pro sacris Ritibus & Ceremoniis*. 6. *pro classe paranda & servanda ad Status Ecclesiastici defensionem*. 7. *pro Indice librorum prohibitorum*. 8. *pro executione & interpretatione Concilii Tridentini*. 9. *pro status* Ecclesiastici *gravaminibus sublevandis*. 10. *pro universitate studii Romani*. 11. *pro consultationibus Regularium*. 12. *pro Consultationibus Episcoporum, & aliorum Prælatorum*. 13. *pro Viis, Pontibus, & aquis curandis*. 14. *pro Typographia Vaticana*. 15. *pro consultationibus negotiorum status Ecclesiastici*.

(4) Omnium maximus in Vaticana S. Petri area statutus est, basi magnificentissimæ impositus industria admirabili Dominici Fontanæ, & *Cruci invictæ* a Sixto V. consecratus.

(5) Trajana & Antoniana operis admirandi. Primæ B. Petri, secundæ B. Pauli statuas æreas, auratasque imposuit.

& exornata. Hinc nova visa Urbis facies. In Æde Liberiana sepulcrum S. Pio V. a quo in Cardinalium collegium cooptatus fuerat, beneficii memor operosum ac nobile exstruxit, corpusque ejus ex Templo S. Petri intulit magna pompa. Duos equos insignes e Pario marmore, sed injuria temporum ac Cæli admodum mutilatos, qui inscriptionibus Phidiæ & Praxitelis nomina præferunt, in monte Quirinali rara artificum industria refici jussit, & Palatium ibidem, quo Pontifices per nimios æstus secedere consueverunt, ampliavit. Lauretum donavit jure Civitatis, cinxitque mœnibus, translato in eam a Recanatensibus Episcopatu, ac Templum B. Mariæ Virgini religione frequens splendidissimum erexit, multisque donariis & ornamentis decoravit. His vero aliisque operibus adeo sumtuosis (6) tantum abest, ut ærarium hauserit Apostolicum, ut etiam quinquagies centena nummum aureorum millia reposuerit in Arce Hadriana, præsidium ut essent in summis periculis adversus Christianæ religionis hostes. (7) Hoc Pontifice nulla in Urbe, nulla extra Urbem latrocinia fuere, nullæ rapinæ, nullæ cædes, nullæ insidiæ, rara admodum aut omnino occulta meretricia & adulteria, tuta omnia: eratque illa rixosis & improbis hominibus communis vox: *Memento, Sixtum adhuc vivere*. (8) Pontifici tanto æneam statuam in Capitolio posuere Romani, fixeruntque sub ea tabulam, monumento ut esset rerum gestarum. Ecclesiam administravit *annos quinque, menses quatuor, ac dies tres*. Excessit enim anno 1590. VI. Kal. Septembr. post an-

(6) Summatim describuntur a Thuano Historiarum sui temporis lib. 100. §. 8. tom. 5. pag. 14.

(7) Vide Sixti V. constitutiones 31. 69. 80.

(8) Constitutione 6. innovavit constitutiones omnes a Pontificibus prioribus editas contra facinorosos homines, eorumque fautores.

annum vitæ nonum & sexagesimum, Pontifex splendidissimi & severissimi imperii.

CCXXX.

URBANUS VII.

ANNO CHRISTI 1590.

RODULPHI II. 14.

URBANUS VII. Romanus, qui antea *Joannes Baptista* Cardinalis *Castaneus* dicebatur, anno 1590. XVII. Kal. Octobr. ad summa Sacerdotii provectus est. Post *dies tredecim* VI. Kal. mensis ejusdem moritur, ingressus annum ætatis septuagesimum. Ea est hujus Pontificis haud minima laus, quod affines & consanguineos, qui accepto nuntio electionis ejus Romam advolabant, regredi jussit, & nulla sanguinis cognatione sibi conjunctos regimini & officiis præfecit. Cumulavit vitæ laudem præclara mors. Tanta enim fuit in morbo constantia, ut diem extremum adesse prospiciens, eum diem salutis appellaret, Deoque gratias ageret, quod eo tempore vocaretur, quo de gesto Pontificatu nondum esset rationem redditurus.

Spond. an. 1590. §. 20.

CCXXXI.

CCXXXI.

GREGORIUS XIV.

ANNO CHRISTI 1590.

RODULPHI II. 14.

NONIS Decembr. pervigilio S. Nicolai, post sedatos æstus comitiorum Urbano VII. subrogatus est *Nicolaus Sfondratus* Mediolanensis, dictusque *Gregorius* XIV. Hic paucorum mensium spatio multa de se memoranda præbuit. Sed hæc maxime elucent. Redintegravit Constitutionem Pii V. de non abalienandis aut fiduciariis dandis Romanæ Ecclesiæ terris, (1) abnuitque permittere Alphonso II. Ferrariæ Duci, qui stirps erat ultima familiæ suæ, ut Principatum ex Atestina familia alio transferret. Interdixit Sacro *Capuccinorum* Ordini, quo facilius rerum divinarum contemplationi vacarent, ne Sacramentum Pœnitentiæ administrarent. (2) Damnavit sponsiones omnes de vita, morte, electione summi Pontificis, & creatione Cardinalium. (3) *Concessit usum rubri bireti Cardinalibus ex Ordinibus Regularium*, (4) qui ad eam diem usi fue-

Spond. an. 1590. §. 21.

An. 1591. §. 2. 4. 5. 9. 12. 13.

Mm

(1) Constitut. 1. tom. 2. Bullarii pag. *699*.

(2) Constitut. *6*. ibid. pag. 707.

(3) Constitut. 4. pag. 702. *Multi siquidem cupiditate & metu jacturæ pecuniarum, illicitis modis directe vel indirecte per se vel per alium electiones seu promotiones impedire aut retardare conabantur. Alii eligendorum aut promovendorum honorem, famam & existimationem impiis, falsis ac prorsus iniquis detractionibus aut diffamationibus lædere ac lacerare non erubescunt.* Etiam *Pius* IV. constitut. 63. *prohibuerat, super futura electione Pontificis sponsiones, quas* Excomissas *vocant, fieri*.

(4) Constitut. *9*. tom. 2. Bullarii pag. 710.

fuerant biretis ejusdem coloris cum veste sua. Catholicæ Fidei studio exercitum misit in Galliam Duce Hercule Sfondrato fratris filio, ut subsidio esset Fœderatis contra Henricum Navarræorum Regem, qui adhuc in Calviniana hæresi pertinax, Galliæ Regnum adibat jure successionis. Eodem legavit Marsilium Landrianum cum mandatis, ut Ecclesiæ ministri, qui a partibus Henrici stabant, eum relinquerent intra diem quintumdecimum sub pœna anathematis, itemque ut eum quam primum desererent Regni proceres aliique: *ni parerent, loco paternæ benignitatis sensuri justitiæ severitatem*. (5) Eodemque tempore Henricum ab Regno exclusit, & Christianorum communione. Obiit Idibus Octobr. anno 1591. cum *menses ac dies decem* tenuisset Pontificatum, ac vixisset annos septem & quinquaginta.

CCXXXII.

INNOCENTIUS IX.

ANNO CHRISTI 1591.

RODULPHI II. 15.

ALTERO comitiorum die IV. Kal. Novembr. anno 1591. magna Cardinalium consensione Pontifex creatus est *Joannes Antonius Fachinettus* Bononiensis, annum ætatis agens tertium & septuagesimum. *Dum Pontificio amictu indueretur, ante omnia Bullam de non alienandis Ecclesiæ bonis confirmavit; eamque sibi præcipuam curam fore professus est, ut annona esset in Urbe copia & laxitas, & tenuioris plebis egestati subveniretur.* (1) Summa hic vir in-

Spond. an. 1591. §. 14.

(5) Spondanus ad an. 1591. §. 4.

(1) Thuanus lib. 102. §. 10. tom. 5. pag. 103. Innocentius IX. constitut. 1. §. 3. tom. 2. Bullarii pag. 727.

integritate, pari in omnibus fere facultatibus eruditione, ætate insuper & usu doctus, Urbem totam erexerat in spem haud vanam egregii Pontificatus. Sed Pontificem corpore gracilem & jejuniis affectum, multa Catholicæ Ecclesiæ bono molientem cita mors extinxit IV. Kal. Januar. *altero* Pontificatus *mense* vix exacto.

CCXXXIII.

CLEMENS VIII.

ANNO CHRISTI 1592.

RODULPHI II. 16.

CLEMENS VIII. dictus ante *Hippolytus Aldobrandinus*, Florentiæ natus, III. Kal. Februar. anno 1592. summam Ecclesiastici imperii habere cœpit. Continuo in eam incubuit curam, ut Henricum IV. Galliæ Regno deturbaret. Itaque datis litteris ad Legatum suum Philippum Sagam Cardinalem Placentinum, præfatus de meritis Regum Francorum, qui Romanis Pontificibus præsto fuerunt difficillimis etiam temporibus, mandavit, ut eligendum curaret Regem, qui pacis publicæ defensor, & Catholicæ Fidei cultor verus esset, & quam primum vires contunderet Hugonotorum. Triennio post eumdem Henricum per Legatos professum Catholicam Fidem, ac suppliciter petentem recipi in Ecclesiæ sinum, ritu solemni solvit anathemate, Regnoque restituit, & communioni Christianorum. (1) Ferrariam, totamque ejus ditionem, quæ, Alphonso II. Estensi Ferrariæ Duce ul-

Spond. an. 1592. S. 1. 4.

An. 1595. S. 9. 10.

An. 1597. S. 9. 10.

(1) Ritus & conditiones absolutionis sunt apud Spondanum ad an. 1595. §. 9. & apud Thuanum lib. 113. §. 21. tom. 5. pag. 519. & 520.

ultimo ſine liberis mortuo, redierat ad Romanam Eccleſiam, recepit a Cæſare Eſtenſi notho, qui Ducatum illum ſibi ab eodem Alphonſo teſtamento relictum uſurpaverat. (2) Ut autem recens ſub-
An. 1598. S. 1. 16. jectos ſibi populos recrearet præſentia ſua, iter eodem inſtituit, Euchariſtia de more præmiſſa, & ſeptem ac viginti Cardinalibus comitantibus. Ubique exceptus cum omni honore VIII. Idus Majas ſolemni, & ſupra quam dici poteſt, exquiſita pompa Ferrariam ingreſſus eſt, quo complures Principum Legati confluxere ad gratulandum. Inde diſcedens VI. Kal. Decembr. Romam XIII. Kal. Januar. pervenit. Idem alia egit, decrevitque bono publico. Scripturam Sacram Sixti V. auctoritate typis editam iterum corrigi juſſit, curavitque ut ſecundum Concilii Tridentini decretum *imprimeretur quam emendatiſſime*. (3) *Regularibus perſonis utriuſque ſexus omnem & quamcumque largitionem & miſſionem munerum penitus interdixit*. (4) Explicuit, quinam ſint Græcorum ritus liciti, & quinam illiciti. (5) Approbavit indicem librorum prohibitorum a Pio IV. promulgatum. (6) Cavit, ne liceret Italis morari extra Italiam, ubi Catholicis ritibus libere ac publice locus non eſſet. (7) *Jubilaum*

(2) Conſtitut 52. tom. 3. Bullarii pag. 67.
Baronius epiſtola ad Clementem VIII. præmiſſa Annalium tomo VIII. Accidit quaſi miraculum a Deo, (*his libenter utar divinæ Scripturæ verbis*, 1. Reg. XIV. 15.) *ut Ferraria ferrea plane Civitas ſine ferro fuerit expugnata, ipſo totum id agente, qui dixit* (Iſaiæ XLV. 2.) Ego ante te ibo, glorioſos terræ humiliabo, portas æreas conteram, vectes ferreos confringam, *ut plane idem, qui Petro* (Act. XII. 10.) *aperuit* portam ferream, *Ferrariæ portam Petri patefecerit ſucceſſori*.

(3) Seſſ. 4. De Canonicis Scripturis.

(4) Conſtitut. 28. §. 1. tom. 3. Bullarii pag. 40.

(5) Conſtitut. 34. ibid. pag. 46.

(6) Conſtitut. 36. ibid. pag. 50.

(7) Conſtitut. 42. §. 1. ibid. pag. 56.

lium undecimum anno 1600. celebravit. (8) Collegium Romæ erexit Scotorum commodo & institutioni. (9) Voluit ad Japonios, Sinas, aliasque Orientalium Indiarum gentes, Catholicæ Fidei propagandæ caussa, præter Sacerdotes Societatis Jesu, mitti *etiam aliorum Ordinum præsertim Mendicantium professores doctrina insignes, & vita ac moribus probatos*. (10) Statuit, nemini *licere per litteras seu internuntium Confessario absenti peccata sacramentaliter confiteri, & ab eodem absente absolutionem obtinere*. (11) Modum adhibuit Constitutioni Gregorii IV. & Sacerdotibus ex familia *Capuccinorum* facultatem concessit administrandi Sacramentum pœnitentiæ. Reprobavit eorum sententiam, qui contendebant, non licere Christianis Sacrosanctum Missæ Sacrificium in aliis, quam Parochialibus Ecclesiis audire, nec peccata aliis, quam Parocho suo confiteri, decernens eis licere utrumque, dummodo Eucharistiam die Festo Paschæ *in propria Parochia a Parocho sumerent*. (12) Anno 1594. Ludovici Molinæ liber *De concordia liberi arbitrii cum donis divinæ gratiæ* graves in Hispania Dominicanos inter & Jesuitas excitavit contentiones, cum illi assererent Molinæ doctrinam damnandam tamquam hæreticam, hi Catholicam esse acriter constanterque defenderent. Ex Hispania ad Clementem delata controversia est, quam ut finiret, ferventissimarum *de auxiliis divinæ gratiæ* concertationum spectator ipse & auditor esse voluit una cum Cardinalibus, & viris Theologiæ peritissimis ex Ordini-

 bus

(8) Constitut. 58. tom. 3. Bullarii pag. 73.
(9) Constitut. 73. ibid. pag. 101.
(10) Constitut. 74. §. 2. ibid. pag. 104.
(11) Constitut. 87. §. 1. ibid. pag. 132.
(12) Recitat hoc Clementis VIII. decretum Berninus in sua hæresum omnium historia tom. 4. pag. 575. ex Francisci Bonæspei *Parochiali* dub. 10. pag. 171. Vide annotat. 4. ad Innocentium III. ac vitam Alexandri IV. & Joannis XXII.

bus Cœnobitarum. Verum anno 1605. nono & sexagesimo ætatis, indicta jam trigesima octava *De auxiliis* disputatione, morbo correptus V. Nonas Martii naturæ concessit post *annum tertium decimum, mensem primum ac diem tertium*, quam Pontifex creatus erat. Viros doctos impense coluit, & summis in Ecclesia dignitatibus exornavit, inter quos fama pietatis & eruditionis eminent Baronius, & Bellarminus.

CCXXXIV.

L E O XI.

ANNO CHRISTI 1605.

R O D U L P H I II. 29.

ANTEQUAM Cardinales Pontificem sufficerent in locum Clementis VIII. jurejurando obligati convenere inter se, ut quicumque cooptaretur, is controversiam de *Auxiliis* dirimeret. Cooptatus est Kal. April. anno 1605. *Alexander Mediceus* septuagenarius, appellatusque *Leo* XI. qui tamen *sexto & vicesimo* Pontificatus die, V. Kal. Majas morte oppressus non potuit præstare, quod promiserat, (1)

Spond. an. 1605. §. 1. 2.

CCXXXV.

(1) Baronius ad an. 1187. §. 20. Augustinus le Blanc Hist. Congregat. *De Auxiliis divinæ gratiæ* lib. 4. cap. 1.

CCXXXV.

PAULUS V.

ANNO CHRISTI 1605.

RODULPHI II. 29.

POST mortem Leonis XI. Cardinales comitia Pontificia habuerunt non sine contentione. Spond. an. 1605. §. 2.
Ante diem XVII. Kal. Junii anno 1605. Pontificem creant *Camillum Burghesium*, qui *Paulus* V. dici voluit. Hic statim controversiæ de *Auxiliis* dirimendæ curam suscepit. Verum post sexdecim habitas congregationes suspensa omnia reliquit, indicto utrique parti silentio. An. 1606. §. 1. 2. 4. Per idem tempus inter eum & Rempublicam Venetam controversia exstitit. Caussam dedere Clerici duo a Decemviris in judicium vocati ob gravissima crimina, & carcere detenti, insuper delata ad Pontificem duo Senatus Consulta, quorum altero Ecclesiasticis omnibus interdicebatur facultate acquirendi res non moventes, altero autem cavebatur, ne Ecclesiæ, Xenodochia, Monasteria extruerentur, neve Religiosorum novi cœtus ac societates instituerentur Senatu inconsulto. Controversia utrinque disceptata, eoque demum res devoluta, ut in Imperium omne Venetum interdictum Ecclesiasticum indiceretur. An. 1607. §. 2.
Sed mox Henrici IV. Galliarum Regis opera dissidium, interdictumque sublatum. (1) Eodem tempore damnavit Paulus formulam jurisjurandi ab

Mm 4 Ja-

(1) Hæc omnia ex Andreæ Mauroceni Hist. Rer. Venet. lib. 17. cujus initio ita profert memorata duo Senatus Consulta: *alterum anni 1605. XVII. Kal. Aprilis, quo cavetur, ut, quod a majoribus anno 1536. in Venetiarum Civitate ac Ducatu sancitum fuerat, id in reliquis Reipublicæ Civitatibus ac*

Jacobo I. propositam Britannis, cujus summa erat, ut eum haberent pro Rege Britanniæ legitimo ac supremo, profitentes, ne Pontificem quidem Romanum posse ei Regnum abrogare. Catholicæ Fi-
An. 1610. §. 9. dei propagationi ac defensioni consulturus edixit, *ut in cujuslibet Ordinis & Instituti Regularium Studiis omnibus* essent *Linguarum Hebraicæ, Græcæ, & Latinæ, in majoribus vero ac celebrioribus etiam Arabicæ Doctores*. (2) Constitutioni, quam vocant *in Cœna Domini*, Comaclum inseruit. (3) Vaticanum D. Petri templum absolvit porticu, aliisque operibus adjunctis. Vaticanam quoque Bibliothecam amplificavit, ornavitque. In Basilica Liberiana sacellum splendidissimum ædificavit Virgini Deiparæ, *Burghesium* postea dictum ab ejus cognomine. Vias stravit, fluvios pontibus junxit, & aquam in agro Braccianensi saluberrimis fontibus collectam, veteribus aquæ Alsietinæ ductibus restitutis, novisque adjectis, XXXV. ab milliario duxit in Janiculum,
An. 1621. §. 1. Urbemque *Leoninam*. (4) Acquievit anno ætatis sexagesimo nono, Christi 1621. V. Kal. Februarii post *annum* Pontificatus *quintum decimum, mensem octavum, diemque duodecimum*.

CCXXXVI.

ac ditionibus servaretur, ut nullus testamento, venditione, aliave caussa bona immobilia perpetuo Ecclesiasticis relinquere, vendere, alienare inconsulto Senatu queat: biennio transacto bonis divenditis pretia eisdem pro Legatis venditis assignentur: alterum anni 1603. IV. Idus Januarii, quo ne Ecclesiastica Xenodochia, monasteria exstrui, neve novi Religiosorum cœtus, ac societates absque Senatus permissu induci possint, gravissimis pœnis prohibetur. Eadem habet Ignatius Hiacynthus Amat de Graveson in Hist. Eccl. tom. 8. colloquio 2.

(2) Constitut. 65. § 2. tom 3. Bullarii pag. 252.

(3) Constitut. 63. §. 20. Ibid. pag. 250.

(4) Lege vitam Leonis IV. pag. 258.

CCXXXVI.

GREGORIUS XV.

ANNO CHRISTI 1621.

FERDINANDI II. 3.

GREGORIUS XV. cui *Alexandro Ludovisio* antea nomen, Bononiensis, annum natus septimum & sexagesimum, V. Idus Februarii anno 1621. Pontifex dictus est. Huic & fœdus Christianorum Principum contra Turcas, & conversio Protestantium ad Fidem Catholicam cura fuit. Quare & Ferdinandum Cæsarem bellum gerentem cum his, & Sigismundum Regem Polonorum pugnantem cum illis milite juvit, & pecunia. Eamdem ob rem instituit Cardinalium Congregationem *De Fide Catholica propaganda*. Ut autem ab Italia, quæ Christianæ religionis sedes est, non disciplinam modo, sed etiam exemplum peterent nationes aliæ, integrata Clementis VIII. Constitutione, ne Itali extorres manerent in locis, ubi haud liber Catholicæ religionis cultus esset, aliam ipse promulgavit adversus hæreticos in Italia & adjacentibus insulis commorantes, fautoresque eorum. (1) Tanto Gregorii studio in propagationem veritatis Catholicæ, ejusdemque relictæ cura remordente excitatus Marcus Antonius de Dominis Archiepiscopus Spalatensis, post moram annorum sex apud Britannos petiit errati veniam, obtinuitque, cum prius edito libro damnasset scripta sua adversus Ecclesiam Romanam. Itaque Romæ ab Gregorio exceptus peramanter: sed non multo post rediit ad

Spond. an. 1621. S. 1.

An. 1622. S. 1. 2. 3. 10.

(1) Constitut. 28. tom. 3. Bullarii pag. 425.

ad mores pristinos. (2) Idem Gregorius jussit, *Festum S. Annæ ab omnibus Christifidelibus, sicut alia Festa de præcepto celebrari*, & Festum S. Joachimi S. Annæ conjugis coli *Officio* ac *ritu Duplici*. (3) Beatos Ignatium institutorem Societatis Jesu, Franciscum Xaverium Indiarum Apostolum, Philippum Nerium, Isidorum Hispanum agricolam, atque Theresiam una eademque celebritate in concilio Sanctorum collocavit. Præscripsit comitiorum Pontificiorum rationem & ceremonias, (4) ac decessoris sui Pauli V. decretum *De Virginis Conceptione*
An. 1623. §. 11. amplificavit. (5) Confirmata quoque ampliataque constitutione Pii IV. inhibuit Sacerdotes, qui administrantes Sacramentum Pœnitentiæ quovis modo solicitarent Pœnitentes ad turpia. (6) Huic *biennii ac*

(2) Moriturus rediit ad se iterum, obiitque pœnitens. Nihilominus corpus ejus una cum scriptis ejusdem impiis combustum est in Campo Floræ. Spondanus ad an. 1624. §. 2.

(3) Constitut. 24. §. 2. & constitut. 39. §. 1.

(4) Constitut. 13. & 19. quas Urbanus VIII. ejus successor confirmavit constitutione 47. Tres præscribuntur rationes eligendi Pontificem Romanum, quæ servantur ad hodiernam diem, prima per *scrutinium*, sive *scrutinium & accessum*, secunda per *compromissum*, tertia per *quasi inspirationem*. Primo modo fit electio, si ex partibus tribus suffragiorum duæ ferantur, exempli gratia sex ex novem. Hoc modo suffragia laturi Cardinales conveniunt bis in dies singulos, mane post Missæ sacrum, & vespere post hymnum *Veni Creator Spiritus*. Secundo modo fit, cum Cardinales de eligendo Pontifice discrepantes unum vel plures eligunt ex Ordine suo, quorum ad arbitrium judiciumque electio redeat. Tertio modo, cum Cardinales quasi Spiritus Sancti numine afflati aliquem unanimiter & una voce, nullo penitus dissentiente, pronuntiant summum Pontificem. Vide Martinum Bonacinam *De legitima Pontificis electione* disputat. 1. quæst. 5. & annotationes in Gregorii XV. Constitut. ab *Hieronymo Ghetto* scriptas Italice.

(5) Vide annotat. 10. ad S. Pium V.

(6) Constitut. 34. §. 4. *Statuimus, quod omnes & singuli Sacerdotes .... qui personas, quæcumque illæ sint, ad inhonesta sive*

ac mensium quinque Pontificatus fuit. Obiit anno 1623. VIII. Idus Julii.

CCXXXVII.

URBANUS VIII.

ANNO CHRISTI 1623.

FERDINANDI II. 5.

OCTAVO Idus Augusti *Maphæus Barbarinus* Florentinus, annos sex & quinquaginta natus, litteris apprime excultus, nec infimi inter Spond. an. poetas nominis, Gregorio XV. successor datur, 1623. §. 11. diciturque *Urbanus* VIII. Hic anno Pontificatus ter- An. 1625. tio magnum *Jubilæum* duodecimum celebravit. §. 1. Hunc quoque tenuit observantia illorum, quæ superiores Pontifices constituerant, gravi decreto vetantes, ne jus esset, quidquid in posterum rediret ad Pontificem, jure beneficiario possidendum aliis rursus concedere. Itaque audito, Ducem An. 1626. §. Urbinatem Franciscum Mariam Roboreum gravem 2. jam ætate post mortem unici filii decrevisse Principatum restituere Apostolicæ Sedi, unde fiduciarium diu obtinuerat, ejus possessionem adivit, & loca præsidiis firmavit. Arcem in Bononiensium finibus condidit, quam *Urbanam* dixit ab suo nomine. Consecravit Vaticanam Ædem in amplissimi Tem-

sive inter se, sive cum aliis quomodolibet perpetranda in actu Sacramentalis Confessionis, sive antea, vel post immediate, seu occasione vel prætextu Confessionis hujusmodi, etiam ipsa confessione non secuta, sive extra occasionem Confessionis in Confessionario, aut in loco quocumque, ubi Confessiones Sacramentales audiuntur, seu ad Confessionem audiendam electo, simulantes ibi Confessiones audire, solicitare vel provocare tentaverint, aut cum eis illicitos & inhonestos sermones, sive tractatus habuerint, in Officio S. Inquisitionis severissime puniantur.

Templi formam a Pontificibus prioribus redactam, opus vel in antiqua magnificentia Urbis conspiciendum. Sepulcrum Apostolicum ærea mole decoravit. (1) Archigymnasium quoque Romanum, quod *Sapientiam* appellant, amplificavit ornavitque. Collegium *De propaganda Fide* a fundamentis erexit, *Urbanum* inde appellatum. Arcem Hadrianam novis operibus munivit, Urbemque *Leoninam* muris & propugnaculis circumdedit. Vaticanam Bibliothecam Græcis MSS. codicibus locupletavit. Breviarium Romanum expurgatum edidit. Pontificale item Romanum, & Hymnos sacros emendavit. Martyrologium quoque sua auctoritate recognitum publici juris fecit. Primus Romanorum Pontificum a Regibus Congi per oratorem Joannem Baptistam Vives solemne Christianæ obedientiæ juramentum accepit. Plures dies festos abolevit, tum quod pauperes eorum *multitudinem ob quotidiani victus laboribus suis comparandi necessitatem sibi valde damnosam conquererentur*, tum quod *ipsa multitudine* populus uteretur non religionibus colendis, sed vitiis. (2) Disceptari voluit controversiam, possetne Sacramentalis Confessio laicis etiam, non solum autem Sacerdotibus fieri necessitate premente. (3) Auxit *Eminentissimi* titulo Cardi-

(1) Usus in id æneis lacunaribus sublatis ex Pantheone, quæ post tot irruptiones, direptionesque barbarorum adhuc supererant. Hinc vanum illud: *Quod non fecerunt barbari, fecerunt Barbarini*. Vide pag. 514.

(2) Constitut. 164. §. 1. tom. 4. Bullarii pag. 230.

(3) Eam excitarat Sacerdos nescioquis missus ad Sinas lege Christiana imbuendos, ut si responsum esset, id fieri licere, viam facilem aperiret audiendis Confessionibus pœnitentium feminarum, quæ illic custodiuntur arctissime. At non fuit valde laborandum Romanis Theologis, ut adversum allatos ex Canonico jure locos evincerent, potestatem retinendi ac remittendi peccata solis Sacerdotibus factam fuisse a Christo Domino. Rem totam explicate narrat

dinales, Archiepiscopos tres Electores Imperii, & Magnum militiæ Melitensis Magistrum, vetuitque, ne Cardinales se aliter appellari sinerent nisi ab Regibus & Senatu Veneto, cujus par regiæ dignitas esset. Eum mors abstulit IV. Kal. Augusti anno 1644. post expletos in Pontificatu annos *unum & viginti, novem minus diebus*. An. 1630. S. 8. An. 1644 S. 2.

CCXXXVIII.

INNOCENTIUS X.

ANNO CHRISTI 1644.

FERDINANDI III. 8.

AD Pontificiam dignitatem XVII. Kal. Octobr. promotus est *Joannes Baptista Pamphilius* Romanus, dictusque *Innocentius* X. Sub initium Pontificatus ejus exortum bellum Creticum, quod per annos quinque & viginti adversus Turcas Veneti fortiter gessere. His, quamdiu regnavit, Innocentius triremes suas auxilio misit, subsidiaque alia aliunde impetravit, ac *Jubilaum* indixit paci Superum exposcendæ. Idem ratum jussit decretum sacræ Congregationis Ceremoniarum, præcipiens *Cardinalibus etiam quacumque natalium seu praecellentium aliarum dignitatum prærogativa insignitis, quod solo nomine* Cardinalis, *absque ullo sæcularis dignitatis additamento contenti, non aliis Titulis nuncupentur, nec uti possint, quam* Eminentissimi, *&* Reverendissimi, *nec non* Eminentiæ Reverendissimæ. (1) Reprobavit Spond. an. 1644. S. 3.

rat Marcus Bataglini in Annal. Sacerdotii & Imperii Italice scriptis ad an. 1637. §. 10. & seq. Vide D. Thomam in Supplemento 3. Part. quæst. 8. art 2. & Joannem Morinum in Commentario Historico De administratione Sacramenti Pœnitentiæ lib. 8. cap. 24.

(1) Constitut. 2. §. 1. tom. 4. Bullarii pag. 238.

vit pacem inter Cæsarem, Gallos, & Suecos peractam Osnabrugæ, tamquam probrosam Imperio, & noxiam Christianæ rei. Castrum Duci Parmensi ademtum adjunxit Romanæ ditioni. Edidit constitutionem, ut tollerentur Cœnobia omnia in Italia, *in quibus ob parvum numerum Religiosorum regularis disciplina, juxta peculiaria cujuslibet Ordinis Instituta, servari non posset*, facta Episcopis facultate reditus eorum in sacros usus alios convertendi arbitrio suo. (2) Præter quinque *propositiones* depromtas ex libro Cornelii Jansenii Episcopi Iprensis, qui inscribitur *Augustinus*, damnavit etiam librum *De magnitudine Romanæ Ecclesiæ, & SS. Petri & Pauli supremo Pontificatu*, cujus auctor facit Paulum æqualem Petro in Ecclesiæ administratione. (3) Nec satis habuit damnasse insanam doctrinam; sed etiam præcepit viris doctis, ut eam scriptis labefactarent. Anno 1650. Magnum *Jubilæum* tertium decimum celebravit, & quinto post anno 1655. VII. Idus Januar. decessit, functus Pontificatu per *decennium ac menses tres, diesque tres supra viginti*.

CCXXXIX.

(2) Constitut. 27. §. 2. tom. 4. Bullarii pag. 281.
(3) Constitut. 31. ibid. pag. 287.

CCXXXIX.

ALEXANDER VII.

ANNO CHRISTI 1655.

FERDINANDI III. 19.

CUM aliquandiu inter Cardinales Pontifici creando congregatos certatum esset sententiis adversis, VII. Idus April. Pontifex renuntiatur *Fabius Ghisius* Senensis, qui *Alexandri* VII. nomen sibi imposuit. Occupatus in Urbe ornanda ædificiis & molibus, incubuit præsertim in curam Christianæ Religionis. *Propositiones* quinque depromtas ex libro Jansenii supra memorato iterum exsecratus est, & aliorum Auctorum quinque & quadraginta damnatis, sanxit morum disciplinam. (1) Isaacum Peyrerium simul Calvini sectam, simul librum *de Praadamitis*, quem paullo ante ediderat, damnantem, & veniam suppliciter deposcentem admisit in communionem Ecclesiæ. (2) Superiorum Pontificum decreta de Conceptione Deiparæ Virginis rata jussit esse, adjectis pœnis in eos, qui contra facerent. (3) *Indulsit, ut Dei Servus Franciscus de*

(1) Constitut. 28. §. 1. Constitut. 162. §. 1. & Constitut. 167. §. 1. tom. 1. Bullarii pag. 238. 405. & 409.

(2) Peyrerium confutarunt Joan. Conr. Dannhawerus in eo libro, cui titulus *Praadamita Utis*, sive *Fabula primorum hominum ante Adamum conditorum explosa*, Eusebius Romanus (*Philippus Priorius*) in *Animadversionibus in librum Præadamitarum*, & Natalis Alexander in Hist. Eccl. Veteris Testamenti tom. 1. Dissertat. 3. art. 1. pag. 57.

(3) Constitut. 117. §. 4. *Decreta a Romanis Pontificibus Prædecessoribus nostris, & præcipue a Sixto* IV. *Paulo* V. *&* *Gregorio* XV. *edita in favorem sententiæ asserentis, animam B.* Mariæ Virginis *in sui creatione & in corpus infusione Spiritus*

de Sales olim Episcopus Genevensis in posterum Beati *nomine nuncuparetur, ejusque corpus & Reliquiæ venerationi Fidelium exponerentur.* (4) Reginam Suecorum Christinam, florentibus annis abdicato Regno, rejectaque Bruxellis hæresi, venientem Romam, ut in Sede Orthodoxæ Religionis domicilium sibi perpetuum collocaret, lætus excepit honore generis omnis. Venetam Rempublicam laborantem bello Cretico adjuvit pecunia & milite. Præsto fuit Leopoldo Cæsari in Hungaria & Transilvania eorumdem Turcarum impetum ægre sustinenti. Carolo quoque Emanueli Sabaudiæ Duci pugnanti adversus hæreticos accolas vallium Alpinarum, Regique Poloniæ armis Suecorum pæne oppresso tulit auxilium. Abolevit officium Subdiaconorum Apostolicorum ministrantium Pontifici rem divinam facienti, ad quod utpote venale aditus erat etiam minus dignis. In eorum locum suffecit Sacræ Romanæ Rotæ Auditores, concessa eisdem veste coloris violacei, & sportulis Palatinis: idemque jus esse voluit singulis Canonicis trium

tus Sancti gratia donatam, & a peccato Originali præservatam fuisse, nec non in favorem Festi & cultus Conceptioni ejusdem Virginis Deiparæ, secundum piam istam sententiam, ut præfertur, exhibiti innovamus, & sub censuris & pœnis in eisdem Constitutionibus contentis observari mandamus.

Cardinalis Lambertinus De Serv. Dei Beatif. & Beat. Canoniz. lib. 1. cap. 42. num. 14. Ex Constitutionibus *Sixti* IV. *S. Pii* V. *Pauli* V. *Gregorii* XV. *Alexandri* VII. *& Clementis* XI. *quæ in unum collectæ legi possunt* in Notis *ad Gulielmum Estium* tom. 2. editionis Neapolitanæ anni 1720. *pag.* 8. *clare desumitur unanimis eorum propensio erga sententiam, quæ Beatam Virginem Mariam a peccato originali servatam in sua Conceptione adstruit atque confirmat.* Vide annotat. 4. ad Sixtum IV. & 9. ad S. Pium V.

(4) Constitutione 118. §. 3. tom. 5. Bul. pag. 348.

Memoratus Card. Lambertinus lib. cit. cap. 24. num. 5. *Prima solemnis Beatificatio, quæ facta fuit in Basilica Vaticana, fuit illa Servi Dei, nunc Sancti Francisci Salesii; & expleta fuit* die 8. Januarii 1662.

trium majorum Basilicarum. Cardinalibus vero interdixit usum coloris nigri ac lugubris, quo dolorem ex necessarii alicujus obitu testabantur. Post annum ætatis nonum & sexagesimum, Pontificatus *duodecimum*, *mensem unum*, ac *diem decimum quintum*, XI. Kal. Jun. anno 1667. mortem oppetiit, cujus monumentum, feretrum ipsum in eodem, in quo degebat, cubiculo vivens habere voluit.

CCXL.

CLEMENS IX.

ANNO CHRISTI 1667.

LEOPOLDI I. II.

JULIUS *Rospiliosius* Pistoriensis, annos natus novem supra sexaginta, XII. Kal. Quintil. deligitur præses summus gentium Christianarum, appellaturque *Clemens* IX. Ei statim gravis est adversaria parata incredibilis quædam expectatio, quam non solum sustinuit, sed etiam vicit. Nam pietate fuit singulari, omnes facile admisit, in Vaticana Æde Sacramentum Pœnitentiæ administravit, totus caussarum, non hominum, justitiam lenitate temperatam servavit, tantasque virtutes sequentem gloriam despexit. Periclitanti Candiæ ut subsidia mitteret, nihil intentatum reliquit, operamque diligentem impendit, ut Christianos Reges redigeret in concordiam. Cum pauperibus gessit se quam largissime, cum suis, quos maxime diligebat, quam parcissime, oblatasque fratris sui filiis nuptias nobilissimarum ditissimarumque feminarum recusavit, tota aula obstupescente, & invictam ejus erga nepotes severitatem admirante. Beatis adscripsit Rosam Virginem Limensem Ordinis S. Dominici, San-

ctis Petrum de Alcantara ex familia S. Francisci, & Mariam Magdalenam *de Pazzis* Florentinam Ordinis Carmelitarum. Gravi & periculosa ægritudine decumbenti vitam ademit additus dolor Candiæ post oppugnationem per triennium toleratam amissæ. Desideratus est anno 1669. V. Idus Decembr. cum *annos duos, menses quinque & dies undeviginti* Pontificatum obtinuisset.

CCXLI.

CLEMENS X.

ANNO CHRISTI 1670.

LEOPOLDI I. 14.

QUEM Clemens IX. vaticinatus fuerat moriens fore successorem suum, is post extracta in quintum mensem comitia III. Kal. Majas anno 1670. Pontifex eligitur, *Æmilius Alterius* Romanus. Octoginta fere natus erat annos. Pontificatum ob ætatem excusanti Cardinales vix demum persuasere, ut pateretur se Pontificem pronuntiari. Dictus est *Clemens* X. memor beneficii accepti a Clemente IX. a quo quinque ante mensibus in Cardinalium Ordinem adscriptus fuerat. Curam intendit ad constituendam Ecclesiasticam disciplinam. Absolvit inchoatam ab decessore suo restaurationem Basilicæ *Liberianæ* seu *S. Mariæ Majoris*. Orta inter Oratores Principum diffidia composuit, & recusavit *Cæsaris* nomen tribuere Regi Moschorum, id roganti per Legatum Romam missum. *Jubilæum* solemne decimum quartum anno 1675. celebravit, eodemque anno, ad augendam Christianorum pietatem, honores sacros decrevit Martyribus *Gorcomiensibus* dictis ab loco necis illatæ,

qui

qui superiore sæculo apud Belgas mortem obierant affecti genere vario suppliciorum, quod confirmarent *Primatum* Pontificis Romani, & assererent verum Christi corpus contineri in Eucharistia. Idem Polonis, quos Turcæ premebant, auxilia misit, liberalis in omnes, præterquam in nepotes. Regnare desiit anno insequente XI. Kal. Augusti *sexennio, mensibus duobus, diebus ternis vicenisque*, quam D. Petri sedem tenere cœperat.

CCXLII.

INNOCENTIUS XI.

ANNO CHRISTI 1676.

LEOPOLDI I. 20.

DUOBUS ipsis mensibus a morte Clementis X. ante diem XI. Kal. Octobr. in locum ejus, approbantibus cunctis, substitutus est *Benedictus Odeschalchius* Comensis. Delatum sibi honorem diu multumque recusavit. Innocentius X. unum & triginta ante annos Cardinalem crearat, eamque ob rem *Innocentius* XI. dici voluit. Nomen æquavit vitæ integritate, constantia animi tempora difficilia & periculosa Reipublicæ Christianæ. Pontificatu inito edixit palam, se novos Regum Oratores non admissurum, nisi jus abdicarent immunitatis, quæ plus nimio detrimento esset vectigalibus publicis, & peccandi licentiam in dies augeret sontibus meritæ pœnæ exemtis, adjecta anathematis pœna, si quis exinde uteretur jure eo. Edictum hoc Cardinalium fere omnium assensu conscriptum anno demum 1687. promulgavit. (1) Offensus ob id Gal-

(1) Constitut. *Cum alias* 19. in Continuatione Bullarii part. 1. pag. 64.

liarum Rex Ludovicus XIV. Romam extra ordinem legavit Henricum Carolum Lavardinum stipatum armatorum multitudine, ut terrore objecto possessionem retineret juris antiqui. Sed non fregere minæ Innocentium, qui illas adeo neglexit, ut Legatum ne in conspectum quidem admittere unquam voluerit. Quin Ædis S. Ludovici usum interdixit, quod in ea rebus divinis nocte Natali Christi Domini interfuisset Lavardinus, ob usurpatum jus immunitatis positus extra Ecclesiæ communionem. Quare menses decem septemque Romæ frustra commoratus, revocatur in Galliam. Neque interim Innocentius dimiserat ex animo curam rerum aliarum. Namque eadem prorsus constantia obstitit eidem Christianissimo Regi, extendere volenti jus *Regaliæ* ad Ecclesias Regni sui onere hujusmodi immunes. (2) Principes summos fœderatos contra Turcas, & periculosissimum sustinentes bellum adjuvit pecunia, & fusis præsertim ad Deum precibus. Hinc Poloni Cameneciam receperunt, Veneti Peloponnesum, Cæsar non solum ab sede sua, Viennæ obsidione soluta, imminens periculum propulsavit, sed etiam Hungaria pæne tota potitus est, ingenti Turcarum exercitu magna strage cæso, fugatoque. Tantam victoriam secundum Deum Virgini Deiparæ protegenti sospitantique Christianum populum acceptam referens Innocentius, stata die Sanctissimo *Mariæ* nomini consecrata præcepit, ut quotannis beneficii tam insi-

gnis

(2) Sfondratus in Gallia Vindicata Differtat. 1. §. 1. num. 2. pag. 4. *Regalia nihil aliud est*, *quam* jus & facultas Regibus concessa fructus, & proventus vacantis Episcopatus, cujus electio ad Regem pertineat, percipiendi, & beneficia, ac præbendas curæ animarum expertes interim conferendi. *Jus Regaliæ si latius sumatur*, *ex quatuor juribus conflatur*, *videlicet* eligendi, investiendi, beneficia vacantia conferendi, percipiendique fructus, ac proventus temporales.

gnis memoria ab Ecclesia universa recoleretur: ac Joanni Poloniæ Regi, cujus præsertim virtute egregia peracta res tanta est, Ensem misit & Galerum munus imperatoris clari meritis in rem Christianam. (3) Gaudium hoc Innocentii cumulavit reducta in Britanniam ab Jacobo II. Romana religio. Verum haud diuturna fuit lætitia ea. Siquidem Britanni ferentes iniquo animo ritus Romanos, Jacobum Regno expulerunt, simulque omnes, quos parte aliqua contigerat suspicio favoris in Regem. Profugum una cum uxore & filio parvulo liberalissime suscepit Rex Christianissimus, eam ob rem ab Innocentio commendatus, cui illud etiam datum laudi, quod Hugonotos coegit aut sectam, aut Galliam deserere. Sed eam primam Innocentius fecerat curam suam, ut Ecclesiastica disciplina ad priscos redigeretur mores. Suis tantum abest ut largitus aliquid unquam sit, ut etiam ab ipsis nummos quotannis persolvi voluerit erogandos in pauperes, aut in apparatum belli contra Turcas. Renovato Alexandri VII. decreto edixit, ut Ordinibus sacris initiandi in locum ab hominum frequentia remotum secedentes, spiritui exercendo juxta D. Ignatii institutum vacarent per dies denos. Dicatis Deo Virginibus musicen prohibuit. Feminas cultum lasciviorem affectantes Templis amovit. Moralem Christianorum disciplinam rexit, quinque & sexaginta *propositionibus* damnatis. Damnavit quoque Michaelis Molinos Hispani Presbyteri simulatoris turpissimi errores & scripta. Omnino legibus, institutis, decretis rem Christianam insigniter munivit atque ornavit. Per *annos duodecim*, *menses decem*, *dies duos & viginti* Pontifex fuit exempli recti domi, forisque, & pro caussa Ecclesiæ expertæ virtutis, dignusque habitus, quem hæretici ipsi ferrent laudibus.

(3) Vide annotat. 5. ad S. Pium V. pag. 533.

bus. Anno vitæ octavo post septuagesimum pridie Idus Augusti 1689. extinctus est, reviviscens ac reflorescens in annos æternos.

CCXLIII.

ALEXANDER VIII.

ANNO CHRISTI 1689.

LEOPOLDI I. 38.

PRIDIE Nonas Octobris ad curam Ecclesiæ Catholicæ admotus est *Petrus Ottobonus*, Marci Equitis Venetæ Reipublicæ Magni Cancellarii filius, Brixiæ olim Episcopus, doctrina, & rerum experientia clarus, & *Alexander* VIII. appellatus est. Gratus in patriam Venetis affirmavit jus antiquum exigendi decumas Clericorum ab *Innocentio* XI. interdictum, gerentesque bellum contra communem hostem Turcam juvit classe. *Francisco Mauroceno* Principi Ensem misit & Galerum, mitti solitum a Pontifice donum summis tantum imperatoribus ob singularia merita in Religionem Christianam. Jus perpetuum eisdem impertiit eligendi Episcopos atque Archiepiscopos Urbium, quas cepissent de Turcis. Liberalis simul erga Antistitem Templi D. Marci, quem *Primicerium* appellant, dignitatem ejus potestatemque munivit & amplificavit. Utebatur hic usque ab *Joanne Particiatio* Principe Venetiarum XI. (1) insignibus Episcopali-

(1) *Joannes Particiatius* (vulgo *Participatius* anno Christi 829.) *Princeps declaratus publicam administrationem a divinis orsus fanum Ducario propinquum statuit, in quod rite dedicatum ex minori sacello* (D. Marci) *Evangelistæ corpus est translatum, lectique ex omni Clero aliquot, qui rem ibi divinam facerent; his Antistes datus, quem* Primicerion *hodie vo-*

libus, & in templis suis benedicebat populo, præficiebatque Sacerdotes sacris confessionibus audiendis more Episcoporum: tum *Tonsuram Primam* conferebat Clericis sibi subjectis, Ordinibusque ceteris initiandos datis litteris dimittebat ad Episcopos. Multorum usu sæculorum hæc jam asserta non confirmavit modo Alexander, sed auxit quoque, ut *Primiceriis* Templi D. Marci ad quatuor Minores Ordines promovendi Clericos suos in posterum esset facultas. Ad hæc B. *Laurentium Justinianum* primum Venetiarum Patriarcham, pietate inclytum & doctrina adscripsit in Sanctos, quo honore auxit etiam Joannem a S. Facundo Ordinis Eremitarum S. Augustini, Joannem a Capistrano, Paschalem Baylonium ex familia S. Francisci, & Joannem de Deo auctorem Ordinis Sacerdotum inservientium Xenodochiis. Idem rem difficillimam obtinuit jam tentatam ab decessore suo, ut Regum Oratores dimitterent jus antiquum immunitatis, utque Rex Christianissimus Apostolicæ Sedi restitueret Avenionem Urbem & circumjectam regionem, quam occuparat ad Innocentium emolliendum. Suscepta morum correctione, damnavit *Peccatum Philosophicum*, atque unam & triginta *propositiones*. (2) Obiit annum ætatis agens

 octo-

vocant. Fuit res ipsa omnino tenuis ab initio, nec præsenti opulentiæ, & magnitudini, qua hodie moles ipsa laborat, quidquam habuit simile. M. Ant. Sabellicus Rerum Venetarum Decadis primæ lib. 3. pag. 34.

(2) D. Thomas 1. 2. quæst. 71. art. 6. ad 5. *A Theologis consideratur peccatum præcipue secundum quod est offensio contra Deum: a Philosopho autem morali secundum quod contrariatur rationi: & ideo* Augustinus *convenientius definit peccatum ex hoc, quod est* contra legem æternam, *quam ex hoc quod est* contra rationem, *præcipue cum per legem æternam regulemur in multis, quæ excedunt rationem, sicut in his, quæ sunt fidei*.

Idem supra art. 2. ad 4. *Quidquid est contra rationem artificiati, est etiam contra naturam artis, qua artificiatum produ-*

octogesimum primum, 1691. Kal. Februar. circumactis Pontificatus *mensibus quindecim*, *diebus sex & viginti*.

CCXLIV.

INNOCENTIUS XII.

ANNO CHRISTI 1691.

LEOPOLDI I. 40.

MENSES amplius quinque discordia tenuit Cardinales collectos in comitiis Pontifici creando. Tandem IV. Idus Jul. suffragia cuncta consensere in *Antonium Pignatellum* Archiepiscopum Neapolitanum, illustri ibidem genere natum, virum tantæ potestati parem. Pontifex renuntiatus est nomine *Innocentii* XII. Æmulatus virtutes decessoris sui Innocentii XI. meditatum ab eo opus perfecit, quo laudes expressit ab hæreticis ipsis. Constitutionem condidit promulgavitque manu testatam Cardinalium, quâ regnantium Pontificum consanguineos vetuit ditari Ecclesiæ bonis, decernens ut Pontificibus in suos laborantes inopia ita liberalibus esse liceret, tamquam subvenirent necessitatibus alienorum. (1) Idem cum de origine Ordinis Carmelitarum, usque a Prophetis Elia atque Eliseo, disceptaretur acrius, quam par erat, voluit de hac controversia in posterum omnibus silentium esse *sub excommu-*

ducitur: lex autem æterna comparatur ad ordinem rationis humanæ, sicut ars ad artificiatum. Unde ejusdem rationis est, quod vitium & peccatum sit contra ordinem rationis humanæ, & quod sit contra legem æternam. Vide Dominici Viva Theologicam Trutinam damnatarum thesium part. 3. pag. 347.

(1) Constitut. *Romanum decet Pontificem* 19. in Continuatione Bullarii part. 1. pag. 181.

municationis lata sententia pœna. (2) Vetuit quoque Officia & Magistratus, quibus Collegium Judicum Fisci Pontificii constat, venalia esse, imo duodecim Clericis Cameræ, Præsidi, Auditori, atque Ærarii Præfecto, qui pro his muneribus pecunias dederant, ex ærario pecunias restituit, aditus ut illuc unus merita forent. (3) Cum tota bello Europa arderet, universale *Jubilaeum* bis indixit averruncandæ cælesti iræ, & Christianos Principes modis omnibus curavit perpellere, ut pacem inter se componerent. (4) Idem passus moleste nonum Electorem Imperii ab Cæsare constitutum Ducem Hannoverensem, haud observantem sacra ritusque Orthodoxorum. (5) Venetæ Reipublicæ pugnanti contra Turcas eventu prospero triremes subsidio misit. Novos Sacramenti Pœnitentiæ ministros & Parochos jussit tanto se muneri parare continuata per dies denos contemplatione rerum æternarum. Multa sanxit moribus regendis & continendæ Ecclesiasticæ disciplinæ. Faciles ad eum aditus, pauperibus vero ita benignæ aures, ut qui maximus omnium erat dignitate, par infimis videretur humanitate. Mortuus est anno ætatis quinto supra octogesimum V. Kal. Octobris anno 1700. cum magni consilii Pontifex & spectatæ probitatis fuisset *annos novem, menses duos, & dies quindecim*.

CCXLV.

(2) Constitutionem, quæ incipit *Redemtoris* recitat Thomas Pascuccius in Compendio ad Consultationes Canonicas Pignatelli part. 2. tit. *De Regular.* pag. 348. Vide Cardinalem Petram in Comment. ad Constitut. Apostol. tom. 2. pag. 273. num. 2.

(3) Constitut. *Ad hoc unxit*. 23. pag. 195.

(4) Constitut. *Ubi primum* 46., & Constitut. *In sublimi* 65. pag. 242. & 268.

(5) Vide annotat. 2. ad Gregorium V. pag. 314.

CCXLV.

CLEMENS XI.

ANNO CHRISTI 1700.

LEOPOLDI I. 49.

MAGNUM in Romanis Pontificibus nomen *Clemens* XI. Urbinas, *Joannes Franciscus Albanus* antea dictus, Pontificiæ vir majestatis, ut aspectu ipso cuivis injiceret admirationem sui, & honoris fastigium æquaret, In locum Innocentii XII. anno 1700. IX. Kal. Decembr. incredibili Cardinalium voluntate vixdum cooptatus, facinus edidit præclarissimum. Nam delatum sibi Sacerdotium summum constantissime recusavit per triduum, donec divino illo, qui Ecclesiæ suæ semper adest, spiritu tactus studiis omnium cessit. Virtutem eximiam admirati sunt Heterodoxi ipsi Norimbergenses, celebraruntque aureis argenteisque numismatibus inscriptis nomine ejus. (1) Illud etiam neutiquam vulgatæ laudis, quod ubi primum aditus

(1) *Prima Numismatum facies Clementis effigiem exhibet cum inscriptione circumposita*: ALBANUM COLUERE PATRES, NUNC MAXIMA RERUM ROMA COLIT. *Infra vero.* CLEMENS XI. CREATUS XXIII. NOVEMBRIS MDCC. *In aversa parte gentilitium Albanorum eminet Stemma Pontificiæ Tiaræ suppositum, variorum florum serto, quatuor tæniis distincto circumdatum, in quibus præcipuæ virtutes Principis, nimirum Justitia, Pietas, Prudentia, Eruditio sunt expressæ, subjecta epigraphe*, FLORES CIRCUMDATI. *Sertum autem divina circum exornant verba*: FLORES MEI FRUCTUS HONORIS, ET HONESTATIS. *Ecclesiast.* XXIV. 23. *Inflexam denique Numismatis oram desumtum ex Claudiano hemistichium implet novo Pontifici aptissime congruens*: SOLUS MERUIT REGNARE ROGATUS. Hæc sunt apud Auctorem librorum sex *De vita & rebus gestis Clementis* XI. *Pont. Maximi* lib. 1. §. 53. pag. 51. & 52.

tus est a consanguineis, denuntiavit nihil se diminutum velle de Constitutione, qua decessor ejus nimiam Pontificum in suos benevolentiam exsecrabatur, nihil se daturum gratiæ eorum, ac vetare, ne munera ulla acciperent, ne facturos secum officiose admitterent, neu propria & usitata Pontificum Romanorum propinquis munia susciperent. Auxit insigniter decora hæc & decretis sapienter, & factis præclare. Nihil non conatus est, ut dissidia gravissima inter Christianos Principes exorta, quæ mox in exitiale diuturnumque exarsere bellum, extingueret. Jacobum II. Angliæ Regno extorrem, Mariam Reginam, Valliæ Principem, eumdemque post mortem Patris Regem Jacobum III. hoc nomine juvit pecunia grandi. *Gnomone astronomico ad usum Kalendarii constructo aptavit sacula Verbo Dei*, formataque *linea*, uti vocant, *meridiana*, quæ cursum Solis ostenderet, effecit, ut temporum ratio Paschæ celebrando constituta ab Synodo Nicæna & ab Gregorio XIII. emendata nosceretur facile & servaretur probe. (2) Collatam Duci Hannoverensium Heterodoxo dignitatem Electoris Imperii expostulavit, improbavitque velut rem adversam Catholicæ Religioni, & juribus Apostolicæ Sedis, emissamque expostulationem improbationemqne jussit in Tabularii Imperialis acta referri. *Festum Conceptionis B. Mariæ Virginis Immaculatæ ubique terrarum ab omnibus Christifidelibus de præcepto servari & celebrari mandavit*. (3) S. Josephum ejusdem *Immaculatæ* Virginis sponsum, Albanæ Familiæ patronum, novo coli decrevit *Divino Officio*, quod ex aptis Librorum Sacrorum

(2) *De Linea meridiana Clementina multi ad hanc diem scripsere*: Auctor memoratus *De vita & rebus gestis Clementis* XI. lib. 2. §. 38. pag. 101.

(3) Constitut. *Commissi nobis* 40. in Continuatione Bullarii part. 2. pag. 69.

rum verbis ipse composuit. (4) Pium V. P. M. Andream Avellinum, Felicem a Cantalicio, & Catharinam Bononiensem retulit inter Divos. Eugenio Sabaudiæ Principi Ensem & Galerum misit, spectatæ virtutis præmium, nec dari solitum nisi imperatoribus summis ob præclaram defensionem rei Christianæ. (5) Magnificentiam adhibuit, pluribus extructis operibus & ædificiis tum sacris tum profanis: liberalitatem, decies centenis millibus aureorum nummum in pauperes erogatis. Ecclesiasticæ disciplinæ custos sedulus munera viris, non viros muneribus honestare contendit. (6) Mirus fuit ardor Catholicæ religionis custodiendæ, propagandæque. Ad Sinas, ad Indos, Persas, Æthiopas, Ægyptios, Moschos misit præcones Euangelii, quorum opera multi vel ab ethnica superstitione abducti, vel a schismate revocati. Ipse quoque pietate sua atque dexteritate tenuit, ut Antonius Ulricus Dux Brunsuvicensium, & Federicus Augustus Saxonicus Elector, relicta Lutheri

(4) Eruditissimus Cardinalis Lambertinus De Serv. Dei Beatif. & Beat. Canoniz. lib. 4. part. 2. cap. 19. num. 5. Idem supra cap. 13. num. 8. *De Novemdialibus Supplicationibus in honorem Sanctorum .... numquam actum est, quod sciam, in Sacrorum Rituum Congregatione; ad nostram notitiam non devenerunt, nisi binæ Litteræ Apostolicæ in forma Brevis sanctæ memoriæ Clementis Papæ* XI. *in quibus indulsit, ut Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum ad publicam venerationem exponi posset in* Capella *sub Invocatione S. Joseph sita in Ecclesia S. Ignatii in Urbe novem diebus Festum ipsius S. Joseph proxime antecedentibus, utque Fideles* Capellam *prædictam visitantes supradictis diebus Indulgentias lucrifacerent, adimpletis tamen nonnullis operibus, quæ in dictis Litteris Apostolicis leguntur.*

(5) Vide annotat. 5. ad S. Pium V. pag. 533.

(6) Dicebat, ut est in lib. 6. De ejus vita & rebus gestis §. 27. *Indignus est Episcopatu, qui Episcopatum aucupatur.* Et: *Qui minime bonus insignitur Sacerdotio, tanto munere non proficit, sed in dies fit deterior.* Lege vitam Benedicti XII. Pauli II. Hadriani VI.

ri impietate, ad partes accederent Catholicorum. Ad ornandum vero nomen Christinæ Alexandræ Suecorum Reginæ, monumentum hæresis ab ea ejuratæ, terrenique regni ob cæleste abdicati posuit in Æde Vaticana. (7) Diremit celebrem & studio magno partium agitatam controversiam de ritibus & ceremoniis Sinensibus, improbans tamquam superstitiosos honores haberi solitos *Confucio*, ejusque progenitoribus. (8) Damnavit *propositiones* ex P. Quesnelli libro quodam depromtas unam supra centum. (9) Abolevit *praetensam Apostolicam Regni Siciliæ Legationem ac Monarchiam nuncupatam, ejusque assertum Tribunal*. (10) Integrato decreto Innocentii XI. constituit, ut initiandi Ordinibus sacris, Rectores animarum, aliique viri Ecclesiastici secederent in se ipsos, animumque per dies decem exercerent meditatione æternorum. Ajebat enim, secessu illo Sacro *quidquid sordium de mundano pulvere contractum est, commode detergi, Ecclesiasticum spiritum reparari, mentis aciem ad divinarum rerum contemplationem extolli, recte, sancteque vivendi normam vel institui, vel confirmari*. (11) Ad hæc *Domum Emendationis* erexit regendis moribus juvenum, qui, ut in Urbe plena peregrinis & advenis, malo exemplo vagi per plateas & compita otiarentur. Ut autem Græca & Latina lingua valebat, veteres imitatus Pontifices, laudatissimas Homilias habuit ad populum, in quibus gravem & robustam expressit eloquentiam Magni Leonis patro-

(7) Christinæ Reginæ nomen *Alexandræ* addidit summus Pontifex *Alexander* VII. ei administrans Sacramentum Confirmationis.

(8) Constitut. *Ex illa die* 78. in Continuatione Bullarii part. 2. pag. 155.

(9) Constitut. *Unigenitus Dei filius* 64. ibid. pag 118.

(10) Constitut. *Romanus Pontifex* 76. §. 4. ibid. pag. 149. Vide annotat. 6. ad *Urbanum* II. pag. 356.

(11) Epistola Encyclica 6. in Continuatione Bullarii part. 2. pag. 422.

troni sui. Hinc magna in eo fuit non Religionis modo, sed etiam litterarum cura. Nam & Vaticanam Bibliothecam auxit manuscriptis linguarum exoticarum exemplis undique petitis, & liberalium artium professores coluit, fovit patrocinio, decoravit honoribus. Nec illud minus perennem habebit laudem, quod a re divina, statisque ceremoniis ac solemnibus sacris, quæ summa religione peragebat ac majestate, numquam abstinuit, nisi morbo impeditus: quod pro Tribunali in Æde Vaticana excepit pœnitentium Confessiones sacras, quod Nosocomia obivit, quod licet incommoda plerumque uteretur valetudine, omnes facile admisit, & infimis etiam patientes aures præbuit dicere solitus, *Principis esse omnia scire, non omnia exequi*. Qua facilitate urbanos, externosque Magistratus continuit in officio, atque effecit, ut nullo respectu rerum privatarum, quæ semper offecere publicis, jus suum cuique tribuerent. Late etiam fulget ea gloria, quod temporibus difficillimis usus toto ferme Pontificatu, animum gessit illis parem. Par denique per *annos viginti, menses tres, dies quinque & viginti* (tot enim regnavit vita functus XIV. Kal. Aprilis 1721. annum ætatis agens secundum & septuagesimum) titulo tanti honoris semper fuit, ut optimo etiam succedenti Pontifici difficilis æmulatio foret.

CCXLVI.

CCXLVI.

INNOCENTIUS XIII.

ANNO CHRISTI 1721.

CAROLI VI. 10.

NOVEMDIALIBUS sacris *Clementi* XI. persolutis, comitia Pontificia haberi cœpta, in quibus VIII. Idus Majas Cardinales successorem crearunt *Michaelem Angelum de Comitibus* Romanum, quem ad claritatem generis, unde Pontifices plures exstiterant, munera quoque domi, forisque gesta faciebant loco supremo dignum. *Innocentius* XIII. appellari voluit. Pacatum & optime constitutum imperium nactus, animum adjecit ad Pontificium decus domestica & publica majestate augendum. Liberalis in omnes, in eos potissimum, quibus aliquo beneficio se obstrictum esse sentiret. Mitissimo ingenio præditus clarissimos viros accusationibus appetitos vindicavit ab omni crimine. *Nec mansuetudo integritatem corrupit, nec integritas mansuetudini repugnavit.* (1) Constans juris Ecclesiastici assertor fuit, quod tum præsertim significavit, cum *investituram* Regni Siciliæ utriusque, ac Hierusalem impertiit *Carolo* VI. Cæsari. (2) Ritibus etiam sacris instituendis adjunxit curam. Namque *cultum immemorabilem Beati Andreæ de Comitibus* Alexandri IV. ex fratre nepotis, *Ordinis Minorum S. Francisci approbavit*. (3) Et Dominicam secun-

(1) S. Augustinus epist. 43. alias 162. cap. 5.

(2) Constitutione, cujus initium *Inscrutabili illius* in Continuatione Bullarii part. 2. pag. 467.

(3) Vide Card. Lambertinum De Serv. Dei Beatif. & Beat. Canoniz. lib. 1. cap. 31. num. 16. & lib. 2. cap. 24. §. 41. num. 156. & 159.

cundam post Epiphaniam præstituit Festo Sanctissimi Nominis *Jesu* ab universa Ecclesia quotannis celebrando. Extremum vitæ diem confecit Nonis Martii anno Christi 1724. ætatis nono sexagesimoque. Supra *biennium* regnavit *menses novem & dies undetriginta*.

CCXLVII.

BENEDICTUS XIII.

ANNO CHRISTI 1724.

CAROLI VI. 13.

QUARTO Kal. Junias successit Benedictus XIII. probus & antiqui moris Pontifex. Is erat *Vincentius Maria Ursinus* Archiepiscopus Beneventanus. Multa fecit laudabilia. Ante omnia cavit, ut viri laici, qui ex more talarem vestem Clericalem induerent, Collare deferrent latum diversumque ab eo, quo Clerici uterentur. Vetuit etiam, Clericos gerere comas appositas. Disciplinam Ecclesiasticam sanxit Concilio celebrato in Æde Lateranensi anno piaculari 1725. eodemque anno in eadem Basilica Sacramentum Pœnitentiæ administravit, ac summi *Pœnitentiarii* munere functus est. Mandavit omnibus Italiæ Episcopis, ut Clericis educandis erudiendisque haberent collegia, quæ appellantur Seminaria, instituitque Congregationem Seminariorum, quam Episcopi consulerent de rebus pertinentibus ad ea. (1) Impetravit a Cæsare, ut Comaclum, quod tenebat ab anno 1708. sibi restitueret. Sua pietate effecit, ut Ludovicus Antonius Cardinalis Noallius Archiepi-

(1) Constitut. *Creditæ nobis* 3. in Continuatione Bullarii part. 2. pag. 479.

piſcopus Pariſiorum Conſtitutionem *Unigenitus* Clementis XI. reciperet. Sanctum Joſeph poſuit in Litaniis poſt S. Joannem Baptiſtam, ut Eruditiſſimus Cardinalis Lambertinus *inſinuaverat ſuffragio ſuo*. (2) Illis, qui, ære Campano dante ſignum Angelicæ Salutationis, genua flecterent, eamque ter recitarent, *indulgentiam* centum dierum conceſſit, ac ſemel in menſe *plenariam*. (3) Ut autem erat addictiſſimus Eccleſiæ Beneventanæ, quam adminiſtrabat per vicarium, Beneventum verno tempore contendit bis: primum anno 1727. Euchariſtia præmiſſa, iterum anno 1729. minori pompa comitatuque. (4) Eodem anno 1727. VI. Idus Decembris Viterbium ſe contulit, ut Federicum Electorem Colonienſem initiaret Epiſcopatu. Gregorium Cardinalem *Barbadicum* olim Epiſcopum noſtrum,

O o

(2) Id ipſe narrat Lib. 4. De ſerv. Dei Beatif. & Beat. Canoniz. Part. 2. cap. 19. num. 5. ac num. 7. & ſeqq. *Suffragium* ipſum edit.

(3) Vincentius Cardinalis Petra Comment. ad Conſtitut. Apoſtol. tom. 5. pag. 42. num. 2. *Fidelibus omnibus, qui ad pulſationem Campanæ hora meridiana & poſt Solis occaſum Orationem Angelicam* (Angelus Domini &c.) *flexis recitarent genibus, cum addito trium* Ave Maria, *Sanctiſſimus D. N. Benedictus Papa* XIII. *paullo poſt ſui Aſſumtionem, conceſſit plenariam Indulgentiam, ac remiſſionem omnium peccatorum, dummodo aliqua die cujuslibet menſis ad beneplacitum Sacramenta Pænitentiæ, & Euchariſtiæ receperint, ac oraverint pro pace, & concordia inter Principes Chriſtianos, Hæreſum extirpatione, & S. Eccleſiæ exaltatione. Itemque Fidelibus vere contritis, quoties Salutationem eam Angelicam devote recitarent, centum dies Indulgentiæ impartitus fuit, ut ex Brevi die* 24. *menſis Septembris anno* 1724.

(4) Iter primum ingreſſus IV. Kal. Aprilis Beneventum pervenit VII. Idus menſis ejuſdem, unde III. Idus Majas decedens, Romam rediit XII. Kal. Jun. Alterum ſuſcepit V. Kal. Aprilis, & Nonis ejuſdem Beneventum acceſſit, ubi cum uſque ad diem X. Kal. Jun. manſiſſet, IV. Nonas Junii in Urbem Romam magna lætitia receptus eſt. Vide annotat. 1. ad *Clementem* II. pag. 328. & annotat. 1. ad Alexandrum IV. pag. 409.

ſtrum, ſanctimoniæ fama celebrem rite auxit titulo *Venerabilis*, juſſitque corpus ejus ſepulcro erutum inſpici, repertumque ſpecie integra in locum decentiorem transferri. (5) Ejus pariter juſſu Eques

(5) Hujus de vita ſi pauca ſubjiciam, nec a propoſito aberrem omnino, & grati animi officium perſolvam. Eum enim, ut fama haud vana tenet, non Cardinalium diſcrepantia ſuffragia, ſed ſua ipſius moderatio Romano Pontificatu abſtinuit, eumdemque tamquam educatorem altoremque omnes quidem Seminarii noſtri Patavini diſciplinæ colere debent ac venerari, ſed Hiſtoria præſertim Eccleſiaſtica, cujus promovendæ ſtudio adeo tenebatur, ut ſubſecivis horis quietique dandis eam ipſe tradere juventuti non dedignaretur. Gregorius igitur Venetiis clara & nobili in primis gente anno 1625. VII Kal. Octobris natus eſt. Patrem habuit Joannem Franciſcum *Barbadicum* Senatorem ampliſſimum, matrem Lucretiam Leoniam lectiſſimam feminam. Adoleſcens politioribus litteris eruditus, gravioribus deinde ſtudiis ac diſciplinis Patavii operam dedit, in quas poſtea per id temporis, quod ſupererat gerendis rebus gravioribus, continenter incubuit. Annum agens undeviceſimum cum Aloyſio *Contareno* Monaſterium a Venetis ad pacificandum miſſo venit, ibique Fabium *Chiſium*, qui legatus ab Urbano VIII. pacificator & ipſe acceſſerat, in ſui admirationem pertraxit. Tanta indoles vel tum in Gregorio erat. Ghiſio *Alexandri* VII. nomine ad Pontificatum evecto, Romam Sacerdotio jam initiatus demigravit. Electus primum Cathedralis Eccleſiæ Patavinæ Canonicus, deinde inter domeſticos Præſules aſcitus, variiſque muneribus egregie defunctus, Bergomenſi Eccleſiæ ab eodem Pontifice præficitur, poſtea in numerum Cardinalium adſcribitur, ac demum ad Eccleſiam Patavinam transfertur. Magnis utrobique virtutibus eluxit, atque inſignia utrobique reliquit exempla religionis ac pietatis eximiæ. Omnia ſuæ provinciæ longe lateque porrectæ negotia expedivit diligentiſſime, nec laboribus aut vigiliis ſuorum cauſſa ſuſcipiendis ad extremum uſque ſpiritum pepercit. Diœceſim ſuam litteris ac pietate excultam voluit. Itaque educandæ erudiendæque juventuti inſtituit Collegia duo: alterum in Urbe, quod eſt Seminarium: alterum in agro *Treſtenſe* dictum. Illud omnium ferme facultatum delectis magiſtris inſtruxit. Linguas exoticas, ſacris voluminibus interpretandis apprime utiles, adjecit, Hebraicam, Chal-

ques Bernardinus *Perfetti* Senensis Poetica laurea in Capitolio donatus est: id quod jam inde ab Francisco Petrarcha non viderat Romana Civitas.

 (6)

Samariticam, Chaldaicam, Syriacam, Arabicam, Græcam præsertim, quæ solidæ litteraturæ habetur parens. Addidit adjumenta, Bibliothecam, ac Typographiam. Reditibus Ecclesiasticis stabilivit, heredem denique scripsit ex asse. In egenos vero tanta fuit liberalitate, ut compertum sit erogasse ad octingenta millia argenteorum nummum. Binos selectos viros exemplo D. Caroli habuit correctores sui, eorumque nomina impressa typis exponi jussit in Episcopali Tabulario, ut ostenderet se omnium admonitiones accepturum benignis auribus. Mensæ, Monachorum more frugaliter sibi simul cum Aulicis extructæ, adhibuit anagnosten. Numquam enim sine librorum sacrorum lectione apud eum cœnatum est. Nihil in eo non eximium. Animum semper æquabilem, constantia & gravitate firmum non læta, non tristia mutarunt. Omnia egit ratione & consilio summo. Severitatem comitati ita miscuit, ut facilitatem gravitas, gravitatem facilitas temperaret, ac paternus ejus in omnes animus appareret. Adeuntium desideria comiter excepit. Commissam sibi Diœcesim institutis ac legibus insigniter munivit. Omnino partes implevit Antistitis vigilantissimi, & cum veteribus comparandi, summosque Principes in se convertit splendore virtutum. Cum *annos octo* Bergomatium, & *duos supra triginta* Ecclesiam rexisset Patavinorum, anno 1697. ætatis secundo & septuagesimo, XIV. Kal. Jul. inclytus fama sanctitatis abiit ad superos via ea, quam singulari vitæ sanctitate sibi munierat. Amplo funere elatus est, tota Civitate suum erga Episcopum de se optime meritum, dum efferretur, studium ac voluntatem significante. Justitium sua sponte cœptum, tabernæ clausæ, & sine ulla publica auctoritate concessum in omnem formam luctus & honoris. Duodetriginta ab obitu annis decreto Almæ Curiæ Romanæ inspectum erutum sepulcro cadaver, & a constitutis judicibus coram Joanne Francisco Cardinali *Barbadico* Episcopo Patavino, fratris ejus filio incorruptum repertum, repositumque loco digniore. Cujus rei quo testatior esset memoria, tabula lapidea in pariete Ecclesiæ Cathedralis ad tumulum posita

(6) Plures descripsit in Sanctos. (7) In his Beatum Joannem Nepomucenum Canonicum Pragensem, cujus lingua perinde atque illa D. Antonii Patavini, non integra modo, sed recentissima specie conspicitur: hujus quidem, quod ita dixit, ut divinas laudes, divinamque doctrinam mirifice amplificaverit; illius vero, quod ita tacuit, ut secreta sibi administranti Sacramentum Pœnitentiæ commissa inter varia eademque gravissima genera tormentorum perpetuo religiosoque silentio compresserit. Idem Pontifex præscripsit rationem tractandi judicandique caussas Ecclesiasticas in Regno Siciliæ ultra Pharum, qua abolitam a Clemente XI. decessore suo *Apostolicam* ejusdem Regni *Legatio-*

sita est cum indice hoc:

D. O. M.
CORPUS
VENERABILIS SERVI DEI
GREGORII S. R. E. CARDINALIS BARBADICI
EPISCOPI PATAVINI
E SEPULCRO
QUO XXVIII. ANTE ANNIS CONDITUM FUERAT
PRÆVIO DECRETO SACRÆ RITUUM CONGREGAT.
APPROBATO A SS. D. N. BENEDICTO XIII. PONT. MAX.
JOAN. FRANC. S. R. E. CARDINALIS BARBADICUS
EPISCOPUS PATAVINUS
FRATRIS FILIUS
HUC TRANSTULIT
ANNO M. DCC. XXV. MENSE MAJO DIE XXVII.

(6) De Bernardini Perfecti Poetæ virtute luculentum testimonium dicit Cæsar Calinus Societatis Jesu in eo libro, cui titulus *Trattenimento Istorico, e Cronologico sulla serie dell' antico Testamento* lib. 4. cap. 22. & Joannes Baptista Casottus extrema epistola secunda, quæ est in volumine V. Operum Joannis Casa edit. Venet. an. 1729.

(7) *Unica utique Canonizatione, at multiplici tamen solemnitate*, ut ait Card. Lambertinus De Serv. Dei Beatif. & Beat. Canoniz. lib. 1. cap. 36. §. 3. ubi etiam confutat *anilem fabulam, quæ fertur, summos Pontifices, absoluta alicujus Sancti Canonizatione, cito ex hac vita discedere*.

tionem ac Monarchiam nuncupatam, ejusque Tribunal quodammodo revocavit. (8) Lateranensem Ecclesiam sedula summorum Pontificum cura refectam, ac nova postmodum molitione restitutam dedicavit ritu solemni. Idem tanta fuit moderatione, ut in fastigio summo dignitatis non privatim modo, sed etiam publice & in Orbis totius conspectu Monachum potius, quam Pontificem ageret. Tali modo cum annos ætatis octoginta unum ac dies undeviginti complesset, atque ad extremam senectutem, prospera usus valetudine, nullis pro Ecclesia laboribus pepercisset, nactus est morbum pituitæ, quo obstruente spiritum, e mortalium numero ereptus est, ut immortali vita frueretur, quam sibi innocentissimis moribus comparaverat. Id accidit anno 1730. IX. Kal. Mart. post *quinquennium ac menses octo, diesque viginti tres*, quam Pontificatum obtinuerat.

CCXLVIII.

CLEMENS XII.

ANNO CHRISTI 1730.

CAROLI VI. 19.

QUINQUE fere mensium spatio per irritas contentiones absumto, tandem IV. Idus Quintil. Pontifex creatur *Laurentius Corsinus* Florentinus, annum ætatis agens nonum & septuagesimum, qui simul ad renovandam memoriam, simul ad æmulandam virtutem magni Pontificis Clementis XI. a quo adscriptus fuerat in ordinem Cardinalium, *Clemens* XII. appellari voluit. Is magni-

(8) Constit. *Fideli ac prudenti Dispensatori* 47. in Continuatione Bullarii part. 4. pag. 370.

gnificentiæ deditus ac ſumtuoſus bono publico, opera plurima conſtruxit, refecit, abſolvit. Namque frontem Baſilicæ Lateranenſis ædificavit, atque intus in ea ſacellum ab ſuo nomine *Corſinum*, in quo ſibi poſuit mauſoleum porphyreticum. Facie item nova exornavit Ædem S. Joannis Baptiſtæ Florentinorum. Eccleſias Pueri Jeſu ac SS. Celſi & Juliani refecit, & hanc quidem a fundamentis. Vias Urbis ſtravit lapide quadrato, vias quo-
An. 1730. que Conſulares ferentes Romam munivit. *Palatii*
Quirinalis equile ab Innocentio XIII. *cœptum abſolvit.*
An. 1732. Ejuſdem *Palatii latus terminavit Familiæ Pontificiæ do-*
An. 1733. *micilio novis Ædibus amplificato. Latiorem viam, Ro-*
manique fori proſpectum, disjectis domibus ignobilem vi-
An. 1734. *cum inſidentibus, aperuit.* Domum *adminiſtris Pontifi-*
ciæ ditionis negotiis conſultandis, atque brevioribus Epi-
An. 1735. *ſtolis, levis armaturæ, & thoracatorum equitum tur-*
mis a fundamentis extruxit. Aquam Virginem copia &
An. 1736. *ſalubritate commendatam cultu magnifico ornavit. Viæ*
latæ partem disjecta ædium prominentia laxavit atque
An. 1738. *direxit.* (1) In eo etiam inſignem laudem adeptus eſt, *quod ad avertendas ab Ravenna, ejuſque agro inundationes Bedeſim fluvium cataracta multiplicis uſus extructa in novum alveum deduxit, in eumdemque Vitim immiſit, quod Romanam viam eo alveo interruptam magnifici operis ponte commiſit, quod ab Urbe ad mare per ſeptem millia CCLXVIII. paſſus foſſam perduxit, in eamque corrivatis aquis faciliori mercium tranſvectioni proſpexit.* (2) Idem portum Anconæ paravit & valetudinaria. Statuas operis antiqui magno pretio comparatas in Capitolio conſtituit, ſculptorum, pictorum atque eruditorum commodo. In porticu Eccleſiæ Lateranenſis ſublata ſtatua, quæ ibi erat Pontificali effigie, veterem poſuit Ma-

(1) Sunt hæc verba ipſa inſcriptionum, quæ leguntur Romæ.

(2) Ex inſcriptione in baſi ſtatuæ, quam huic Pontifici in foro Ravennates anno 1738. erexere.

Magni Conſtantini Cæſaris conditoris ejuſdem Baſilicæ, quæ idcirco *Conſtantiniana* dicitur ad hodiernam diem. Cæſenatibus ſingularia beneficia contulit, quorum præclara monumenta litteris conſignata jampridem publicata ſunt. Anno 1735. die 19. Decembris Cardinalem creavit Ludovicum Antonium Archiepiſcopum Toletanum Regum Hiſpaniæ Philippi V. & Eliſabethæ Parmenſis filium natum anno 1727. XVI. Kal. Julii. Anno 1736. Divorum numero inſeruit Vincentium a Paulo, Joan. Franciſcum Regis, Julianam de Falconeriis, & Catharinam Fliſcam Adurnam. Anno 1738. menſe Junio ſplendide ac magnifice excepit, ac per Legatum ſuum deducendam curavit Mariam Amaliam filiam Electoris Saxonici ac Regis Polonorum, nuptam Carolo Regi utriuſque Siciliæ fratri germano memorati Ludovici Antonii Cardinalis. Id etiam egit cauſſa honoris erga Reginam, quod ſellam ſuam ei obviam miſit Otriculum uſque. Hæc me ſcribente vivit Clemens XII. in Pontificatu *annum nonum*, vivatque diu nobis & poſteris admirandus.

FINIS.

PONTIFICUM
ROMANORUM
INDEX CHRONOLOGICUS.

Pontifex	creatus	sedit an.	men.	dies
1. S. PETRUS.	45.	25.		
2. S. Linus.	69.	11.	2.	23.
3. S. Cletus.	80.	12.	7.	2.
4. S. Clemens I.	93.	9.	6.	6.
SÆCULUM II.				
5. S. Anacletus.	103.	9.	3.	10.
6. S. Euariftus.	112.	9.	3.	
7. S. Alexander I.	121.	10.		
8. S. Sixtus I.	132.	10.		
9. S. Telefphorus.	142.	11.	8.	18.
10. S. Hyginus.	154.	4.		
11. S. Pius I.	158.	9.	5.	27.
12. S. Anicetus.	167.	8.		
13. S. Soter.	175.	3.	11.	18.
14. S. Eleutherus.	179.	15.		23.
15. S. Victor I.	194.	9.	1.	28.
SÆCULUM III.				
16. S. Zephyrinus.	203.	18.		18.
17. S. Calliftus I.	221.	5.	1.	12.

	Pontifex	*creatus*	*sedit* an.	men.	dies
18.	S. Urbanus I.	226.	6.	7.	4.
19.	S. Pontianus.	233.	4.	4.	25.
20.	S. Anterus.	237.		1.	
21.	S. Fabianus	238.	15.		4.

Sedes vacat menses amplius sexdecim.

22.	S. Cornelius.	254.	2.		

Primus Pseudopontifex Novatianus hæreticus.

23.	S. Lucius I.	255.	1.	4.	12.
24.	S. Stephanus I.	257.	3.	3.	22.
25.	S. Sixtus II.	260.		11.	12.
26.	S. Dionysius.	261.	11.	3.	14.
27.	S. Felix I.	272.	2.	5.	
28.	S. Eutychianus.	275.	8.	5.	3.
29.	S. Cajus.	283.	12.	4.	5.
30.	S. Marcellinus.	296.	7.	11.	23.

SÆCULUM IV.

31.	S. Marcellus I.	304.	4.	1.	25.
32.	S. Eusebius.	309.	2.	7.	16.
33.	S. Melchiades.	311.	2.	2.	7.
34.	S. Silvester I.	314.	21.	11.	
35.	S. Marcus.	336.		8.	18.
36.	S. Julius I.	336.	15.	5.	17.
37.	Liberius.	352.	15.	4.	1.

Pontifex	*creatus*	an.	*ſedit* men.	dies
38. S. Felix II. *a quibuſdam dictus.*	355.	2.		
39. S. Damaſus I.	367.	17.	2.	26.

Secundus Pſeudopontifex Urſinus ſeu Urſicinus Diaconus.

40. Siricius.	385.	13.	1.	10.
41. S. Anaſtaſius I.	398.	4.	1.	13.

SÆCULUM V.

42. S. Innocentius I.	402.	15.	2.	10.
43. S. Zoſimus.	417.	1.	4	7.
44. S. Bonifacius I.	418.	4.	9.	18.

Tertius Pſeudopontifex Eulalius Archidiaconus.

45. S. Cæleſtinus I.	423.	8.	5.	3.
46. S. Sixtus III.	432.	7.	11.	2.
47. S. Leo I. *Magnus.*	440.	20.		28.
48. S. Hilarus.	461.	5.	9.	29.
49. S. Simplicius.	467.	15.	5.	8.
50. S. Felix III.	483.	8.	11.	17.
51. S. Gelaſius I.	492.	4.	8.	20.
52. S. Anaſtaſius II.	496.	1.	11.	19.
53. S. Symmachus.	498.	15.	7.	27.

Quartus Pſeudopontifex Laurentius Archipresbiter.

SÆCULUM VI.

54. S. Hormiſda.	514.	9.	11.	

55.

Pontifex	*creatus*	*sedit* an.	men.	dies
55. S. Joannes I.	523.	2.	9.	14.
56. S. Felix IV.	526.	4.	2.	18.
57. S. Bonifacius II.	530.	1.		

Quintus Pseudopontifex Dioscorus.

58. Joannes II.	531.	2.	4.	26.
59. S. Agapetus I.	535.		10.	19.
60. S. Silverius.	536.	4.		
61. Vigilius.	540.	16.		
62. S. Pelagius I.	555.	4.	10.	18.
63. Joannes III.	560.	12.	11.	26.
64. S. Benedictus I.	574.	4.	1.	18.
65. Pelagius II.	578.	11.	2.	10.
66. S. Gregorius I. *Magnus*.	590.	13.	6.	10.

SÆCULUM VII.

67. Sabinianus.	604.	1.	5.	9.
68. Bonifacius III.	607.		8.	22.
69. S. Bonifacius IV.	608.	6.	8.	12.
70. S. Deusdedit.	615.	3.		20.
71. Bonifacius V.	619.	5.		10.
72. Honorius I.	625.	12.	11.	16.

Sedes vacat per annum & menses amplius septem.

73. Severinus.	640.		2.	4.

Pontifex	*creatus*	*sedit* an.	men.	dies
74. Joannes IV.	640.	1.	9.	18.
75. Theodorus I.	642.	6.	5.	18.
76. S. Martinus I.	649.	6.	2.	12.
77. S. Eugenius I.	654.	2.	8.	24.
78. S. Vitalianus,	657.	14.	6.	17.
79. Adeodatus,	672.	4.	2.	5.
80. Donus I.	676.	1.	5.	10.
81. S. Agatho.	678.	3.	6.	14.
82. S. Leo II.	682.		10.	17.
83. S. Benedictus II.	684.		10.	12.
84. Joannes V.	685.	1.		9.
85. Conon.	686.		11.	
Schisma electis Petro ac Theodoro.				
86. S. Sergius I.	687.	13.	8.	23.
Schisma electis Theodoro & Paschale.				

SÆCULUM VIII.

87. Joannes VI.	701.	3.	2.	12.
88. Joannes VII.	705.	2.	7.	17.
89. Sisinnius.	708.			20.
90. Constantinus.	708.	7.		15.
91. S. Gregorius II.	715.	15.	8.	24.
92. S. Gregorius III.	731.	10.	8.	10.
93. S. Zacharias.	741.	10.	3.	14.

94.

Pontifex	*creatus*	*sedit* an.	men.	dies
94. Stephanus II.	752.	5.		29.
95. S. Paulus I.	757.	1.	1.	

Sedes vacat plus annum.
Constantinus & Philippus Pseudopontifices.

96. Stephanus III.	768.	3.	5.	27.
97. Hadrianus I.	772.	23.	10.	17.
98. Leo III.	795.	20.	5.	16.

SÆCULUM IX.

99. Stephanus IV.	816.		7.	
100. Paschalis I.	817.	7.		17.
101. Eugenius II.	824.	3.		

Zinzinus Pseudopontifex.

102. Valentinus.	827.			40.
103. Gregorius IV.	827.	16.		
104. Sergius II.	844.	3.		
105. S. Leo IV.	847.	8.	3.	6.

Huic quidam temere sufficiunt
Joannam Papissam.

106. Benedictus III.	855.	2.	6.	10.

Anastasius Pseudopontifex.

107. S. Nicolaus I. *Magnus.*	858.	9.	6.	20.
108. Hadrianus II.	867.	5.		
109. Joannes VIII.	872.	10.		

110.

Pontifex	*creatus*	*sedit* an.	men.	dies
110. Marinus I. *seu Martinus* II.	882.	1.	5.	
111. Hadrianus III.	884.	1.	4.	
112. Stephanus V.	885.	6.		
113. Formosus.	891.	4.	6.	
114. Bonifacius VI.	896.			15.
115. Stephanus VI.	896.	1.	1.	
116. Romanus.	897.		3.	22.
117. Theodorus II.	898.			20.
118. Joannes IX.	898.	2.		15.
Sergius Pseudopontifex.				
119. Benedictus IV.	900.	3.		2.
SÆCULUM X.				
120. Leo V.	903.		1.	26.
121. Christophorus.	903.		6.	
122. Sergius III.	904.	7.	3.	
123. Anastasius III.	911.	2.	2.	
124. Landus.	913.		6.	10.
125. Joannes X.	914.	5.		
126. Leo VI.	928.		7.	5.
127. Stephanus VII.	929.	2.	1.	12.
128. Joannes XI.	931.	4.		10.
129. Leo VII.	936.	3.	6.	10.
130. Stephanus VIII.	939.	3.	4.	15.

	Pontifex	*creatus*	*sedit* an.	men.	dies
131.	Marinus II. *seu Martinus* III.	942.	3.	6.	
132.	Agapetus II.	946.	10.	2.	
133.	Joannes XII.	956.	7.	9.	
	Leo VIII. Pseudopontifex.				
134.	Benedictus V.	964.			
135.	Joannes XIII.	965.	6.	11.	5.
136.	Benedictus VI.	972.		1.	
137.	Donus II.	974.			
138.	Benedictus VII.	975.	9.		
139.	Joannes XIV.	984.	11.		
	Bonifacius VII. Pseudopontifex. Joannes filius Roberti electus.				
140.	Joannes XV.	985.	10.		
141.	Gregorius V.	996.	2.	8.	
	Joannes XVI. Pseudopontifex.				
142.	Silvester II.	999.	4.	1.	9.

SÆCULUM XI.

143.	Joannes XVII.	1003.		5.	25.
144.	Joannes XVIII.	1003.	5.	5.	
145.	Sergius IV.	1009.	2.		
146.	Benedictus VIII.	1012.	11.		
	Gregorius Pseudopontifex.				
147.	Joannes XIX.	1024.	9.		

148.

Pontifex	creatus	sedit an.	men.	dies
148. Benedictus IX.	1033.	12.		
Silvester III. Pseudopontifex.				
149. Gregorius VI.	1044.	2.	8.	
150. Clemens II.	1046.		9.	15.
151. Damasus II.	1048.			23.
152. S. Leo IX.	1049.	5.	2.	7.
153. Victor II.	1055.	2.	3.	15.
154. Stephanus IX.	1057.		7.	27.
Benedictus X. Pseudopontifex.				
155. Nicolaus II.	1058.	2.	6.	25.
156. Alexander II.	1061.	11.	6.	21.
Honorius II. Pseudopontifex.				
157. S. Gregorius VII.	1073.	12.	1.	3.
Clemens III. Pseudopontifex.				
158. Victor III.	1086.	1.	3.	23.
159. Urbanus II.	1088.	11.	4.	18.
160. Paschalis II.	1099.	18.	5.	7.
Clementi III. Pseudopontifici suffecti Pseudopontifices tres.				
SÆCULUM XII.				
161. Gelasius II.	1118.	1.		4.
Gregorius VIII. Pseudopontifex.				
162. Callistus II.	1118.	5.	10.	12.
163. Honorius II.	1124.	5.	1.	25.

178.

	Pontifex	*creatus*	*ſedit*		
			an.	men.	dies
164.	Innocentius II.	1130.	13.	7.	9.
	Anacletus II. & Victor IV. Pſeudopontifices.				
165.	Cæleſtinus II.	1143.		5.	13.
166.	Lucius II.	1144.		11.	14.
167.	Eugenius III.	1145.	8.	4.	10.
168.	Anaſtaſius IV.	1153.	1.	4.	23.
169.	Hadrianus IV.	1154.	4.	8.	29.
170.	Alexander III.	1159.	21.	11.	23.
	Victor V. Paſchalis III. Calliſtus III. Innocentius III. Pſeudopontifices.				
171.	Lucius III.	1181.	4.	2.	18.
172.	Urbanus III.	1185.	1.	10.	25.
173.	Gregorius VIII.	1187.		1.	27.
174.	Clemens III.	1187.	3.	3.	10.
175.	Cæleſtinus III.	1191.	6.	9.	9.
176.	Innocentius III.	1198.	18.	6.	9.
	SÆCULUM XIII.				
177.	Honorius III.	1216.	10.	8.	
178.	Gregorius IX.	1227.	14.	5.	2.
179.	Cæleſtinus IV.	1241.			17.
	Sedes vacat menſes ferme viginti.				
180.	Innocentius IV.	1243.	11.	5.	14.
181.	Alexander IV.	1254.	6.	5.	13.
182.	Urbanus IV.	1261.	3.	1.	4.

Pontifex	*creatus*	*sedit.* an.	men.	dies
183. Clemens IV.	1265.	3.	9.	
Sedes vacat annos fere tres.				
184. Gregorius X.	1271.	3.	9.	15.
185. Innocentius V.	1276.		5.	
186. Hadrianus V.	1276.			37.
187. Joannes XX. *dictus* XXI.	1276.		8.	
188. Nicolaus III.	1277.	2.	8.	29.
189. Martinus IV.	1281.	4.	7.	7.
190. Honorius IV.	1285.	2.		
Sedes vacat menses amplius decem.				
191. Nicolaus IV.	1288.	4.	1.	14.
Sedes vacat annos duos, ac menses tres.				
192. Cæleſtinus V.	1294.		5.	8.
193. Bonifacius VIII.	1294.	8.	9.	18.
SÆCULUM XIV.				
194. B. Benedictus XI.	1303.		8.	17.
Sedes vacat menses undecim.				
195. Clemens V.	1305.	8.	10.	15.
Sedes vacat annos amplius duos.				
196. Joannes XXII.	1316.	18.	4.	
Nicolaus V. Pſeudopontifex.				
197. Benedictus XII.	1334.	7.	4.	6.
198. Clemens VI.	1342.	10.	7.	

199.

Pontifex	*creatus*	*sedit* an.	men.	dies
199. Innocentius VI.	1352.	9.	8.	26.
200. Urbanus V.	1362.	8.	1.	22.
201. Gregorius XI.	1370.	7.	2.	27.
202. Urbanus VI.	1378.	11.	6.	6.
Schiſma magnum. Clemens VII. Pſeudopontifex.				
203. Bonifacius IX.	1389.	14.	11.	
Benedictus XIII. Pſeudopontifex.				

SÆCULUM XV.

Pontifex	*creatus*	an.	men.	dies
204. Innocentius VII.	1404.	2		21.
205. Gregorius XII.	1406.	2.	6.	3.
206. Alexander V.	1409.		10.	8.
207. Joannes XXIII.	1410.	5.		13.
Sedes vacat plus annis duobus.				
208. Martinus V.	1417.	13.	3.	10.
Clemens VIII. Pſeudopontifex.				
209. Eugenius IV.	1431.	16.		
Felix V. Pſeudopontifex.				
210. Nicolaus V.	1447.	8.		19.
211. Calliſtus III.	1455.	3.	3.	29.
212. Pius II.	1458.	6.		
213. Paulus II.	1464.	6.	10.	26.
214. Sixtus IV.	1471.	13.		5.
215. Innocentius VIII.	1484.	7.	10.	27.

Pontifex	*creatus*	*sedit* an.	men.	dies
216. Alexander VI:	1492.	11.		8.

SÆCULUM XVI.

217. Pius III.	1503.			26.
218. Julius II.	1503.	9.	3.	21.
219. Leo X.	1513.	8.	8.	20.
220. Hadrianus VI.	1522.	1.	8.	6.
221. Clemens VII.	1523.	10.	10.	7.
222. Paulus III.	1534.	15.		18.
223. Julius III.	1550.	5.	1.	16.
224. Marcellus II.	1555.			22.
225. Paulus IV.	1555.	4.	2.	27.
226. Pius IV.	1559.	5.	11.	5.
227. S. Pius V.	1566.	6.	3.	24.
228. Gregorius XIII.	1572.	12.	10.	28.
229. Sixtus V.	1585.	5.	4.	3.
230. Urbanus VII.	1590.			13.
231. Gregorius XIV.	1590.		10.	10.
232. Innocentius IX.	1591.		2.	
233. Clemens VIII.	1592.	13.	1.	3.

SÆCULUM XVII.

234. Leo XI.	1605.			26.
235. Paulus V.	1605.	15.	8.	12.
236. Gregorius XV.	1621.	2.	5.	

Pontifex	creatus	sedit an.	men.	dies
237. Urbanus VIII.	1623.	21.		
238. Innocentius X.	1644.		3.	23.
239. Alexander VII.	1655.	12.	1.	15.
240. Clemens IX.	1667.	2.	5.	19.
241. Clemens X.	1670.	6.	2.	23.
242. Innocentius XI.	1676.	12.	10.	22.
243. Alexander VIII.	1689.	1.	5.	26.
244. Innocentius XII.	1691.	9.	2.	15.
245. Clemens XI.	1700.	20.	3.	25.

SÆCULUM XVIII.

246. Innocentius XIII.	1721.	2.	9.	29.
247. Benedictus XIII.	1724.	5.	8.	23.
248. Clemens XII.	1730.			

PONTIFICUM
ROMANORUM
INDEX ALPHABETICUS.

A

Pontifex	*creatus*	an.	*sedit* men.	dies
79. Adeodatus.	672.	4.	2.	5.
59. Agapetus I.	535.		10.	19.
132. Agapetus II.	946.	10.	2.	
81. Agatho.	678.	3.	6.	14.
7. Alexander I.	121.	10.		
156. Alexander II.	1061.	11.	6.	21.
170. Alexander III.	1159.	21.	11.	23.
181. Alexander IV.	1254.	6.	5.	13.
206. Alexander V.	1409.		10.	8.
216. Alexander VI.	1492.	11.		8.
239. Alexander VII.	1655.	12.	1.	15.
243. Alexander VIII.	1689.	1.	3.	26.
5. Anacletus.	103.	9.	3.	10.
41. Anaſtaſius I.	398.	4.	1.	13.
52. Anaſtaſius II.	496.	1.	11.	19.
123. Anaſtaſius III.	911.	2.	2.	
168. Anaſtaſius IV.	1153.	1.	4.	23.
12. Anicetus.	167.	8.		
20. Anterus.	237.		1.	

B

64. Benedictus I.	574.	4.	1.	18.
83. Benedictus II.	684.		10.	12.
106. Benedictus III.	855.	2.	6.	10.
119. Benedictus IV.	900.	3.		2.
134. Benedictus V.	964.			
136. Benedictus VI.	972.		1.	
138. Benedictus VII.	975.	9.		

146.

	Pontifex	*creatus*	*ſedit* an.	men.	dies
146.	Benedictus VIII.	1012.	11.		
148.	Benedictus IX.	1033.	12.		
	Benedictus X. Pſeudopontifex.				
194.	Benedictus XI.	1303.		8.	17.
197.	Benedictus XII.	1334.	7.	4.	6.
247.	Benedictus XIII.	1724.	5.	8.	23.
44.	Bonifacius I.	418.	4.	9.	18.
57.	Bonifacius II.	530.	1.		
68.	Bonifacius III.	607.		8.	22.
69.	Bonifacius IV.	608.	6.	8.	12.
71.	Bonifacius V.	619.	5.		10.
114.	Bonifacius VI.	896.			15.
	Bonifacius VII. Pſeudopontifex.				
193.	Bonifacius VIII.	1294.	8.	9.	18.
203.	Bonifacius IX.	1389.	14.	11.	

C

45.	Cæleſtinus I.	423.	8.	5.	3.
165.	Cæleſtinus II.	1143.		5.	13.
175.	Cæleſtinus III.	1191.	6.	9.	9.
179.	Cæleſtinus IV.	1241.			17.
192.	Cæleſtinus V.	1294.		5.	8.
29.	Cajus.	283.	12.	4.	5.
17.	Calliſtus I.	221.	5.	1.	12.
162.	Calliſtus II.	1118.	5.	10.	12.
211.	Calliſtus III.	1455.	3.	3.	29.
121.	Chriſtophorus.	903.		6.	
4.	Clemens I.	93.	9.	6.	6.
150.	Clemens II.	1046.		9.	15.
174.	Clemens III.	1187.	3.	3.	10.
183.	Clemens IV.	1265.	3.	9.	
195.	Clemens V.	1305.	8.	10.	15.
198.	Clemens VI.	1342.	10.	7.	
221.	Clemens VII.	1523.	10.	10.	7.
233.	Clemens VIII.	1592.	13.	1.	3.
240.	Clemens IX.	1667.	2.	5.	19.
241.	Clemens X.	1670.	6.	2.	23.

Pontifex	*creatus*	an.	*sedit* men.	dies
245. Clemens XI.	1700.	20.	3.	25.
248. Clemens XII.	1730.			
3. Cletus.	80.	12.	7.	2.
85. Conon.	686.		11.	
90. Constantinus.	708.	7.		15.
22. Cornelius.	254.	2.		

D

39. Damasus I.	367.	17.	2.	26.
151. Damasus II.	1048.			23.
70. Deusdedit.	615.	3.		20.
26. Dionysius.	261.	11.	3.	14.
80. Donus I.	676.	1.	5.	10.
137. Donus II.	974.			

E

14. Eleutherus.	179.	15.		23.
6. Euaristus.	112.	9.	3.	
77. Eugenius I.	654.	2.	8.	24.
101. Eugenius II.	824.	3.		
167. Eugenius III.	1145.	8.	4.	10.
209. Eugenius IV.	1431.	16.		
32. Eusebius.	309.	2.	7.	16.
28. Eutychianus.	275.	8.	5.	3.

F

21. Fabianus.	238.	15.		4.
27. Felix I.	272.	2.	5.	
38. Felix II.	355.	2.		
50. Felix III.	483.	8.	11.	17.
56. Felix IV.	526.	4.	2.	18.
113. Formosus.	891.	4.	6.	

G

	Pontifex	*creatus*	*sedit* an.	men.	dies
51.	Gelasius I.	492.	4.	8.	20
161.	Gelasius II.	1118.	1.		4.
66.	Gregorius I. *Magnus*.	590.	13.	6.	10.
91.	Gregorius II.	715.	15.	8.	24.
92.	Gregorius III.	731.	10.	8.	10.
103.	Gregorius IV.	827.	16.		
141.	Gregorius V.	996.	2.	8.	
149.	Gregorius VI.	1044.	2.	8.	
157.	Gregorius VII.	1073.	12.	1.	3.
173.	Gregorius VIII.	1187.		1.	27.
178.	Gregorius IX.	1227.	14.	5.	2.
184.	Gregorius X.	1271.	3.	9.	15.
201.	Gregorius XI.	1370.	7.	2.	27.
205.	Gregorius XII.	1406.	2.	6.	3.
228.	Gregorius XIII.	1572.	12.	10.	28.
231.	Gregorius XIV.	1590.		10.	10.
236.	Gregorius XV.	1621.	2.	5.	

H

97.	Hadrianus I.	772.	23.	10.	17.
108.	Hadrianus II.	867.	5.		
111.	Hadrianus III.	884.	1.	4.	
169.	Hadrianus IV.	1154.	4.	8.	29.
186.	Hadrianus V.	1276.			37.
220.	Hadrianus VI.	1522.	1.	8.	6.
48.	Hilarus.	461.	5.	9.	29.
72.	Honorius I.	625.	12.	11.	16.
163.	Honorius II.	1124.	5.	1.	25.
177.	Honorius III.	1216.	10.	8.	
190.	Honorius IV.	1285.	2.		
54.	Hormisda.	514.	9.	11.	
10.	Hyginus.	154.	4.		

I

Pontifex	*creatus*	*sedit* an.	men.	dies
42. Innocentius I.	402.	15.	2.	10.
164. Innocentius II.	1130.	13.	7.	9.
176. Innocentius III.	1198.	18.	6.	9.
180. Innocentius IV.	1243.	11.	5.	14.
185. Innocentius V.	1276.		5.	
199. Innocentius VI.	1352.	9.	8.	26.
204. Innocentius VII.	1404.	2.		21.
215. Innocentius VIII.	1484.	7.	10.	27.
232. Innocentius IX.	1591.		2.	
238. Innocentius X.	1644.		3.	23.
242. Innocentius XI.	1676.	12.	10.	22.
244. Innocentius XII.	1691.	9.	2.	15.
246. Innocentius XIII.	1721.	2.	9.	29.
55. Joannes I.	523.	2.	9.	14.
58. Joannes II.	531.	2.	4.	26.
63. Joannes III.	560.	12.	11.	26.
74. Joannes IV.	640.	1.	9.	18.
84. Joannes V.	685.	1.		9.
87. Joannes VI.	701.	3.	2.	12.
88. Joannes VII.	705.	2.	7.	17.
109. Joannes VIII.	872.	10.		
118. Joannes IX.	898.	2.		15.
125. Joannes X.	914.	5.		
128. Joannes XI.	931.	4.		10.
133. Joannes XII.	956.	7.	9.	
135. Joannes XIII.	965.	6.	11.	5.
139. Joannes XIV.	984.	11.		
140. Joannes XV.	985.	10.		
Joannes XVI. Pseudopontifex.				
143. Joannes XVII.	1003.		5.	25.
144. Joannes XVIII.	1003.	5.	5.	
147. Joannes XIX.	1024.	9.		
187. Joannes XX. *dictus* XXI.	1276.		8.	
196. Joannes XXII.	1316.	18.	4.	

207.

Pontifex	creatus	sedit an.	men.	dies
207. Joannes XXIII.	1410.	5.		13.
36. Julius I.	336.	15.	5.	17.
218. Julius II.	1503.	9.	3.	21.
223. Julius III.	1550.	5.	1.	16.
L				
124. Landus.	913.		6.	10.
47. Leo I. *Magnus.*	440.	20.		28.
82. Leo II.	682.		10.	17.
98. Leo III.	795.	20.	5.	16.
105. Leo IV.	847.	8.	3.	6.
120. Leo V.	903.		1.	26.
126. Leo VI.	928.		7.	5.
129. Leo VII.	936.	3.	6.	10.
Leo VIII. Pseudopontifex.				
152. Leo IX.	1049.	5.	2.	7.
219. Leo X.	1513.	8.	8.	20.
234. Leo XI.	1605.			26.
37. Liberius.	352.	15.	4.	1.
2. Linus.	69.	11.	2.	23.
23. Lucius I.	255.	1.	4.	12.
166. Lucius II.	1144.		11.	14.
171. Lucius III.	1181.	4.	2.	18.
M				
30. Marcellinus.	296.	7.	11.	23.
31. Marcellus I.	304.	4.	1.	25.
224. Marcellus II.	1555.			22.
35. Marcus.	336.		8.	18.
110. Marinus I. *seu Martinus* II.	882.	1.	5.	
131. Marinus II. *seu Martinus* III.	942.	3.	6.	
76. Martinus I.	649.	6.	2.	12.
189. Martinus IV.	1281.	4.	7.	7.
208. Martinus V.	1417.	13.	3.	10.

33.

Pontifex	creatus		ſedit	
		an.	men.	dies
33. Melchiades.	311.	2.	2.	7.
N				
107. Nicolaus I. *Magnus*.	858.	9.	6.	20.
155. Nicolaus II.	1058.	2.	6.	25.
188. Nicolaus III.	1277.	2.	8.	29.
191. Nicolaus IV.	1288.	4.	1.	14.
210. Nicolaus V.	1447.	8.		19.
P				
100. Paſchalis I.	817.	7.		17.
160. Paſchalis II.	1099.	18.	5.	7.
95. Paulus I.	757.	1.	1.	
213. Paulus II.	1464.	6.	10.	26.
222. Paulus III.	1534.	15.		18.
225. Paulus IV.	1555.	4.	2.	27.
235. Paulus V.	1605.	15.	8.	12.
62. Pelagius I.	555.	4.	10.	18.
65. Pelagius II.	578.	11.	2.	10.
1. PETRUS.	45.	25.		
11. Pius I.	158.	9.	5.	27.
212. Pius II.	1458.	6.		
217. Pius III.	1503.			26.
226. Pius IV.	1559.	5.	11.	5.
227. Pius V.	1566.	6.	3.	24.
19. Pontianus.	233.	4.	4.	25.
R				
116. Romanus.	897.		3.	22.
S				
67. Sabinianus.	604.	1.	5.	9.
86. Sergius I.	687.	13.	8.	23.
104. Sergius II.	844.	3.		

Pontifex	creatus	ſedit an.	men.	dies
122. Sergius III.	904.	7.	3.	
145. Sergius IV.	1009.	2.		
73. Severinus.	640.		2.	4.
60. Silverius.	536.	4.		
34. Silveſter I.	314.	21.	11.	
142. Silveſter II.	999.	4.	1.	9.
49. Simplicius.	467.	15.	5.	8.
40. Siricius.	385.	13.	1.	10.
89. Siſinnius.	708.			20.
8. Sixtus I.	132.	10.		
25. Sixtus II.	260.		11.	12.
46. Sixtus III.	432.	7.	11.	2.
214. Sixtus IV.	1471.	13.		5.
229. Sixtus V.	1585.	5.	4.	3.
13. Soter.	175.	3.	11.	18.
24. Stephanus I.	257.	3.	3.	22.
94. Stephanus II.	752.	5.		29.
96. Stephanus III.	768.	3.	5.	27.
99. Stephanus IV.	816.		7.	
112. Stephanus V.	885.	6.		
115. Stephanus VI.	896.	1.	1.	
127. Stephanus VII.	929.	2.	1.	12.
130. Stephanus VIII.	939.	3.	4.	15.
154. Stephanus IX.	1057.		7.	27.
53. Symmachus.	498.	15.	7.	27.

T

9. Teleſphorus.	142.	11.	8.	18.
75. Theodorus I.	642.	6.	5.	18.
117. Theodorus II.	898.			20.

V

102. Valentinus.	827.			40.
15. Victor I.	194.	9.	1.	28.
153. Victor II.	1055.	2.	3.	15.
158. Victor III.	1086.	1.	3.	23.

Pontifex	*creatus*	*ſedit* an.	men.	dies
61. Vigilius.	540.	16.		
78. Vitalianus.	657.	14.	6.	17.
18. Urbanus I.	226.	6.	7.	4.
159. Urbanus II.	1088.	11.	4.	18.
172. Urbanus III.	1185.	1.	10.	25.
182. Urbanus IV.	1261.	3.	1.	4.
200. Urbanus V.	1362.	8.	1.	22.
202. Urbanus VI.	1378.	11.	6.	6.
230. Urbanus VII.	1590.			13.
237. Urbanus VIII.	1623.	21.		

Z

93. Zacharias.	741.	10.	3.	14.
16. Zephyrinus.	203.	18.		18.
43. Zoſimus.	417.	1.	4.	7.

PONTIFICUM
VARIA GENERA.

Pontifices, qui in Martyrologio Romano celebrantur.

Agapetus II. die 20. Septembr.
Agatho 10. Januar.
Alexander I. 3. Maji.
Anacletus 13. Jul.
Anastasius I 27 April.
Anicetus 17 April.
Anterus 3. Januar.
Benedictus I. 7. Maji.
Bonifacius I. 25. Octobr.
Bonifacius IV. 25. Maji.
Cæleftinus I. 6. April.
Cæleftinus V. 19. Maji.
Cajus 22. April.
Callistus I. 14. Octobr.
Clemens I. 23. Novembr.
Cletus 26. April.
Cornelius 14. Septembr.
Damasus I. 11. Decembr.
Deusdedit 8. Novembr.
Dionysius 26. Decembr.
Eleutherus 26. Maji.
Euaristus 26. Octobr.
Eugenius I. 2. Jun.
Eusebius 26. Septembr.
Euthychianus 8. Decembr.
Fabianus 20. Januar.
Felix I. 30. Maji.
Felix II. 29. Jul.
Felix III. 25. Febr.
Felix IV. 30. Januar.
Gelasius I. 21. Novembr.
Gregorius I. 12. Martii.
Gregorius II. 13. Februar.
Gregorius III. 28. Novembr.
Gregorius VII. 25. Maji.
Hilarus 10. Septembr.
Hormisda 6. Augusti.
Hyginus 11. Januar.
Innocentius I. 28. Jul.
Joannes I. 27. Maji.
Julius I. 12. April.
Leo I. 11. April.
Leo II 28. Jun.
Leo III. 12. Jun.
Leo IV. 17. Jul.
Leo IX. 19. April.
Linus 23 Septembr.
Lucius I. 4. Mart.
Marcellinus 26. April.
Marcellus I. 16. Januar.
Marcus 7. Octobr.
Martinus I. 12. Novembr.
Melchiades 10. Decembr.
Nicolaus I. 13. Novembr.
Paschalis I. 14. Maji.
Paulus I. 28. Jun.
PETRUS Apostolus 29. Jun.
Pius I. 11. Jul.
Pius V. 5. Maji.
Pontianus 19. Novembr.
Sergius I. 9. Septembr.
Silverius 20. Jun.
Silvester I. 31. Decembr.
Simplicius 2. Mart.
Sixtus I. 6. April.
Sixtus II. 6. August.
Sixtus III. 28. Mart.
Soter 22. April.
Stephanus I. 2. August.
Symmachus 19. Jul.
Telesphorus 5. Januar.

Vi-

Victor I. 28. Jul.
Vitalianus 27. Januar.
Urbanus I. 25. Maji.
Zacharias 15. Mart.
Zephyrinus 26. August.
Zosimus 26. Decembr.

Pontificum natio.

Afri.

Victor I. pag. 29.
Melchiades 66.
Gelasius I. 125.

Angli.

Unus Hadrianus IV. pag. 380.

Dalmatæ.

Duo. Cajus pag. 59. & Joannes IV. 183.

Galli.

Silvester II. pag. 317.
Leo IX. 331.
Stephanus IX. 336.
Nicolaus II. 338.
Urbanus II. 354.
Callistus II. 362.
Clemens IV. 414.
Innocentius V. 419.
Martinus II. 425.
Clemens V. 439.
Joannes XXII. 441.
Benedictus XII. 447.
Clemens VI. 449.
Innocentius VI. 451.
Urbanus V. 452.
Gregorius XI. 455.

Germani.

Gregorius V. pag. 313.
Clemens II. Saxonicus 328.
Damasus II. 330.
Victor II. 335.
Hadrianus VI. Batavus 510.

Græci.

Anacletus. pag. 13.
Telesphorus. 19.
Hyginus 21.
Eleutherus 26.
Anterus. 38.
Sixtus II. 53.
Eusebius 65.
Zosimus 100.
Theodorus 186.
Joannes VI. 207.
Joannes VII. 208.
Zacharias 217.

Hispani.

Damasus I. pag. 86.
Joannes XX. 421.
Callistus III. 484.
Alexander VI. 497.

Ita-

Itali.

Plurimi, quos numerare ad unum necesse non est. In his

Bononienses.

Honorius II. pag. 364.
Lucius II. 376.
Gregorius XIII. 573.
Innocentius IX. 546.
Gregorius XV. 553.

Florentini.

Leo X. pag. 507.
Clemens VII. 513.
Clemens VIII. 547.
Leo XI. 550.
Urbanus VIII. 555.
Clemens XII. 581.

Genuenses.

Innocentius IV. pag. 405.
Hadrianus V. 420.
Innocentius VIII. 495.

Mediolanenses.

Alexander II. pag. 342.
Urbanus III. 390.
Cælestinus IV. 405.
Pius IV. 530.
Gregorius XIV. 545.

Neapolitani.

Bonifacius V. pag. 177.
Urbanus VI. 459.
Bonifacius IX. 463.
Joannes XXIII. 472.
Paulus IV. 525.
Innocentius XII. 568.

Romani.

Sunt amplius centum.

Senenses.

Alexander III. pag. 382.
Pius II. 486.
Pius III. 500.
Alexander VII. 559.

Veneti.

Gregorius XII. pag. 467.
Eugenius IV. 477.
Paulus II. 489.
Alexander VIII. 566.

Sardi.

Hilarus pag. 119.
Symmachus 131.

Siculi.

Agatho pag. 194.
Leo II. 197.
Stephanus III. 228.

Syri.

S. Petrus pag. 1.
Euariſtus 14.
Anicetus 24.
Joannes V. 201.
Sergius I. 203.
Siſinnius 210.
Conſtantinus ibid.
Gregorius III. 215.

Thraces.

Unus Conon pag. 202.

Non

Non Cardinales post decretum Concilii Romani sub Stephano III.

Gregorius V. pag. 315.
Silvester II. 317.
Clemens II. 328.
Damasus II. 330.
Leo IX. 331.
Victor II 335.
Nicolaus II. 338.
Alexander II. 342.
Callistus II. 360.
Urbanus IV. 411.
Gregorius X. 416.
Cælestinus V. 429.
Clemens V. 439.
Urbanus V. 452.
Urbanus VI. 459.

Creati extra Urbem.

Callistus II. pag. 362.
Urbanus III. 390.
Gregorius VIII. 391.
Clemens III. 392.
Honorius III. 399.
Alexander IV. 408.
Urbanus IV. 411.
Innocentius V. 420.
Nicolaus III. 422.
Martinus IV. 425.
Honorius IV. 427.
Bonifacius VIII. 432.
Clemens V. 438.
Alexander V. 470.
Joannes XXIII. 472.
Martinus V. 475.

Juncti propinquitate.

Gregorius I. *Magnus*, qui atavum habuit Felicem III. seu IV. pag. 123.

Stephanus II. & Paulus I. fratres, Benedictus VIII. & Joannes XIX. item fratres alius proxime post alium Pontifices. 226.

Romanus ex Constantino Marini Pontificis fratre genitus. 284.

Benedictus IX. ex fratre nepos Benedicti VIII. & Joannis XIX. 324.

Alexander IV. Innocentii III. & Gregorii IX. propinquus. 401. 408.

Cælestinus IV. natus Urbani III. sorore. 405.

Hadrianus V. fratre Innocentii IV. procreatus. 420.

Gregorius XI. filius fratris Clementis VI. 455.

Gregorius XII. avunculus Eugenii IV. 477.

Paulus II. nepos Eugenii IV. & Pius III. Pii II. uterque ex sorore. 489. 500.

Alexander VI. cui avunculus fuit Callistus III. 497.
Julius II. qui patruum habuit Sixtum IV. 501.
Clemens VII. Leonis X. patruelis. 513.

Qui nomen primi mutarunt.

Sergius II. pag. 253.
Hadrianus III. 273. 303.
Joannes XII. 303.
Joannes XIV. 311.
Sergius IV. 320.

Qui retinuerunt Episcopatum.

Clemens II. Leo IX. Victor II. Nicolaus II. pag. 328.
Alexander II. 342.
Alexander IV. 409.
Paulus IV. 328. 525.
Benedictus XIII. 328. & 577.

Qui Missæ aliquid addiderunt.

Alexander I. pag. 16.
Sixtus I. 18.
Telesphorus. 20.
Cælestinus I. 109.
Leo I. 118.
Gelasius I. 128.
Symmachus. 134.
Gregorius I. 168.
Sergius I. 205.
Urbanus V. 454.

Qui Imperatores coronarunt.

Joannes I. pag. 138.
Leo III. 240.
Stephanus IV. 244.
Paschalis I. 247.
Joannes VIII. 271.
Stephanus V. 276.
Formosus. 278.
Joannes X. 294.
Joannes XII. 304.
Joannes XIII. 309.
Gregorius V. 313.
Benedictus VIII. 321.
Joannes XIX. 324.
Clemens II. 329.
Paschalis II. 360.
Innocentius II. 367.
Hadrianus IV. 381.
Cælestinus III. 393.
Innocentius III. 396.
Honorius III. 400.

Clemens V. 439.
Innocentius VI. 451.
Eugenius IV. 478.
Nicolaus V. 482.
Clemens VII. 514.

Qui jus & cognomen aliquod honorificum Christianis Principibus detulerunt.

Honorius I, qui Venetam Rempublicam *Christianissimæ* titulo decoravit. pag. 179.
Gregorius III. 216.
Stephanus II. 222.
Silvester II. 318.
Benedictus VIII. 321.
Alexander III. qui item Venetis concessit singularia jura multa. 385.
Innocentius III. 396.
Innocentius IV. 407.
Clemens VI. 450.
Innocentius VII. 467.
Paulus II. 490.
Innocentius VIII. 495.
Leo X. 508.
Paulus IV. 526.
Pius V. 535.

Qui longinqua itinera susceperunt.

Constantinopolim iter fecerunt Joannes I. pag. 137.
Agapetus I. 144.
Vigilius 150.
Martinus I. 188.
Constantinus 210.
In Galliam Stephanus II. 222.
Stephanus IV. 244.
Gregorius IV. 252.
Joannes VIII. 269.
Urbanus II. 355.
Paschalis II. 358.
Gelasius II. 361.
Callistus II. 362.
Eugenius III. 378.
Innocentius IV. 406.
Gregorius X. 417.
Clemens VII. 516.
In Germaniam Benedictus V. 307.
Benedictus VIII. 321. 322.

Gregorius VI. 327.
Clemens II. 329.
Victor II. 336.
Joannes XXIII. 472.
In Galliam, & Germaniam
Leo III. 242.
Leo IX. 331. 332.
Innocentius II. 336.
Per Italiam Joannes XIII. 308.
Joannes XV. 312.
Gregorius V. 316.
Damasus II. 330.
Stephanus IX. 337.
Nicolaus II. 340.
Alexander II. 343.
Victor III. 352. 353.
Alexander III. 384.
Lucius III. 389.
Urbanus III. 390.
Innocentius III. 398.
Alexander IV. 410.
Urbanus VI. 461.
Innocentius VIII. 466.
Alexander V. 471.
Pius II. 488.
Julius II. 502.
Clemens VIII. 548.
Benedictus XIII. 577.

Avenionenses.

Clemens V. pag. 438.
Joannes XXII. 441.
Benedictus XII. 447.
Clemens VI. 449.
Innocentius VI. 451.
Urbanus V. 452.
Gregorius XI. 455.

Laici.

Unus Joannes XIX. pag. 323.

Qui ab objectis criminibus defenduntur.

Victor I. pag. 30.
Marcellinus 61.
Liberius 80.
Damasus I. 87.
Siricius 92.
Innocentius I. 98.
Zosimus 100.
Cælestinus I. 109.
Gelasius I. 127.
Anastasius II. 130.
Silverius 146.
Vigilius 148. 154.
Sabinianus 173.
Bonifacius V. 177.
Honorius I. 180. 185.
Benedictus II. 200.
Joannes VIII. 270.
Formosus 279.
Joannes XII. 305. 306.
Silvester II. 318.
Leo IX. 333.
Gregorius VII. 345. 346. 347.
Paschalis II. 359.
Hadrianus IV. 382.

Cæleſtinus V. 431.
Bonifacius VIII. 433. 435.
Joannes XXII. 441. 446.
Gregorius XI. 457. 458.
Urbanus VI. 459.
Martinus V. 477.
Innocentius VIII. 496.
Alexander VI. 499.
Julius II. 501. 505.
Hadrianus VI. 510. 512.
Clemens VII. 515.
Marcellus II. 523. 524.

Qui morti proximi ſucceſſorem propoſuerunt.

Gregorius VII. pag. 351. 352.
Victor III. 354.
Gelaſius I. 362.
Cæleſtinus III. 394.
Paulus III. 517.

Breviſſimi temporis.

Siſinnius.		dies 20.	Romanus. men.	3.	dies 22.
Bonifacius VI.		15.	Leo V.	1.	26.
Theodorus II.		20.	Chriſtophorus.	6.	
Damaſus II.		23.	Landus.	6.	10.
Cæleſtinus IV.		17.	Leo VI.	7.	5.
Pius III.		26.	Benedictus VI.	9.	
Marcellus II.		22.	Clemens II.	9.	15.
Urbanus VII.		13.	Stephanus IX.	7.	27.
Leo XI.		26.	Cæleſtinus II.	5.	13.
Anterus. men.	1.		Gregorius VIII.	1.	27.
Sixtus II.	11.	dies 12.	Innocentius V.	5.	
Marcus.	8.	18.	Hadrianus V.	1.	7.
Agapetus.	10.	19.	Joannes XXI.	8.	
Bonifacius III.	8.	22.	Cæleſtinus V.	5.	8.
Severinus.	2.	4.	Benedictus XI.	8.	17.
Leo II.	10.	17.	Alexander V.	10.	8.
Benedictus II.	10.	12.	Gregorius XIV.	10.	10.
Conon.	11.		Innocentius IX.	2.	
Stephanus IV.	7.		Innocentius X.	3.	23.
Valentinus.	1.	10.			

Longiſſimi temporis.

Zephyrinus.	an. 18.	men.	dies 18.
Silveſter I.	21.	11.	
Leo I.	20.		28.
Hadrianus I.	23.	10.	17.
Leo III.	20.	5.	16.
Paſchalis II.	18.	5.	7.

Alexander III.	an. 21.	men. 11.	dies 23.
Innocentius III.	18.	6.	9.
Joannes XXII.	18.	4.	
Urbanus VIII.	21.		
Clemens XI.	20.	3.	25.

Pseudopontifices.

Novatianus pag. 45.
Urficinus 86.
Eulalius 104.
Laurentius 131.
Diofcorus 140.
Petrus & Theodorus 202.
Theodorus & Pafchalis 203.
Conftantinus 228.
Zinzinius 248.
Anaftafius 260.
Leo VIII. 305.
Bonifacius VII. 310.
Joannes Epifcopus Placentinus dictus *Joannes* XVI. 316.
Gregorius 321.
Silvefter III. 326.
Benedictus X. 337.
Cadalous dictus *Honorius* II. 342.
Guibertus dictus *Clemens* III. 348.
Albertus, Theodoricus, Maginulfus dictus *Silvefter* IV. 358.
Mauricius Burdinus dictus *Gregorius* VIII. 361.
Petrus Leonis dictus *Anacletus* II. 366.
Gregorius dictus *Victor* IV. 367.
Octavianus dictus *Victor* V. Vido Cremenfis dictus *Pafchalis* III. Joannes Strumenfis dictus *Calliftus* III. Lando dictus *Innocentius* III. 383.
Petrus de Corbario dictus *Nicolaus* V. 443.
Robertus Gebennenfis dictus *Clemens* VII. a quo ortum initium Schifmatis omnium longiffimi ac teterrimi. 460.
Amedeus Dux Sabaudiæ dictus *Felix* V. 479.

IN-

INDEX RERUM.

A

ACephali. 147.
Acœmetæ. 142.
Actio in Canone Missæ. 18.
Agere. 177.
Agnorum Dei cereorum origo, materia, virtutes. 102. 452. 453. Non pingendi, nec vendendi. 538.
Albigensium errores. 398.
Alexandrini Patriarchæ olim præfiniebant diem Paschæ celebrando. 29.
Aliturgici dies. 214.
Allodium Comitissæ Mathildis. 367.
Almarici errores. 397.
Alphonsus Dux Lusitaniæ ditionem suam vectigalem facit Ecclesiæ Romanæ. 379.
Altaria consecranda cum Reliquiis Martyrum. 56. 57.
America ita appellata ab Americo Vespucio. 497.
Andreæ *de Comitibus* cultum immemorabilem Innocentius XIII. approbavit. 575.
Angelica Salutatio. 109. Hora *ignitegii*; 445. Sub meridiem. 484. 498. 577.
Annatarum institutio. 464.
Anni, per quos regnarunt Pontifices priorum sæculorum incerti. 4. Annotari cœpti in Actis publicis. 257.
Annus correctus. 539.
Antoninus Episcopus Florentinorum Sanctis adscriptus. 511.
Antonius Patavinus relatus in Sanctos. 404. Ejus memoria *Officio duplici* celebranda. 542.
Annulus *Piscatorius*. 237.
Apocrisiarii. 145.
Apollinaris error. 87.
Apostolicæ Sedis gloria non obscuratur vitiis Pontificum. 289. Urbes & alia loca abalienare, aut fiduciaria dare, vetitum est. 534. 545. 546. 555.
Appellatione ad futurum Concilium primus omnium usus est Federicus II. Imperator. 407. prohibita decreto Pii II. 486.
Aqua benedicta cur in ipso Ecclesiæ ingressu exposita. 17. Ejus benedicendæ ritus ab Apostolica traditione. 16.
Aquilejensis Patriarchæ jurisdictio. 161.
Archiepiscopus Remensis nondum quinquennis. 295.

Arnaldistæ damnati. 368. Rebellant contra Lucium II. 377.
Arnaldus morti datus. 380.
Arx *Urbana*. 555.
Asiani Pascha celebrantes more Hebræorum num a Victore I. damnati. 29. 30.
Athalaricus Rex Italiæ agit contra Simoniacos. 142.
Attila victus a Leone *Magno*. 116.
Avenionem emit Clemens VI. 450.
Avenionenses Pontifices. 438. ad 455.
Augustulus Imperio spoliatus. 121.
Austriacæ Domus origo. 418.

B.

B*Accalaureatus*. 379.
Balliones expulsi Perusia. 503.
Bamberga ab Henrico II. oblata D. Petro. 322. Ab Leone IX. tradita Henrico III. pro Benevento. 332.
Baptismus Hæreticorum. 49. Constantini *Magni*. 70. 71. Baptismi tempus 90. 129. Baptismus collatus verbis corruptis. 219. Baptismus in vino. 222. In nomine Christi. 264.
Barbadicus *Gregorius* Cardinalis Episcopus Patavinus auctus titulo *Venerabilis*. 578. Ejus corpus translatum in locum decentiorem. ibid. & 579. vita summatim exposita. 578.
Barbam primus omnium Pontificum aluit Julius II. 501.
Baronii Annales in annum Christi 1198. desinunt. 395.
Beatificatio prima solemnis. 560.
Bellum sacrum primum. 355. 356. Creticum. 557.
Benedictini Pontifices. 163. 164. 318.
Beneficiorum Ecclesiasticorum origo. 134.
Benitius Philippus S. expetitus ad Pontificatum. 416.
Bentivoli Bononia a Julio II. ejecti. 503.
Berengarius hæreticus damnatus 332. Comburit libros propriæ hæreseos. 339.
Berengarius Imperator confirmat Romanæ Ecclesiæ ea, quæ data eidem fuerant a Pippino, Carolo *Magno*, aliisque. 294.
Boemiæ Dux *Regis* titulo decoratus. 396.
Bona Ecclesiarum non possunt locari nisi ad triennium. 465. 489. Bonorum Ecclesiasticorum partes. 121.
Bonaventura S. relatus in numerum Sanctorum. 492. Et Ecclesiæ Doctorum. 542.
Bramantes Lazarus Basilicæ S. Petri structuram designavit. 502.
Brevia Pontificia. 237.

Breviarii Romani auctoritas. 61. Antiqua forma. 528. Cur ita dictum. 529. Expurgatum. 556.
Britanni ad Christi fidem conversi. 27.
Bulla Cœnæ Domini. 476.

C

CÆlestinorum Ordo. 430.
Cæsaris nomen tribuere Regi Moschorum Clemens X. recusavit. 562.
Calices vitrei. 32. Argentei. 36.
Campanæ. 173. Earum baptismus. 309. pulsatio dum in Missa conficitur sacrum Christi corpus. 403. Hora *ignitegii*. 445. Sub meridiem. 484. 498.
Candia oppugnata per triennium. 562.
Canon Missæ *Actio* dicitur. 18.
Canonizatio Sanctorum Romanæ Ecclesiæ reservata. 387. prima solemnis. 243.
Cantores in Britanniam missi. 27.
Capuccinis vetitum administrare Sacramentum Pœnitentiæ. 545. Permissum. 549.
Cardinales septem assistentes Pontifici. 231. Cardinalis gradu privatus, quod Parochiam suam deseruisset. 257. Cardinalibus commissa electio summi Pontificis. 339. Datus rubeus galerus. 406. Rubra itidem *Capitia*. 489. Cardinales amoti dignitate. 433. Eorum ædes non debent reis atque improbis esse perfugium. 454. 511. 531. Eosdem vetitum Regum & Principum esse patronos. 476. 504. *Piatto di Cardinal povero*. 490. Cardinalium creatio numerosissima. 494. Decretum, ne fratres duo sint eodem tempore in Cardinalium numero. 521. Cardinalis mulctatus pœna mortis. 530. Cardinalium numerus. 542. Saltem quatuor ex Regularibus & Mendicantium Ordinibus. ibid. Cardinalibus Regularibus concessum usum rubri bireti. 545. Cardinales aucti titulo *Eminentissimi*. 556. Eo titulo non appellantur a Regibus, neque ab Senatu Veneto. 557. Solo nomine *Cardinalis*, ac titulo *Eminentissimi* ac *Reverendissimi* contenti esse debent. 557. Cardinalibus interdictus usus coloris nigri ac lugubris. 561.
Carolini Libri. 235.
Carolinus Codex. 227.
Carolus *Magnus*. 240. Relatus in Sanctos. 383.
Carolus V. Regnum & Imperium deponit. 526.
Casimirus Monachus & Diaconus Benedicti IX. concessu ducit uxorem. 325.

Casinense Monasterium uni Pontifici subjectum. 219. Abbati concessa sandalia, & cetera insignia. ibid. Quot Pontifices dederit Romanæ Sedi. 362.
Castrum Duci Parmensi ademtum. 558.
Catabulum. 64.
Catharina Senensis ad Gregorium XI. Avenionem missa a Florentinis. 456. In sanctas Virgines relata. 487.
Catholici titulus Hispaniæ Regibus proprius. 495.
Cereus Paschalis. 102.
Christina Svecorum Regina. 560.
Claves *Confessionis* S. Petri. 239.
Clerici comam ne nutriant. 24. Clericorum Venetorum privilegia. 513.
Clerici *Regulares*. 513.
Cletus diversus ab Anacleto. 13.
Clodoveus Rex Francorum anno 496. baptizatus. 129.
Cœmeteria Urbis Romæ. 37. In his celebrabantur Synaxes. Ibid.
Cœnobia parva abolita. 558.
Colobia. 58.
Comaclensis Comitatus a Gregorio V. donatus Archiepiscopo Ravennati. 317.
Comaclum & Ferraria in diplomate Rodulphi recensentur inter ceteras Romanæ Ecclesiæ Urbes. 427. Comaclum insertum Bullæ *in Cœna Domini*. 552. Ferrariam a Cæsare Estensi notho Clemens VIII. recepit. 547.
Communio laica. 339.
Compactata Boemorum. 486.
Conceptio B. Mariæ Virginis. 493. 535. 554. 559.
Concilia non celebranda præter sententiam Pontificis. 77.
Concilia Oecumenica.
Nicænum I. Oecumenicum I. pag. 72.
Constantinopolitanum I. Oecum. II. 87.
Ephesinum Oecum. III. 108.
Chalcedonense Oecum. IV. 114.
Constantinopolitanum II. Oecum. V. 153.
Constantinopolitanum III. Oecum. VI. 195.
Nicænum II. Oecum. VII. 234.
Constantinopolitanum IV. Oecum. VIII. 266.
Lateranense I. Oecum. IX. 363.
Lateranense II. Oecum. X 368.
Lateranense III. Oecum. XI. 386.
Lateranense IV. Oecum. XII. 396.
Lugdunense I. Oecum. XIII. 406.
Lugdunense II. Oecum. XIV. 417.
Viennense Oecum. XV. 440.

Flo-

Florentinum Oecum. XVI. 479.
Lateranense V. Oecum. XVII. 504.
Tridentinum Oecum. XVIII. 518.
Concilia quatuor Oecumenica prima Gregorius Magnus suscipit sicut Euangelii quatuor libros. 116. 166.
Concilium. *Plenarium* S. Augustini. 51.
Arelatense. 72.
Sardicense. 78.
Ariminense. 82.
Palmare. 133.
Lateranense sub Martino I. 188.
Quinisextum. 204. 211.
Francofordiense. 235.
Pisanum. 468.
Constantiense. 473.
Basileense. 479.
Conclavis custodia. 245. 313. Mos inclusionis Cardinalium in Conclavi. 399. Leges in Conclavi servandæ. 418. 450. Inclusio Cardinalium in Conclavi post Bonifacium VIII. semper servata. 422. 430.
Confessio peccatorum publica. 118. Confessionis Sacramentalis tempus definitum. 398. Facta Cœnobitis non iteranda Parocho. 437. 444. 549. Per litteras fieri non potest. 549.
Confessores. 48.
Confessarii solicitantes ad turpia. 554.
Confirmationis administratio Presbyteris Sardiniæ concessa. 167.
Congregationes XV. a Sixto V. institutæ. 542. *De Fide propaganda.* 553. Seminariorum. 576.
Constantini *Magni* Imp. baptismus. 70. Donatio subdititia. 74.
Constantinopolis a Turcis capta. 482.
Constantinus *Copronymus.* 221.
Constantinus *Pogonatus* remisit pecuniam pendi solitam pro confirmatione electionis Romani Pontificis. 196. Decessit de jure confirmandi electionem ejusdem. 200.
Continentiæ lex imposita Subdiaconis. 162. 167.
Controversia
De proximo D. Petri successore. pag. 7.
De Auctore Libri Pontificalis. 8.
De Cleto diverso ab Anacleto. 13.
De die Paschæ celebrandi. 24. 28.
De anathemate Asianis denunciato ab S. Victore I. 29.
De primo Imperatore Christiano. 41.

De Lapsis. 42.
De baptismo ab Hæreticis collato. 48.
De Concilio *Plenario* D. Augustini. 51.
De lapsu S. Marcellini. 61.
De voce *Fermento*. 67.
De baptismo Constantini. 70.
De ejusdem donatione. 74. 109.
De historia Paphnutii. 73.
De Symbolo *Quicumque*. 77.
De S. Felice II. Liberii successore. 85. 540.
De tempore, quo vox *Filioque* inserta Symbolo. 88.
De decem Actionibus, quæ celebratæ sunt post actionem sextam Concilii Chalcedonensis Oecum. IV. 115.
De ejusdem Concilii actione, in qua actum de Domno Antiocheno. ibid.
De Felice III. S. Gregorii Magni atavo. 123.
De auctore decreti circa libros Apocryphos. 126.
De uno e Trinitate passo. 135. 142.
De tribus Capitulis. 150.
De Monastico instituto S. Gregorii Magni. 163.
De Trajano ab gehenna liberato. 169
De Pippino in locum Childerici subrogato. 219.
De baptismo in vino. 222.
De baptismo in nomine Christi. 264.
De caussa Formosi. 279.
De institutione Electorum Imperii. 314.
De Sacramentali Confessione facta Cœnobitis. 437.
De paupertate Christi & Apostolorum, dominioque vel usu FF. Minorum. 442.
De beatitate animæ Justorum, statim ac vinculis corporis solutæ sunt. 446.
De sanguine Christi Domini. 469. 487.
De stigmatibus S. Catharinæ Senensis. 492.
De conceptione B. Mariæ Virginis. 493. 535.
De auxiliis divinæ gratiæ. 549. 551.
De Confessione Sacramentali laicis facienda. 556.
De Origine Ordinis Carmelitarum. 568.
Corporis Christi Festum. 411. Idem Christi corpus prælatum Romanis Pontificibus aggredientibus iter longinquum. 457.
Cosmæ & Damiani paria tria. 140.
Crescentius Nomentanus novus Urbis tyrannus. 312.
Creticum bellum. 557.
Christianissimi titulus Regum Francorum. 216.
Cruciata expeditio prima. 356.

Crux

Crux Domini inventa. 65.

D

DAlmaticæ. 58. Dalmaticæ usus concessus Abbati Stabulensi. 382.
Decretales Gregorii IX. 402.
Decretum coercendis affectantibus Pontificatum. 115. 228. 527. De libris sacris 126. De Rege creando ex gente Itala. 274. De Pontifice consecrando coram Legatis Imperatoris. 245. 249. De una tantum in die Missa a Sacerdotibus celebranda. 343. De Eucharistia sumenda die Festo Paschæ in propria Parochia. 549.
Diaconiæ Urbis Romæ. 40.
Diaconi *Regionarii* & *Palatini*. 39. 40. Diaconis sæpius quam Presbyteris olim traditus Pontificatus. 171. Diaconus factus Pontifex, prætermisso Presbyteratus Ordine, consecratus. 171. 172. 250.
Dicta memorabilia summorum Pontificum. 424. 471. 511. 524. 529. 532. 535. 536. 539. 572. 574.
Diplomata Ludovici Pii, Ottonis Magni, & Henrici II. a Rodulpho confirmata. 423.
Diptycha. 96.
Discordia inter Pontifices & populum Romanum per annos quinquaginta. 392. Inter Pontifices & Reges Francorum ob Pragmaticam Sanctionem per annos amplius septuaginta. 505.
Dispensatio quoad impedimenta matrimonium dirimentia. 325. 387.
Doctoratus. 379.
Dominicani Pontifices Innocentius V. pag. 419. Benedictus XI. 436. Pius V. 532. Benedictus XIII. Dominicanis primum concessa facultas administrandi Sacramentum pœnitentiæ. 403. Mandatum Officium Inquisitionis sacræ. 404.
Donatio Constantini 74. Pippini. 224.
Doxologia in fine Psalmorum. 89. Doxologia magna, & parva. 134.

E

ECcelinus de Romano. 401.
Ecclesia S. Petri Romæ. 13. 502. 552. 556. Ecclesiæ consecrantur ex instituto Apostolorum. 15.
Ecthesis Heraclii Imperatoris. 182.
Electio Romani Pontificis varia. 44. Post triduum a morte

te decessoris. 103. 174. Divino judicio, & universitatis consensu. 105. Non sine consultatione Regis Italiæ. 122. 131. In ea vincere debet sententia plurimorum. 132. Eam sibi usurpavit Theodoricus. 139. Et Orientis Imperatores, qui præterea certam pecuniæ summam exigebant. 156. Peracta sine Exarchi & Imperatoris consensu. 160. Non sine consensu Exarchi. 202. Ejus ritus. 203. 340. Consensu Romanorum ab uno Hildebrando facta. 338. A Nicolao II. commissa Cardinalibus Episcopis. 339. Quomodo commissa Henrico IV. 341. Jus electionis ab Hadriano non concessum Carolo Magno. 233. Neque ab Nicolao II. datum Henrico IV. 340. Electio Gregorii VII. fuit ultima, quæ ante consecrationem Pontificis significata est Imperatori. 345. Alexandri III. decretum de ea. 386. Ad solos Cardinales redacta. ibid. Quomodo fieret ante Conclavis institutionem. 416. Sola electio primis decem sæculis non faciebat Pontificem. 420. Peragenda Romæ a Cardinalibus. 531. Ratio eligendi hodierna. 554.

Electores Imperii. 314.

Eminentissimi titulo decorati Cardinales, Archiepiscopi tres electores Imperii, & Magnus militiæ Melitensis Magister. 556. 557.

Ensis, & Pileus a Pontificibus mitti soliti ad Imperatores optime de propugnata Ecclesia meritos. 533.

Elisabetha Anglorum Regina anathemate damnata. 535. 541.

Episcopus electus in Pontificem, non consecratur. 278. Non eligendus, nisi in sacris Ordinibus religiose vivens fuerit inventus. 354. Episcopi olim sibi successorem designarunt. 119. Episcopi designati intra menses sex Pontificalibus sacris initiari debent. 409. Usque ad Clementem V. & Joannem XXII. erant in dignitate supra Cardinales. 441. Episcopis olim non licuit uti mitra citra privilegium. 257.

Epistola S. Leonis I. ad Flavianum. 115. Epistolæ, quæ Pontificibus ante Siricium adscribuntur, subdititiæ. 14. Epistola decretalis summorum Pontificum prima, quæ ad nos pervenit. 90. Epistolarum Ecclesiasticarum varia genera. 18.

Equites Melitenses. 512.

Eucharistia sub utraque specie. 127. 355. Concessa Regi Francorum, aliisque. 450. Sub specie panis præferri solita Romanis Pontificibus incuntibus iter longinquum. 457.

Eu-

Eutychis errores. 113.
Exarchi, & Exarchatus. 158. 159.
Exercitiorum Spiritualium liber S. Ignatii approbatus. 520.
Extorres. 43.

F

Fabula est, Alexandrum III. pede pressisse caput Federici *Ænobarbi*. 385.
Factio *Guelphorum* & *Gibelinorum*. 401.
Federicus II. Italiam implet odiis & factionibus. 401.
Ferdinandus II. Rex Neapolis matrimonium contrahit cum sorore Patris sui. 498.
Fermentum in decretis Melchiadis, Siricii, & Innocentii. *67. 68. 69.*
Ferraria & Comaclum inter ceteras Romanæ Ecclesiæ Urbes recensentur in diplomate Rodulphi. 423. Recipitur a Clemente VIII. 547. Ferrariensis Principatus ab Sixto IV. fiduciarius concessus. 492.
Festi dies plures aboliti. 556.
Festum omnium Sanctorum. 175. 252. 492. Commemorationis S. Pauli. 168. Corporis Christi. 411. Apostolorum, Euangelistarum, & Doctorum. 432. SS. Trinitatis. 444. Præsentationis B. M. Virginis. 456. Visitationis. 463. Transfigurationis. 485. Cathedræ S. Petri. 528. Rosarii. 536. S. Annæ. 554. S. Joachim. ibid.
Fidei formula Sirmiensis. 81.
Fidelitas Regibus Francorum a populo Romano promittebatur. 254.
Filii Presbyterorum prohibiti Sacerdotio. 355.
Filioque vox. 88. 243. 271. 410. 479.
Flagellantes. 450.
Fœdus Cameraci initum contra Venetos. 503.
Formula: *Salutem*, *& Apostolicam benedictionem*. 10. *De Petri Sede*, seu *Cathedra loqui*. 166. *Servus servorum Dei*. 168.
Formosus cur damnatus. 269. Primus ex Episcopo Pontifex summus. 277. An ejus electio canonica. 279.
Franciscani Pontifices quatuor. Nicolaus IV. 427. Alexander V. 470. Sixtus IV. 491. Sixtus V. 541.
Franciscus *de Paula* collocatus in concilio Sanctorum. 508.
Franciscus Parmensium Dux uxorem ducit viduam fratris sui. 502.
Francorum Reges *Christianissimi*. 216.
Fraticelli. 444.
Fratribus Mendicantibus jus datum administrandi Sacramentum pœnitentiæ. 403.

G

Galerus rubeus datus Cardinalibus. 406.
Galerus & gladius Pontificiis precibus sacri quando mitti cœperint ad imperatores optime de Ecclesia meritos. 533.
Gelasii I. decretum de libris sacris. 126.
Geusii. 533.
Gibelini. 401.
Gradensis Patriarchatus translatus Venetias. 482.
Græcorum artes, quibus sibi subjicere conati sunt Romanam Ecclesiam. 208. Schisma. 263. 275. Imperium translatum ad Latinos. 396. Excisum a Turcis. 482. Græci quoties in communionem Ecclesiæ Latinæ recepti. 417. 480.
Gregorius I. *Magnus* cujus Ordinis monachus. 163. Se in epistolis *Servum servorum Dei* inscripsit omnium primus. 168.
Gregorius II. Italiæ tributis privavit Leonem Isauricum. 213.
Gregorius VII. Regnum abrogatum Henrico contulit Rodulpho. 348. Privavit Regno Poloniæ Boleslaum. 349. Morti proximus non revocavit anathema latum in Henricum. 349.
Gregorius IX. jussit colligi *Decretales*. 402.
Guelphi. 401.

H

Hadrianus non concessit Carolo *Magno* jus eligendi Pontificem. 233.
Hæresis quid. 45.
Hannoverensium Dux constitutus Elector Imperii. 316. 569. 571.
Hebræi ab Ecclesia tolerantur in memoriam passionis Domini. 522. In secretum ab Christianis locum coacti. 526. Jussi signa habere, quibus internoscantur a Christianis. ibid. & 398 Expulsi Ecclesiæ ditione tota. 535.
Henoticum Zenonis. 123.
Henrico IV. quomodo commissa electio Romani Pontificis. 341.
Henricus IV. Galliarum Rex anathemate damnatus. 546. Absolutus. 547.
Henricus VIII. Rex Angliæ Annæ Bolenæ amoribus irretitus. 502. 515. Subjectos adigit, ut se tamquam Ecclesiæ caput a Christo proximum agnoscant. 516.

Hie-

Hieronymus S. operam navavit Damaso I. 88. 89.
Hierosolyma a Saladino expugnata. 390. 419.
Hierosolymitani Regni initium. 356.
Hispaniæ Reges *Catholici* dicti. 495. Eisdem concessum ab Hadriano VI. jus nominandi Episcopos. 512.
Hominium. 365.
Homousion. 83. 143.
Hugonoti. 533. nominis origo. 534. Gallia expulsi. 565.
Hybernia Alexandri III. auctoritate ad Angliæ Regnum adjuncta. 384.
Hymnus Angelicus: *Gloria in excelsis Deo*. 20. Olim a solo Episcopo dici poterat. 231.
Hypostasis. 143.

I

JAcobus II. Angliæ Rex regno profugus. 565. 571.
Jansenius Cornelius. 558. 559.
Iconomachi. 213. Eorum Pseudosynodus VII. 225.
Jejunium Quadragesimæ. 19. 20. Quatuor temporum. 34. Die Dominico vetitum. 67.
Jesuitæ ab *interessentia supplicationum* exemti. 538.
Imperator dicitur ille tantum, quem Pontifex delegerit. 321. Imperator, qui primus coronatus. 138. Qui postremus. 515. Imperatoris Legati aderant consecrationi Pontificis Romani. 245.
Imperii Romani finis. 121. Finis Imperii Græcorum. 483. Imperium Romanum duo complectitur. 241. Imperii Romani instauratio per Leonem III. 241. Imperii Electores. 314. Insigne. 321. Imperium Græcorum translatum ad Latinos. 396. Imperium Latinorum in Oriente. 411.
Inas Rex Occidentalium Saxonum regnum suum vectigale fecit Romano Pontifici. 217.
Index librorum prohibitorum. 527. 530. 548.
Indulgentia per occasionem *Canonizationis* Sanctorum ab Honorio III. primum concessa. 400. Concessa proferentibus nomen Jesu Christi & Virginis Mariæ. 415. Concessa Rosarium ejusdem Virginis recitantibus. 493.
Inquisitores Catholicæ Fidei instituti. 396. Etiam in Venetorum ditione. 428. Instituta Congregatio Inquisitionis Sacræ. 520. Ei præsidet summus Pontifex. 527. Paulus IV. moriens commendat sanctissimum Inquisitionis Officium Cardinalibus. 529.
Insignia Ecclesiastica Mitra, Anulus, Dalmatica etiam viris Laicis concessa. 344.

Instrumenta passionis Christi Innocentio III. dono missa a Bajazethe Turcarum Imperatore. 496.
Interim formula edita a Carolo V. Imperatore. 519.
Investiturae quid. 358. Concessae Henrico IV. Imperatori per vim, eidemque postea abrogatae. 359. 360. Investiturarum controversia duravit annos quadraginta. 363. Ab Innocentio II. concessae non sunt Lothario. 366.
Joachimi Abbatis errores. 397.
Joanna Papissa fabulosa. 258.
Joannis Janduni, & Marsilii Patavini errores. 443.
Josephi B. M. Virginis Sponsi *Officium* Clemens XI. composuit. 571.
Joviniani error. 92.
Italiae Regnum institutum ab Odoacre. 122.
Italis vetitum morari extra Italiam. 548. 553.
Jubilaeum. 432. 433. 449. 461. 464.
Judaei. Vide Hebraei.
Juris Canonici a mendis expurgati corpus Romae typis editum. 540.
Jurisjurandi formula ab Jacobo I. proposita Britannis. 552.
Justinianus Imperator usurpat sibi jus confirmandae electionis Pontificiae. 156.
Justinianus Nicolaus Monachus concedente Alexandro III. uxorem ducit. 387.

L

LAngobardi 158. Eorum Regnum. 233. *Lapsi*. 42.
Largitio omnis *Regularibus* interdicta. 548.
Lateranae Ædes a Constantino *Magno* concessae Melchiadi. 66.
Latinorum Imperium in Oriente. 411.
Laurentius *Justinianus* S. primus Venetiarum Patriarcha. 481. Adscriptus in Sanctos. 567.
Lauretana B. M. Virginis Ædicula Angelorum ministerio e Syria translata in Italiae regionem Picenam. 429.
Lauretum donatum jure Civitatis. 543.
Legati Sedis Apostolicae ad Principes summos. 118. 145. Quae munera accipere possint. 489.
Leges de Comitiis Pontificalibus. 418. 450.
Leo *Isauricus* Iconomachus damnatus & imperio privatus. 213.
Leo IX. Venetias se contulit. 332.
Leonina Urbs. 258. 556.

Leonis VIII. Pseudopontificis constitutio subdititia. 307.
Libellatici. 42.
Liber Pontificalis. 8. 89. *De septem Sacramentis*, qui fertur nomine Henrici VIII. 508. *Exercitiorum Spiritualium* S. Ignatii. 520. Ludovici Molinæ *De concordia* &c. 549.
Librariis vetitum sub pœna anathematis aliquid typis mandare sine licentia Episcopi. 498.
Libri Lutheranorum, & aliorum hæreticorum prohibiti, 521.
Licentiatus. 379.
Limina Sacra. 254. 255.
Linguæ exoticæ tradendæ in Academiis. 440. 552.
Linus proximus post Petrum Pontifex. 7. Libelli duo: *De Passione Petri & Pauli* Lino suppositi. 9.
Litania Major. 169. Litaniæ ante Ascensionem Domini. 241. Litaniis B. M. Virginis insertum *Auxilium Christianorum*. 536.
Litteræ *Formatæ*, & aliæ ejusdem generis. 18.
Lucius Rex Britannorum fit Christianus. 27.
Ludovici Pii Constitutio non est supposititia. 247.
Ludovici II Epochæ variæ. 254.
Ludovicus XIV. Gallorum Rex liberalissime suscipit Jacobum II. Regem Britanniæ Regno extorrem. 565.
Lupercalia. 127.
Lusitanorum Dux *Regis* titulo auctus. 387.
Lutherus insurgit contra *Indulgentias*. 502. Ejus mors, & errores. 508.

M

MAcedonii error. 87.
Malachiæ Prophetia de Pontificibus. 370. Subdititia. 375.
Malatesta Sigismundus Arimino expulsus. 511.
Marcellinus diversus a Marcello. 63. Lapsus ejus commentitius. 61. 62.
Marci Euangelistæ corpus delatum Venetias. 251. Eidem Templum Venetiis consecratum. 566.
Marcus Antonius *de Dominis*. 553. 554.
Maria Virgo *Deipara*. 109. Ejus Conceptio. 493. 535. Natalis dies celebrandus per dies octo. 406. Clementia erga peccatores. 445.
Marozia. 393.
Marsilii Patavini errores. 443.
Martyres. 43. 58.

Mathildis Comitissæ Dominium, & donatio facta Romanæ Ecclesiæ. 350. 351.

Matrimonium permittente Pontifice contrahit Monachus & Diaconus Casimirus. 325. Item Ferdinandus II. Rex Neapolis cum sorore Patris sui. 498. Cum vidua uxore fratris sui Henricus VIII. Rex Britanniæ. 501. Et Franciscus Farnesius Parmensium Dux. 502.

Maurocenus Thomas Venetus Patricius primus Latinus Patriarcha Constantinopolitanus. 396.

Medici prohibentur eos curare, qui post diem tertium ab initio morbi non expiaverint peccata sua. 523. Medicis Judæis non licet curationem adhibere morbis Christianorum. 526.

Melita insula a Carolo V. concessa Equitibus Hierosolymitanis. 512.

Memoria quid. 13. Memoriæ Martyrum. 57.

Michael *Cerularius* renovat schisma Photianum. 263. 334.

Militiæ sacræ auctor primus Silvester II. 318.

Missa triplex in die Natali Christi Domini. 20. Supra sepulcra & memorias Martyrum. 56. In panno lineo. 71. Missa *Præsanctificatorum*. 99. Missæ iteratio. 177. Missa in Quadragesima. 214. Septies vel novies una die a Leone III. celebrata. 243. Lingua Sclavonica. 267. Una tantum in die a Sacerdotibus ex decreto Alexandri II. celebranda. 343. Tempore *Interdicti* quibus diebus celebranda. 463. Missam audientes in Ecclesiis *Ordinum Mendicantium* præcepto satisfaciunt. 508.

Missæ partes. Precatio: *Unde & memores Domine* 16. Trisagium *Sanctus*. 18. *Actio*, seu *Canon*. ibid. Hymnus Angelicus: *Gloria in excelsis Deo*. 20. 21. 231. Antiphonæ ad introitum. 110. *Sanctum Sacrificium, immaculatam hostiam*. 118. Præfatio & Collectæ. 128. *Diesque nostros* &c. 168. *Agnus Dei* &c. 205. Psalmus: *Judica me Deus*. 537. Initium Euangelii secundum Joanuem. ibid.

Mitra olim Episcopis non communis. 257. Mitræ jus permissum Uratislao Duci Boemorum, aliisque. 343. 344. Mitra turbinata, 382.

Molina Ludovicus. Ejus doctrina contentiones excitat inter Dominicanos & Jesuitas. 549.

Monachi sacro Presbyteratus Ordine initiari cœpti. 91. Monachi Scythæ num fuerint hæretici. 136. Monacho & Diacono Casimiro facta potestas ducendæ uxoris. 325.

Monarchia Sicula. 356. Abolita. 573.

Monialis pallam sacratam ne contingat. 25. 105.

Monothelitæ. 179.

Mon-

Montanistæ. 33.
Montes Pietatis approbati. 504.
Mos præferendæ Eucharistiæ Romanis Pontificibus ineuntibus iter longinquum. 457.
Mulier in Ecclesia capite velato. 8.
Murus Hadriani Imperatoris in Britannia. 27.

N

NEapolitanum Regnum tributum solvit Pontifici Romano. 491.
Nepomucenus Joannes descriptus in Sanctos. 580.
Nepotes B. Benedicti XI. adhuc superstites. 438. Pontificis nepotes mulctati pœna mortis. 530.
Nero Ecclesiæ persecutor primus. 5. 6.
Nestorii errores. 107. Mors. ibid.
Nicolai I. sententia de baptismo in nomine Christi. 264.
Nicolaitæ damnati. 339. 342.
Nicolaus *Justinianus* Monachus Alexandri III. concessu uxorem ducit. 387.
Nomen *Papæ*. 93. Nomen Pontificis electi, necdum consecrati imprimi *Bullis* non consuevit. 419.
Norimbergenses Heterodoxi Clementem XI. celebrarunt. 570.
Notarii *Regionarii*. 12. 39.
Novatianus Pseudopontifex successores habuit in Episcopatu per annos fere ducentos, 45. 106. Novatianorum errores. 45.
Novemdiales supplicationes in honorem Sanctorum. 572.
Novus Orbis a Christophoro Columbo detectus. 497. Divisus bifariam ab Alexandro VI. tollendi caussa dissidii inter Regem *Catholicum*, & Regem Lusitanorum. 498.
Numismata sacra, vulgo *Medaglie Benedette*, a S. Pio V. primum instituta. 533.
Nummi Pontificum Romanorum. 117. 239.

O

OBservantia erga Romanam Ecclesiam. 324.
Oecumenici Patriarchæ titulus. 167. 174.
Offa Rex Merciorum Regnum suum Pontifici Romano vectigale fecit. 217.
Officium B. Mariæ Virginis. 357. *Transfigurationis* Domini a Callisto III. compositum. 485. S. Joseph a Clemente XI. 571.
Opes Romanæ Ecclesiæ. 169.
Optio inter S. Romanæ Ecclesiæ Cardinales. 470.

Ordinis Sacramentum publice in Ecclesia administrandum. 32. Ordinum numerus septenarius. 59. Interstitia. 91. Administrationis tempus. 121. 128. Iteratio. 229. Ordines Minores infantibus collati. 189. Ordinationes factæ a Formoso num validæ. 279. 283. 285.
Organa in Ecclesiis. 192.
Origenes post mortem damnatus. 153.
Origo *Agnorum* Dei cereorum. 102. Pontificii apparatus magnifici. 430.
Os porci, seu *bucca porci* nomen Sergii IV. 253. 320.
Osculum pedum summi Pontificis. 256.
Ostiensis Episcopi proprium est jus consecrandi Pontificem. 389.
Otto primus ex Germanis, sacris Imperii insignibus exornatus. 304. Ratas jussit donationes Pippini, & Caroli Magni. ibid. Reddit Joanni XIII. Urbem & terram Ravennatium. 308.

P

Palla linostima. 71. 102.
Pallium. 76. Pallium Græcum. 299.
Papæ nomen. 93.
Paschæ dies. 23. 25. 28.
Patricii dignitas a Stephano II. collata Pippino Regi Francorum. 223.
Patrimonialis tituli mentio prima. 386.
Patrimonium Alpium Cottiarum donatum Pontifici. 209. 210. Patrimonia Calabriæ & Siciliæ. 215. Alia. 227.
Patrini ad baptismum. 22.
Peccatum Philosophicum. 567.
Pelagianorum errores. 98. Damnati primum a Sixto III. 111.
Pelagius Britannus. 106.
Pentapolis Italicæ Urbes. 218.
Perfetti Bernardinus Poetica laurea insignitus. 579. 580.
Persecutiones Ecclesiæ decem.
Prima. pag. 6.
Secunda. 10.
Tertia. 12.
Quarta. 23.
Quinta. 31.
Sexta. 37.
Septima. 40.
Octava. 52.
Nona. 57.
Decima. 60.

Pe-

Petrarcha legatus ad Clementem VI. 449.
Petri & Pauli corpora ad Catacumbas translata. 53.
Petrobusiani. 368.
Petrus *Suavis* confutatus. 523. 524.
Peyrerius Isaacus auctor libri *De Praeadamitis*. 559.
Philippus Imperator num Christianus. 41.
Phocas Imperator declaravit nomen Episcopi *Oecumenici* esse unius Pontificis Romani. 174. Eidem Pontifici concessit *Pantheon* 175.
Photius. 262.
Pippini donatio. 224.
Platina in carcerem conjectus. 489.
Plumbatis caedi. 46.
Pœnitentes quomodo absoluti occasione belli sacri. 356.
Pœnitentia perpetua gravioribus delictis imposita. 92. Gregorius IX. omnium primus indulsit *Fratribus Mendicantibus* facultatem administrandi Sacramentum Pœnitentiæ. 403.
Pogonatus Constantinus Imperator. 191.
Pomum aureum cum Cruce insigne Imperii. 321.
Pontifex Romanus Episcopus Episcoporum. 32. Vicarius Petri. 48. Ejus electio. vide *Electio*. Primus Pontifex electus sine populi interventu. 369. Non potest sibi eligere successorem. 141. 531. Eligendus Romæ a Cardinalibus. 531.
Consecratio peracta ab Episcopo Ostiensi. 54. Die Dominico, vel festo die alio. 70. 261. A tribus Episcopis Ostiensi, Portuensi, Albanensi, seu Veliterniensi. 75. 197. 389. Haud expectata Constantinopolitani Imperatoris auctoritate. 201. In conspectu Regis, aut Legatorum ejus, aut Imperatoris. 249. 273. 275. 286. 305. 322. Ritus consecrationis. 250.
Pontificis Romani *Primatus*. 77. 96. 97. 99. 133. 398. 505. Ubi Romanus Pontifex, ibi Romana Ecclesia. 439. Apparatus magnifici, 430.
Coronatio prima. 261.
Pontifices recens creati Fidei professionem emittebant. 166. 188. Eorum vires augeri cœptæ. 207. Plenam in rebus Civilibus administrationem Romæ exercent. 224. Discordia inter ipsos & populum Romanum per annos ferme quinquaginta. 392.
Pontifices *Benedictini*. 163. 164. 318.
Dominicani quatuor. Innocentius V. 419. Benedictus XI. 436. Pius V. 532. Benedictus XIII. 576.
Franciscani item quatuor, Nicolaus IV. 427. Alexander V. 470. Sixtus IV. 491. Sixtus V. 541.

Præ-

Prædia Ecclesiæ non alienanda. 132.
Pragmatica Sanctio abolita. 487. 504. 505. In ejus locum substitutum Concordatum Gallicum. 505.
Presbyteria. 250.
Primicerii D. Marci dignitas & potestas amplificata. 566.
Procedere. 162.
Prophetia S. Malachiæ de summis Pontificibus. 370. Subdititia. 375.
Propositiones æquivocæ. 143.
Protestantes. 517.
Pueri Monasteriis a Parentibus oblati non poterant olim relinquere Monasteria. 394.
Purgatio per aquam frigidam. 249. Per ferrum candens & aquam ferventem. 276.

Q

QUadragesimæ jejunium. 19. 20. Quatuor Temporum. 34.
Quartadecimani damnati. 28.

R

R*Egalia* quid. 564.
Regionarii Diaconi. 39.
Regna Pontifici Romano vectigalia. 217. 350. 377.
Regularibus omnis largitio interdicta. 548.
Residentia personalis ad beneficium. 451.
Responsales. 191.
Rhodus insula erepta Equitibus Hierosolymitanis. 512.
Rodulpho Regnum Gregorius VII. affirmavit. 348.
Rodulphus Habspurgensis Augustæ domus Austriacæ propagator. 418.
Roma. Ejus regiones. 12. Direptio prima. 94. Sexies direpta. 514.
Romandiola cum Ravennæ Exarchatu Ecclesiæ restituta. 418.
Romanæ Ecclesiæ administratio tempore interregni. 156. 183. 189. Absente Pontifice penes Cardinales. 340. Opes. 169. Patrimonia. 209. 215. Ejusdem regimen quando esse cœperit penes Pontificem electum tantummodo, ac nondum consecratum. 199.
Romanum Archigymnasium, vulgo *Sapientia*. 556.
Rosa aurea a Pontifice benedicta. 407. 455.
Rosarium B. M. Virginis recitantibus indulgentia concessa. 493. Rosarii festum. 536.

Rosa

Rotæ Auditores. 445. Stipendia eisdem decreta. 451. Numero duodecim. 492. Subrogati in locum Subdiaconorum Apostolicorum. 560.
Rufini errores. 94.

S

SAbellii error. 30. 33. 55.
Sacerdotes cælibes. 90.
Sacra Limina. 254.
Sacræ Inquisitionis Officium mandatum Sacerdotibus ex familia S. Dominici. 404.
Sacræ militiæ auctor primus. 318.
Sacrificati. 42.
Sacrificium sine vino facere Norvegiis haud permissum. 496. Nec Pontifex potest concedere, ut fiat sine vino. 499.
Salve Regina. 402.
Salutatio Angelica. 109. Hora *ignitegii*. 445. Sub meridiem. 484. 498. 577.
Sanctio Pragmatica abolita. 487.
Sanctis nullus annumerandus, nisi auctoritate Ecclesiæ Romanæ. 387.
Sandaliorum & Dalmaticæ usus concessus Abbati Stabulensi. 382.
Sanguis Christi adhibitus in atramento ad scribendum. 186. Mantuæ repertus. 242.
Sapientia nomen Archigymnasii Romani. 556.
Schisma quid. 45. Schisma Istricum. 205. Photianum. 263. Schisma Magnum. 460.
Sedes Apostolica quamdiu fuerit Avenione. 456.
Sedes *Stercoraria*. 393.
Seminariorum Congregatio a Benedicto XIII. instituta. 576.
Semipelagiani. 109.
Sicula Monarchia. 336. 573. 580.
Sigilla plumbo imprimere Pontifices incipiunt. 236.
Silvester primus omnium Pontificum pingitur tiara coronatus. 74. 75.
Simoniaci damnati. 331. 339. 342. 346.
Sinuessanum Concilium in caussa Marcellini subdititium. 62.
Sirmiensis Fidei formula triplex. 81.
Sponsiones de vita, morte, electione summi Pontificis, & creatione Cardinalium damnatæ. 545.
Stabat Mater dolorosa. 399.
Statio. 53.

Ste-

Stephanus I. ratum habet baptismum ab hæreticis collatum. 49. Rebaptizantium conatus elusit nullo inflicto anathemate. 49.
Stigmatum S. Francisci veritas comprobata. 409. 424. 428. Festum. 437.
Stuarta Maria Scotiæ Regina. 533. 541.
Suavis P. confutatus. 523. 524.
Subdiaconatus Ordinibus Sacris annumerari cœptus. 355.
Subdiaconi Apostolici aboliti. 560. Subdiaconis continentiæ lex imposita. 162. 167. Num traditus Pontificatus. 176.
Successorem sibi eligere ne Pontifici quidem licet. 141. 531. Successorem suum Episcopi olim designarunt. 119.
Symbolum *Quicumque*. 77. Nicænum in Missa. 321.
Synodus *Prædatoria* & *Latrocinalis*. 114.

T

Teatini. 525.
Templariorum Ordo abolitus. 440.
Templum D. Marco Euangelistæ ab Joanne **Particiatio** Principe Venetiarum XI. conditum. 566.
Tempora Ecclesiæ infelicissima. 283.
Tertullianus Montanista. 33.
Thalmud etiam Hebræis interdictum. 521.
Theodora. 292.
Theopaschitæ. 262.
Thomas Aquinas S. relatus inter Ecclesiæ Doctores. 535.
Tiara Pontificalis, & mitra turbinata. 382. Circumdatam duplici corona primus adhibuit Bonifacius VIII. 432. Triplici Urbanus V. 455.
Titulus idem, ac Memoria seu Ecclesia. 14. 15. Titulus Crucis Christi Romæ inventus. 496. *Patrimonialis*. 386.
Traditores. 43.
Trajani Imperatoris liberatio a gehenna. 169.
Transubstantiatio. 397.
Tria Capitula. 149. 153.
Trisagium Missæ insertum. 18. Duplex est. 18. 19. Ejus origo. 124.
Turcæ cæsi ad Echinadas. 536.
Turificati. 42.
Typographica Ars anno 1457. inventa. 494.
Typus Constantis Imperatoris. 187.

V

VAlentini hæretici error. 21. 22. 30.
Vaticana S. Petri Basilica. 13. 502. 552. 556.
Veneta Respublica jam inde ab Honorii I. temporibus *Christianissimæ* titulo decorata. 179. Ejus beneficio Alexandro III. sua dignitas restituta. 385. Venetis ab Adeodato confirmatum jus eligendi Ducis. 192. Jura multa eisdem ab Alexandro III. concessa. 386. Eisdem bellum a Pontifice, Imperatore, Regibus Galliæ, & Hispaniæ illatum. 503. Commendati donatique a Paulo V. ob susceptum Concilium Tridentinum. 531. Senatus Consulta duo pertinentia ad viros Ecclesiasticos. 551.
Venetiæ anno Christi 452. conditæ. 116. Venetias se Leo IX. contulit. 332. Venetiarum primus Patriarcha. 481. 567. Clericorum ejusdem Urbis privilegia. 513.
Veni Sancte Spiritus. 399.
Veronæ mortuus tumulatusque Lucius III. 389. Ibidem electus Urbanus III. ejus successor. 390.
Vesper Siculus. 426.
Vincentius Ferrerius relatus in Sanctos. 485.
Virginibus Deo dicatis musice interdicta. 565.
Vita Venerabilis Servi Dei Gregorii Cardinalis Barbadici Episcopi Patavini. 578.
Vox *Filioque* adjecta Symbolo. 88. 243. 479.

Z

ZAcharias Regem Francorum Childericum privavit Regno. 219.
Zosimus defensus. 100. Ejus epistola *Tractoria*. 101.

F I N I S.

NOI RIFORMATORI

Dello Studio di Padova.

Avendo veduto per la Fede di Reviſione, e Approvazione del *P. F. Paolo Antonio Agelli Inquiſitore di Padova*, nel Libro intitolato: *Vita Pontificum Romanorum ex antiquis monumentis collecta Opera, & Studio Antonii Sandini J. U. D., & in Seminario Patavino Bibliothecæ Cuſtodis;* non v' eſſer cos' alcuna contro la Santa Fede Cattolica, e parimente per Atteſtato del Segretario Noſtro, niente contro Principi, e buoni coſtumi, concediamo Licenza a *Gio: Manfrè Stampatore*, che poſſa eſſere ſtampato, oſſervando gli ordini in materia di Stampe, e preſentando le ſolite Copie alle Pubbliche Librerie di Venezia, e di Padova.

Dat. 20. Agoſto 1738.

(Gio: Franceſco Moroſini Cav. Rif.
(
(Daniel Bragadin Cav. Proc. Rif.

Agoſtino Gadaldini Segr.

1738. 25. Agoſto.
Regiſtrato nel Magiſtr. Eccellentiſſimo contro la Beſtemmia.

Vettor Gradenigo Segr.



